
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III

XXVI
B
51
NAPOLI

51

Digitized by Google


ZACHARIÆ
FRIDENREICH
Regimontani
Marchici,
POLITICORVM
LIBER
Ex ſacris profanisq;
ſcriptoribus veros
artis Politicæ fontes
investigans
AD
Sereniſſimum ELEC=
TOREM BRANDE=
BVRGICVM &c.
ANNO CIↃ IↃ CIX.
ARGENTINÆ APVD PAVLVM LEDERTZ

Digitized by Google

DE CONSILIO HUJUS OPERIS MONITA auctoris.

NOndum triennium eſt, cùm ex Camera Imperiali Spirâ Argentinam rediens, nobiliſſimorũ Virorum ac Juvenum quorundam rogatu de Politiæ præceptis in ordinem certum maximeq; naturalem redigendis primùm cogitationẽ ſuſcepi. Quanquam enim literis meorum hinc in Patriam avocabar: Studiorum quoque inſtitutum ad pridem præfixũ Jurisprudẽtiæ ſcopum properabat: tamen, cùm laboris minimè difficilis ſpem breviorem fallax opinio impreſſiſſet: nolui deeſſe petitioni eorum, quos partim ſtudii pulcerrimi amor, partim communis Patriæ recordatio, commendabat Acceſſit cõſideratio alia apud me nequaquam vana, quam & exitus luculento experimento pòſt com

probavit: diſciplinâ illâ, quâ urbes & imperia gubernantur, plurimùm juvari univerſam juris ac judiciorum tractationem. Noſtrum enim jus, quod propriè civile Romanorum vocamus, ita eſſe comparatum videmus: ut Digeſta, Codex, hunc Novellæ corrigant: Pontificum deinde Canones, unà cum Cæſarum jure, tribunalia occupantes, in judiciorum proceſſu nunc ferè obſeruētur. Quid conſtitutiones noviſſimas, quib. hodiè in Imperio omnes utimur? quid rurſus Principum & Civitatum imperialium jura ſingularia, commemorem? quorum tot fermè genera, quot, non dicam ditiones, ſed urbes ſunt. Unde hæc, inquam, tanta, tam multiplex juris noſtri varietas? niſi, quòd magnâ illâ Rerumpublicarum impulsâ orbitâ, leges quoq; cõverti ac mutari neceſſe ſit: & ad cujuſvis Reipublicæ formam atq; circum-

cumſtantias flexibilis rerum humanarum commoditas variè inclinanda. Magnæ profectò ea obſervationis! magni judicii! neq, ex libris haurienda aliis, quàm Rerumpublicarum figuras in variis imperandi ſubiiciendique modis qui explicant: quibus penitiùs explicatis, felicior dabitur velificatio in tot diſc[illegible] tium legum & jurisdictionu[illegible] menſo & perplexo mari. Et præ[illegible] quam, quod turpe eſt, Iurisconſultum Reipublicæ, in qua verſatur, ſtatum perfectè non intelligere: Rei etiam publicæ gubernandæ ars perpetuâ hiſtoriarum & exemplorum diligenti adnotatione tumidū vincit Politicorum nomē, quod ſolo vagi & incerti uſus & experientiæ titulo ſuperbit, nullo conſtantis ſcientiæ ſolido fundamento ſubnixum.

Sic operi adcinctum erudiendum fortuna ſuſcepit: cùm ante omnia

indagandus ſummus ille finis occurrebat; ob quem humanæ ſocietates politicæ primùm ſunt inſtitutæ: quòd is cognitus perſpectusq; aberrare mentem in reliquorum ad Politiam pertinentium inveſtigatione non ſinat. Ut enim qui jaculantur inani jactatione vacuas auras rberant, niſi ſcopum ſibi præfi-, ad quem evitatis obſtaculis oximè collineent : ſic irritos hîc multorum conatus eluſit incertus aut falſus ſcopus. Nam qui ſollicitudinis ſuæ terminum ſtatuerunt in eo: ut ſocietatem inter homines, ad ſolam vitæ hujus felicitatem, qualemcunque conſarcinarent: multa impiè, pleraq; callidè, nõ pauca contra ipſum communem honeſtatis ſenſum introduxerunt. Quibus in eo ſaltem melior eſt familia illorum, qui, cùm Chriſtiani eſſent, ad pietatem & religionem

nem Chriſtianam Politias ſuas informârunt. Sed quia illum omnis ſapientiæ fontem ſincerum DEI verbum, aut humanis opinionibus inquinârunt, aut non ubiq; in agros ſuos derivârunt, aut etiam privato quodam & adulatorio animi affectu, vel timidâ veritatis diſſimulatione, ſcripſerunt: turbida multa & impura multa ſterilia & infrugifera, falſa deniq; & obſcura multa nobis reliquerũt. Verũ qui ultra has mundi nebulas ad ſcripturæ divinæ claram lucem mentis oculos attollunt, non tantùm Politiæ incunabula, ſed finem quoque illum perſpiciunt, propter quem omnis Politia. Nam poſtquam DEUS Optimus Maximus lapſis hominibus ſpem ſalutis in ſemine illo benedicto oſtendiſſet, & per Verbum ſuum, & Evangelij prædicationem ex cunctis Adami poſteris ſibi populũ

ſanctum reparare conſtituiſſet : ne benigniſſima hæc Dei erga homines voluntas et ſeria pacis cogitatio unquam in mundo oblivionis & ignorantiæ tenebris obſcuraretur. : DEVS hominum ſocietates & Politias inſtituit, ut non ſolùm amicâ & vicinâ plurium in eodem loco cohabitantium converſatione illa fidei & ſalutis prædicatio ad omnium notitiam perveniret, ſed etiam publica poteſtate inſtructus Magiſtratus divini hujus Verbi miniſterium publicè inſtitueret, promoveret, defenderet. Quòd igitur mundus, quòd imperia ſunt, & conſervantur, ſoli Eccleſiæ acceptum ferendum eſt : in quâ & ſalvandorum numerus demum completus finem huic ſeculo imponet. Hi iſti Atlantis non ficti humeri, quib. orbes cœleſtes hucuſq; ſuſtinentur: ne aſtrorum hominum perverſitatem ingratiſſimo tædio inſpectantium conſpirans indigna-

tio univerſum hunc terræ ambitum cum totâ ſceleratorum manu, ultricibus flammis dudum abſumſerit. Hæc Politiarum origo, hic finis, ut toti mundo abſq; divina revelatione manet incognitus: ita ipſarum inſtituendarum atque regendarũ leges non aliundè, niſi eodem DEO Doctore, intelliguntur. Etſi enim poſt lapſum in homine reſtet particula rationis & judicii in negociis ſeculi hujus moderandis: ſunt tamen notiones illæ admodum generales, mãcæ atq; corruptæ: ut, qui ex Philoſophorum libris perfectam Virtutum ac Politiæ ſcientiam ſe arripere poſſe ſperant, ii pro vero rerũ corpore vix umbrã conſequantur. Nec, me diuina humanis cõfundere, obiicias: nec ſuperbia tua humana divinis præponere aut æquiparare contendat. Quantò itaq; uberior ac limpidior fluxerit hic Iſraëlis fonticulus: tantò ple-

tò pleniorem ac puriorem habebimus Politicæ doctrinæ Virtutumque omnium hauſtum. Hoc jacto fundamento, porrò nil vetat animi cauſsâ ad Ethnicorum quoque confinia divertere, & quæ ab iis probè honeſteqúe, tum dicta, tum facta ſunt, obſervare: non quidem, ut vivendi normam omnibus numeris abſolutam ab illis petamus: ſed emicantes divinæ ſapientiæ in naturâ reliquas ſcintillulas in ipſis etiam Ethnicis agnoſcentes, noſtrã imperfectionem ex illorum tam illuſtri honeſtatis ſtudio ſeriò corrigere & quotidiè ſupplere ſtudeamus, qui non ſolo cæcæ rationis ductu, ſed fulgentiſſimè verbi divini præeũte faculâ umbroſas mundi hujus convalles in maximis imperiorum ruinis confidentiori pede perambulamus.

Major

Major verò ſententiarum conflictus de mediis oritur, quibus ad hunc pertingere ſcopum viâ compendioſiſſimâ poſſimus: quæ artis forma eſt. Sunt, qui politicam cùm tradere nobis talem debuiſſent, cujus præcepta generatim ad omnes omninò Politias rectè conformandas pertineret, ferè in eâ tantùm, in qua vixerunt, Republica, cogitationes defixerunt: aut privata opinione peculiare Reipublicæ genus ſibi effinxerunt: hinc & poteſtatis vim in magiſtratu omni alio, & ſubjectionis conditionem in quibusvis ſubditis æſtimantes. Quorum errorem redarguũt oppoſitæ Rerum publicarum ſpecies, quas in unam redigere formam non minus poſſis, quàm ex igni aquam efficere. Alii ſine ulla diſcretionis notâ cum præceptis Politiæ propriis virtutum ac vitiorũ tracta-

tractationem permiſcuerunt: quos Ethica manu conſertos, ex lege καθ' αὑτὸ, & lege καθόλου πρῶτον, ad tribunal methodi in jus vocat. Non pauci Politicam doctrinam in artem redigi certisque includi ac neceſſariis præceptis poſſe negant, propter diffuſam infinitamque ſui naturam in tanta actionum politicarum inexplicabili varietate & innumerabili copia. Id ſi de rerum generibus intelligunt, næ errant vehementer. Nam ſi ea, quæ à religioſiſſimis & ſapientiſſimis viris quotidiè in Republica optimâ ratione geruntur, nullâ certâ ſcientiâ nullâque perpetuò valiturâ dubitatorum principiorũ veritate ac conſtantiâ nitantur, quî eſſe certus quiſquam poterit, ſe conſiliis, factiſque ſuis, nuſquam à pietate, nuſquam ab honeſtate, digredi? O miſeras hominum mentes! ambigua conſilia! ingrata DEO opera

pera! quæ hâc dubitationis fluctuatione incertiſſimâ perpetuò agitantur. Neque divina Veteris & Novi Teſtamenti oracula, quæ omnibus & ſingulis hominibus, in quocunque vitæ genere, ſuam præſcribunt vivendi regulam, quemquam ex hac ſapientiæ ſchôla dimittunt ambiguè doctum: ſed quivis homo DEI integer, & ad omne opus bonum paratus, hîc perſicitur. At genera, inquis, diuina lex tantùm ſuppeditat. Et quis amplius requirat in ulla arte? Generum namq; pro naturæ ſuæ claritate ordine diſpoſitorum plena & conſtans doctrina, ad quorumvis ſingularium dijudicationem ſufficit: præſertim ſi actionum omnium cum virtute ſuſceptarum regina & moderatrix Prudentia accedat: quæ univerſalibus ſapientiæ immutabilis præceptis inſtructiſſima quid in unaquaq; actione fieri

 opor-

oporteat, probè intelligit, ac diſcernit: tum in rerum contingentium, quæ ſe uno ſemper habere modo non ſolent, dubiis momentis, ex circumſtantiis, perſonarum, loci, temporis, quod ſanctum. honeſtum, utile, accuratè ſeligit. Clariſſimā hanc methodi facem aureâ brevitate & artificio nobis alluxit Philoſophus juxtà ac Theologus cum ſummis comparandus Jeremias Nicolai in ſuis, quos de Theologiâ conſcripſit, libris: cujus me veſtigiis ferè ubiq; inſtitiſſe confiteor. Quod & ante me feciſſe video doctiſſimum virum Balthaſarem Hilcemerum, præceptorem ac profeſſorem in illuſtri Lavinganâ, amicum longè optimum in ſua Magiſtratus Politico-Chriſtiani διατυπώσει Theologicâ. Sed de Politia privata & [illegible] aliis, meam ſententiam aliàs, σὺν Θεῷ, explicabo aliter, & plenius.

Neque

Neque enim cuiquam diſplicere hîc adeò quidquam poſſit, atque mihi nunc pleraque. Verùm meminiſſe debent hæc adſpicere quicunque dignabuntur, collecta ea à nobis eſſe tempore, nec longo, nec ſatis opportuno: quantum ipſa rei dignitas atque difficultas quidem requirebat. Proindè æquanimitatem & candorem requiro, ſi quis in hiſtoria lapſus aut in ſenſu. Imò ſi quid in his DEI, *aut Magiſtratus, legibus ac majeſtati repugnans, unâ voce prædamno, indictumvè eſſe volo. Et quia ſuo quæq; loco proprio explicare ſtudui, non protinus omiſſum putandum, quod uno dici loco propter diverſas rerum ſedes, nec potuit, nec debuit. Exempla etiam ne tumultuariâ operâ temerè congeſta quis opinetur eò quòd majori interdum, numero adducta ſunt. Nam qui ſingula de*

la de eâdem re exempla paullò diligentiùs expendere & inter ſe conferre voluerit, vel in agendi modo, vel in perſonis, aut in loco, aut in tempore manifeſtam varietatem, novæq; circumſtantiæ explicationẽ ſemper animadvertet. Quo ipſo nõ modò præceptorum uſum ampliſſimè demonſtrare, ſed Hiſtoriarum quoque Studioſis modum oſtendere conatus ſum, quo ſingulas circumſtantias in hiſtorijs ad ſuum in Ethicis vel Politicis locum proprium, atque ita ad uſum & prudentiam referre debeant. Juvit hoc meum ſtudium vir linguarum cognitione uſuque rerum præſtantiſſimus Samuel Bernardus Genevenſis, amicus ſingularis, ſuâ, quam ſelectam habet, librisqúe politicis & hiſtoricis inſtructam, Bibliothecâ: cui & gratias hoc nomine publicè ago: & Nobilem Juventutem ipſius, de

Nobili

Digitized by Google

Nobili Politico Literato, ſcriptum, quod adornat elegantiſſimum, propediem exſpectare jubeo. Cæterùm ſi labor fortunam inveniat, nec pulcerrima ſtudia ad quæſtum transferre pleroſque cogat interpellans neceſſitas, in hoc quoque ſcriptionū Politicarum genere, quibus in rebus hum[illegible] nihil ſublimius, & pluria, e[...]atiora haberemus. Poſtremò, ut de bonis benè ſpero: ita malorum obtrectationes, cùm evitare nemo poſſit, ſpeno.

INDEX

INDEX CAPITUM.

I. De Politiæ & Politices definitione.
II. De Politiæ diviſione.
III. De Conjugio.
IV. De officio Conjugum inter ſe.
V. De officio Parentum erga Liberos.
VI. De officio Liberorum erga Parentes.
VII. De officio Seniorum & Juniorum.
VIII. De officio Domini & Familiæ.
IX. De Speciebus aliquot Rei Familiaris.
X. De Magiſtratus electione.
XI. De Succeſſione Magiſtratus.
XII. De Religioſo Magiſtratus officio.
XIII. De Legum latione.
XIV. De Legum Exſecutione per Judicia.
XV. De Bello.
XVI. De Diſciplina Militari.
XVII. De Tributorum Exactione.
XVIII. De ſpeciebus Magiſtratus.
XIX. De Prudentia Magiſtratus: & in ſpecie de Stratagematis: itemq; de Conſilio & Conſiliariis.
XX. De Pietate Magiſtratus.
XXI. De labore & diligentia, poſſeſſione, ſufficientia, frugalitate magiſtratus.

XXII. De

XXII. De Hilaritate, curâ Valetudinis Caſtitate, Conſtantia, itemq; de ſtudio bonæ Famæ, Magiſtratus.
XXIII. De Humanitate, Modeſtiâ, Veracitate, & ſtudio Concordiæ, Magiſtratus.
XXIV. De Humilitate, Miſericordiâ, Beneficentiâ, Amicitiâ, Magiſtratus.
XXV. De Gratitudine, & Juſticia, Magiſtratus.
XXVI. De Obedientiâ ſubditorum.
XXVII. De Amore, & Honore ſubditorum erga magiſtratum.
XXIIX. De Oneribus Publicis ſubditorum.
XXIX. De ſpeciebus Rerumpublicarum.
XXX. De Domo & Civitate: ubi de Ditione.

STANCES SVR LE PRESENT OEVVRE.

I.

VOyez ce vif tableau, où vous trouuerez peinte
Du politic l'idee, où ſa perfection
De viſues couleurs eſt naturellement teincte,
Qui ſont l'art d'équite, & l'art de la raiſon,
Ioinct l'Ethique, l'Hiſtoire, & les fleurs d'oraiſon,
Et qui le tout parfait eſt la ſcience ſaincte.

II.

SI digne eſt de laurier vn ſi riche aſſemblage,
De quoy digne en direz l'induſtrieux ouurier,
Qui pour vn coup d'eſſay de ſon apprentiſſage
Vn ſi exquis chef d'oeuure eſt venu deſployer?
Dites donc qu'en tãt d'arts il n'eſt plus eſcolier,
Mais d'vn maiſtre paſſé la vraye & viſue image.

AD MOMUM.

CUM nil MOMUS agat, carpit tamen omnia MOMUS:
Hoc unum MOMUS, quód reprehendit, agit.

Exue

Exue livorem, quid MOME venuſtius illis?
Indue livorem, Non, ais, iſta placent.
Aut iſthæc poſito mentis livore probabis,
Aut aliquid melius, (ſi potes) MOME, dabis.

Samuel Bernardus Genevenſis

ALIVD.

Ponti neſcius & furentis Auſtri,
Et quo ſidere Pleiades ferantur,
Infelicia vela pandit auris,
Pœnas in mediâ daturus undâ.
Longus accola littoris marini
Multorum, Friderice, navigantum
Curſus conſilii ſalubrioris
Curſus conſilii ſiniſtrioris,
Ceu quadam ſpeculâ intuens notaſti.
Imprimis oculis quòd irretortis
Diûm ſidus Orionis Supremi
Spectaſti Pietatis æſtimator
Cœleſtis docuit Quadrantis uſum:
Cuius munere tranſiturus olim
Civiles dubia alea procellas
Recto limite, quà vocat Iehova,
Prudenti moderatione lembus
Infamem effugiat maris Charybdim.

Pro amicitiæ renovatione ante triennium Spiræ contractæ Argentinam tranſiens ſcripſit viro clariſſimo Zachariæ Friderico Regimontano

P. De la Touche Aquitanus.

Digitized by Google

POLITICORUM LIBER.

DE POLITIAE ET POLITICES Definitione.

CAPUT I.

POLITIA eſt ſtatus hominum in conſociatione poſitus, ad communionem vitæ civilis. Ejus doctrina Politica dicitur, nempè ars Politiæ.

Nomen habet à πόλει primâ & potiſſimâ publicæ conſociationis humanæ ſede: at per ſynechdochen ejus ſignificatio ad omnem omninò vitæ inter homines ſocietatem extenditur: quo ſenſu Cicero *3. de LL.* nec ullam quidem domum conſiſtere ſine imperio poſſe, dixit.

A Cauſſa

Cauſſa Politię efficiens DEUS eſt, rerum omnium conditor ac ſervator, qui conjugium, tanquam fundamentum ac ſeminarium omnis Politiæ, inter homines primus ſanxit *Geneſ. 2. v. 22.* & adhuc conjugia dirigit *Matth. 19. v. 6. Proverb. 19. v. 14. Joh. 2.* Iisdem non ſolùm fœcunditatis donum indidit, ex quo Liberi DEI donum dicuntur *Gen. 4. v. 25. c. 16. v. 2. c. 20. v. 17. 18. c. 25. v. 21. c. 29. v. 31. c. 30. v. 22. c. 48. v. 9. Ruth. 4. v. 13. 1. Sam. 1. v. 19. & 27. c. 2. v. 21. Pſalm 113. in f. & 127. v. 3. 4. Eſa. 66. v. 9.* Dominorum poteſtatem in familiam confirmat. *Exod. 21. v. 2. Deuter. 5. v. 12. & ſeqq. Syrac. 33. v. 26. & ſeqq. Epheſ. 6. v. 5. & ſeqq. Coloſ. 3. v. 22. & ſeqq. Tit. 2. v. 9. & 10. 1. Pet. 2. v. 18.* Sed & terræ dominium ac imperium tradidit, *Gen. 1. v. 28. & cap. 9. v. 1. 2. 7.* Judicia ipſe inſtituit *Proverb. 8. v. 15. Deut. 1. v. 17.* quibus & ipſe præeſt, *2. Chron. 19. v. 7.* Magiſtratui vim gladii conceſſit *Geneſ. 9. v. 6. Sap. 6.* qui & inde DEI miniſter dicitur. *Rom. 13. v. 1. & ſeqq.* Imò & Dii *Exod. 21. v. 6. Pſal. 82. v. 1. & 6. Johan.*

ban. 10. *v.* 34. 35. Sed & DEO ſuprema poteſtas ſupremumque judicium ſuper omnes poteſtas ac judicia competit: hinc dominus dominorum & rex regum dictus. *Deut.* 10. *v.* 17. *Daniel.* 4. *v.* 14. 22. 29. *cap.* 5. *v.* 21. *Eccleſ.* 5. *v.* 7. *Sap.* 6. *v.* 7. *& ſeqq. Job.* 34. *v* 19 *& ſeqq.* Regna enim & imperia omnia in manu DEI. 1. *Reg.* 11. *v.* 32 *Job.* 12. *v.* 18. quæ transfert & mutat. *Dan.* 2. *v.* 21. *Jerem.* 27. *v.* 5. *& ſeqq.* Senſit hoc Democritus Philoſophus, qui DEUM omnia agnoſcere, omniaque mortalibus, & dare, & auferre poſſe, ſtatuit: quippe qui Rex omnium ſolus ſit. *Fr. Patrit. de Regis inſt.* 8. *c.* 16. agnovit. M. Aurelius Imperator, qui, annotante Bod. *lib.* 1. *de Rep. c.* 8. dicere eſt ſolitus: Magiſtratus quidem ipſos de privatis, Principes de Magiſtratibus, DEUM autem de Principibus decernere ac judicare. Bellandi etiam dexteritas à Deo eſt, *Pſal.* 18. *v.* 35. *& Pſal.* 144. *v.* 2. Et bellorum, quæ in Rep. geruntur, director DEUS eſt *Levit.* 26. *v.* 25. *Jud.* 2. *v.* 14. 1. *Reg.* 8. *v.* 33. *Jerem.* 5. *v.* 15. Ideoque nec inconſulto

Deo fœliciter ſuſcipiuntur *Judic.* 1. *v.* 1. *& c.* 20. *v.* 18, 23. 28. 1. *Sam.* 14. *v.* 37. *& c.* 28. *v.* 5, 6. *& c.* 23. *v.* 2. *c.* 30. *v.* 8. 2. *Sam.* 5. *v.* 19. nec repugnante Deo bonum finem ſortiuntur. *Num.* 14. *v.* 42. *Deuter.* 1. *v.* 42. 1. *Reg.* 22. *v.* 17, 35. Victoriam namq; omnem Deus largitur *Gen.* 14. *v.* 20. *Exod.* 23. *v* 27. *Deut.* 7. *v.* 20. *& ſeqq. Joſ.* 6. *v.* 2. *c.* 10. *v.* 8. 14. 42. *c.* 11. *v.* 6. *c.* 23. *v.* 9, 10. *c.* 24 *v.* 8. *& ſeqq. Jud.* 1. *v.* 2. *c.* 3. *v.* 10. *& locis infinitis aliis.*

Naturâ porrò homo non modò ad generis ſui propagationem, ſed etiam congregationem, ac ſocietatem cum hominibus aliis, occultis quibusdam ſtimulis impellitur: longè magis quàm apes, formicæ, grues, ſturni, & ejusmodi animantia alia, quæ gregatim aluntur, gregatimq; ſe tuentur, docente Ariſtotele 1. *Polit.* 2. Mox etiam humanæ indigentiæ neceſſitas idem poſtulat: quæ ad ſui conſervationem non minus carere homine poteſt, quàm aëre, terrâ, aquâ. Nam & rerum, & laborum communicatione mutuâ omnes indigemus, & adverſus incurſiones ferarum

ac

ac violentiam hominum aliorum conjunctione opus eſt.

Cui denique Ratio in homine accedit: quæ illam naturæ vim ſola intelligit, maturoq; judicio ac publico omnium gentium ac populorum conſenſu ſocietatem politicam appetit, certis legibus & præceptis prudenter informat, ſuſcipit, excolit.

Ex hominibus vero, tanquam materiâ, Politia conſtituitur.

Forma Politiæ eſt ipſa conſociatio certis mutuorum officiorum inter homines regulis conformata.

Finis eſt communio vitæ civilis: quæ Sacrorum, Rerum ac Jurium communicatione conſtat.

Sacra ſunt verus DEI cultus verbo DEI præceptus. Cùm namq; homo per lapſum, unà cum vera DEI noticia, ſalutem ſimul omnem amiſiſſet, ſeſe eidem DEUS iterum per verbum patefecit, viamq; ac reditum ad ſalutem commonſtravit. Atq; ut tanta cognitionis lux, tantumq; bonum in hominum genere perpetuò vigeret, DEUS conſociari ho-

ri homines voluit, ut non modò ſinguli de eo ſe admonerent invicem, ſed publicum etiam docendi miniſterium introduceretur. Hinc pius Vates, Ut, inquit,

alios alij de relligione docerent,
Contiguas pietas juſſit habere domos.

Rerum appellatione omne auxilium comprehendo, quod ſibi ejusdem Politiæ conſortes prętant. Nam ut Politię cõſerventur, quivis ſocius & opem & operam conferre ſuam tenetur.

Jura deniq; ſunt certæ leges & mutua ad officium faciendum obligatio.

Quas communionis in vita civili partes omnes, quæcunque Politia continet, ea demum finem ſuum plenè cõſecuta eſſe cenſetur: dubiumque eſt nullum, quin in ea homines piè ſimul, honeſtè, tranquillè ac fœliciter degant, perfectum uberrimumque conſociationis ſuæ fructum & in hoc & in altero ſeculo percepturi, ſi in fide ſalvifica & pietate permanſerint.

Pariter

Pariter ſine iſthoc Politica hominum conſociatio à furum, latronum, piratarum, & ſimilium vitæ, quæ in civili communione vivitur, hoſtium & turbatorum maleficâ ſocietate ſecernitur.

DE POLITIAE DIviſione.

Caput II.

Neque verò Politica conſociatio hominum ad communionem vitæ civilis unius-modi eſt: nec natura nos rectâ viâ ad publicam illam Magiſtratus & ſubditorum conſociationem progredi patitur, ſed privatam quandam adhuc priorem oſtendit: quę illius quaſi quoddam ſeminarium ſit & ſcaturigo. Neque enim hominum in unam Rempublicam coëuntium multitudo uno quaſi momento erupit: ſed tenui origine primum in liberos, deinde in familias, porrò mutuâ gignentium &

naſcentium continuatione tantum in numerum, tantamq; excrevit frequentiam. Ut igitur in arbore innumerabilis foliorum copia ad ramos, hi ad truncum, truncus ad radicem deducit: eodem ordine tot hominum in Republica nunc viventium conſociatio nos ad primam radicem inveſtigandam quaſi manu ducat: ex qua illa multitudo ſuppullulavit, &c. à qua adhuc hodiè alitur & ſuſtentatur. Hæc Oeconomica illa ſocietas eſt, quæ conſtat privatâ civilis vitæ communione: in qua & ipsâ mutuus quidam imperantium & parentium ordo conſpicitur. Sic uxor Marito, liberi Parentibus morē gerere diſcunt, privatæque obedientiæ freno ad publicam diſciplinam præparantur. *Patricius 4. de Repub. 2. Bodin. 1. de Rep. 2.*

Sic igitur duæ ſunt Politiæ ſpecies: quarum una Oeconomica & privata, altera Civilis eſt, & publica.

DE

DE CONJUGIO.

Caput III.

Est autem Oeconomica illa conſociatio primò Conjugum inter ſe, tum Parentum & Liberorum: ac deinde Seniorum & Juniorum, tum Domini & Familiæ. Conjuges ſunt, qui vivunt in conjugio. Conjugium eſt legitima unius maris & unius fœminæ cōjunctio, ad ſobolem procreandam. Mas in conjugio vocatur Maritus, fœmina Uxor.

Hanc primam in mundo cōſociationem, reliquarum omnium fontem eſſe, ſacra Scriptura ꝓbat, Politici ſaniores fatentur. *Gen. 2. Cic. 1. Offic. Bod. 1. de Rep. 2. P. Greg. 19. de Repub. 1. num. 7. Danæus 1. de Rep. 3. Plato 4. de LL.* Inde enim prodierunt, qui primi Magiſtratus & Subditorum nomen & officiū in mundo geſſerunt: inde adhuc quotidiè prodeunt, qui vitâ functorum atq; decedentium magiſtratuū & ſubditorum lacunas naſcendi ſuccedendiq; viciſſitudine explent. Ut non immeritò præ-

mia illis propoſita, privilegia & immunitates conceſſæ, qui ſuam Reipublicæ operam in procreãdis liberis quàm plurimis non ſubtraxiſſent, pœnis animadverſum in eos, qui cœlibem vitam peregiſſent. *P. Gregor. 14. de Rep. 1.* Liberorum numerus patribus in ſententiis dicendis, in petitione Magiſtratus aut officii alicujus, primas, *Appian. lib. 2. de bel. civil.* in Theatro, honoratiorem locum *Sueton. in Auguſt.* annua munera, *Herod. lib. 1.* liberationẽ ab excubiis apud Spartanos, ſi tres maximè eſſent, immunitatẽ ab omnibus publicis officiis, ſi quinq; *Ariſt. 7. Pol. 7.* & à tutela & cura, ſi tres ſuperſtitẽs eſſent Romæ, vel in Italia quatuor vel quinq; in Provincia *Inſt. de excuſ. tut. in pr. tot. tit. C. qui num. lib. ſe excuſ.* à legationibus, cõciliavit. *l. 1. C. de Legat.* De maritandis ordinibus legem Romæ tulere Q. Metellus Numidicus cẽſor, & poſtea Jul. Cæſar, deinde Auguſtus: ut hi quib. vigor juvenilis foret primo flore ætatis ad uxores ducendas, liberosque educandos, propagandamque ſobolem, non ſolùm præmiis

invi-

invitati, ſed pœnâ deterriti, cogerentur. *Alex.lib.4.c.22.* Furius item Camillus cenſor, ut exhauſtæ civitati, propter aſſiduas bellorum clades, cives ſuppeterent, pœnis coërcuit illos, qui viduarum nuptias, quarum viri bello ceciderant, devitarent. Eos verò, qui ad ſenectutem cœlibes pervenerant, æra pœnę nomine ad ærarium ferre juſſit, iterum puniri dignos, ſi quo modo de tam juſta conſtitutione queri ſunt auſi, cùm in hunc modū increparentur: Natura vobis quēmadmodū naſcendi, ita gignendi legem ſcribit, parētesq; vos alendorū nutriendorumq; nepotū debito (ſi quis eſt pudor) alligaverūt. Accedit etiā iis: quòd in fortuna longā pręſtādi hujuſce muneris vacationē eſtis aſſecuti: cū interim cōſumti ſunt anni veſtri, & mariti, & patris nomine, vacui. Ite igitur & nodoſam exſolvite ſtipē, utilē poſteritati numeroſę. *Val.max.l.2.c.4. Plut.in Camil.* Spartæ, ex Lycurgi inſtituto, arcebātur à ludis & ſpectaculis, & cōviviis publicis, q uxores ducere nollēt. *Plut. in Lycurgo.* Etiam actio contra illos dabatur,

batur, qui aut nimis ſerò, aut inhoneſtum matrimonium contraxiſſent. *Jul. Pollux lib. 8. in Onomaſt.* Platonis inter alias hæc quoque lex eſt: ut qui triginta annos habuerint, & ſine matrimonio vivere perrexerint, ſingulis annis mulctæ loco, drachmas aliquot numerare cogãtur. *6. de LL.* Atheniẽſes etiã ſeverius: apud quos, die quodã feſto, cælibes à mulieribus circum aram tracti, flagris cęſi fuerunt. *Jul. Scaliger lib. 3. de re poët.*

Si quis tamen in ætate deſponſationi maturâ caſtè vivat, donoque continentiæ prędıtus animum ad matrimonium non applicet; eum ad nuptias cogi, aut puniri, religio Chriſtiana non permittit. 1. *ad Cor.* 7. Ea propter, cùm in Nicęno concilio quidam ex Epiſcopis novam conſtituere legem vellent, ut Epiſcopi, Presbyteri, ſacerdotes, diaconi, uxores, quas, dum Laici eſſent, duxerant, repudiarent; Paphnutius confeſſor, ipſe etiam civitatis cujusdam in ſuperiori Thebaide Epiſcopus, ſolus diſſuaſit; cùm alioquin caſtitatis obſervãtiſſimus eſſet: & Patres in ſuam pertraxit

xit ſententiam:ut,qui uxores haberent, eas retinerent: qui non haberent, ſiquidem per carnis ſtimulum integrum illis eſſet,cęlibes viverent. *Theodoret. lib.1.c. 7, Sozomen.lib 1.c.10.& 23.& lib.2. c.25.*

Ad Conjugium verò duo requiruntur:&,ut perſonæ ſint idoneæ,&, ut officio ſuo conjugiali rectè fungantur.

Idoneæ judicantur perſonæ, ex conſenſu,& pręterea naturâ. Cònſenſus nō tantum ipſarum perſonarum jungēdarum, ſed & parentum requirendus. Ut perſonæ, earumque parentes, conſentiant, ratio naturalis, & ipſum Dei verbum poſtulat. *P. Greg. 9. de Rep. 1. n. 50. Exod. 22. v.17. 2. Samuel,* 13. *v.* 13. 1. *Cor.7. v.36. & ſeq. Jerem.29. v. 6.* Qui verò parentum vices gerunt, ut tutores & curatores, horum conſenſum,ſi non ut neceſſarium, ſaltem ut honeſtum, poſtulamus. Sic Agar filio Iſmaeli ipſamet dat uxorem. *Geneſ.* 21. *v.*21. Ex conſenſu Parentum contrahit matrimonium Jacob *Geneſ.* 28. *v.* 1. & 2. Sichem *Gen.34.v.4.* Ger *Geneſ.38.v.6.* Michol, 1. *Sam.*18. *v.*21. & 28. Tobias Saram

uxorem à Parētibus ejus impetrat *Tob. 7.v.10.* Eliezer, ſervus Abrahami petiturus herili filio Iſaaco uxorē Rebeccam, ea de re priùs compellat Parētes & Fratrē virginis: poſtmódū & ipſius puellæ cōſenſus auditur, *Geneſ.24.* ſicuti David Abigail ducturus prius ejus volūtatem explorat *1.Sam.25.v.40.* In virum ſe cōſenſiſſe Sara dicit, *Tob.3.v.18.* Simsō Dalilam uxorem ſibi à parentibus dari petit, *Judic.14.v.2.5.& 10.* Fuit antiqui moris, ut qui uxorem ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, eam in matrimoniū datum iri ſtipularetur: idq; qui nuptum daturus erat, ſponderet: qui contractus ſtipulationum ſpōſionumq; dicebatur ſponſalia: unde etiam ſponſi ſponſæque nomen ductum. Nudus hic conſenſus, etiam absq; ſcriptura, ſufficiebat: licet in tabulas ut plurimùm ſponſalitiæ cōventiones referrētur, &, ſponſaliorum arrha, ſponſæ à ſponſo daretur annulus. Sponſalia ſequebantur Nuptiæ: quibus ſponſa in ſpōſi poteſtatem veniebat, & uxor fiebat. *B. Briſſon. de rit. nupt.* Apud Indos Parentes nubiles filias in cœtu præſtan-

præſtātiſſimorum juvenum producūt, exque illis virū ſibi deligūt, q̄ fortitudine, curſu, pugnâ, aut ſpecie corporis cęteris antellaret; nullâq; dote exhibitâ, quem ſibi illæ virum delegiſſent, ſponſum eſſe patiebātur: *Alex. li. 1. c. 24.* Maſſilienſes filiarum ſuarum nuptias ita inſtituebāt. Oportebat puellam poſt cœnam ingredi, phialam miſcere, ac, cuicunq; ex præſentib. procis mallet, porrigere. Cui ea porrexiſſet, is erat ſpōſus. *Athenæus li. 13. Dipnoſoph cap. 13.* Aſſyrii & Perſæ acceptâ invicemq; datâ dextrâ fœdus matrimonii ineunt, quemadmodum & Germani. *Alex. li. 2. c. 5.* P. Scipio Africanus, Senatus Romani autoritate & ſuaſu, in Capitolio, minorē ex filiab. Tib. Graccho, trib. pl. à quo eo ipſo die defenſus erat, deſpōdit: ſed domum rediens, cùm uxori novam affinitatē nunciaſſet, indignata mulier dixiſſe fertur: non debuiſſe eum inconſultâ matre filiā deſpōdere, etiamſi Tib. Graccho locare potuiſſet. *Autor vitæ Scipionis.* Jalchlevenſes Libyes, (ſive, ut Alexander habet, Talchei) cùm multi uxorem

unam

unam ambiunt, apud Curatorem ejus cœnant, & ſingulis varia dicteria narrantibus, cuicunque mulier arriſerit, illi cohabitat. *Stobæ. ſerm. 42. ex Nicolai de Gent. morib. hiſt.*

Sed nec plures, quàm unus mas & una fœmina cōſentire in matrimonium rectè poſſunt. *Matth. 19. v. 4. & ſeqq. 1. Cor. 7. v. 2. Patric. 4. de Rep. 3.* & pœna capitis meritò cōſtituta in eum, quicunq; eodem tempore in pluribus matrimoniis vixerit. *Conſtitut. crim. Carol. art. 121. Weſemb. Inſtit. de Nuptiis.*

De Conſenſu autem illo conſtare oportet, adhibitis idoneis teſtibus: ut cōjugio ſua perſtet irrevocabilis firmitas: quam ſartā tectam ſervari, matrimonii reverentia, ac turbarum & confuſionis in Rep. metus, omninò ſuadet. Illa conſenſus cōteſtatio hodiè publicis fieri in templis ſolet, ſolēni nubētium per miniſtrum Eccleſię ordinarium denunciatione, & copulatione. Cui planè cōſentanea in gentium hiſtoriis legimus nuptias publicâ celebrantium feſtivitate. Apud Romanos ſponſa domo egrediebatur

batur præcedente tibicine, & eo, qui canit Hymenæum, officio frequenti affinium ſtipata. Duo patrimi & matrimi pueri eam tenebant: tertius cãdidâ togâ amictus anteibat, qui facem accenſam præferebat ex pino alba: quâ prælucente ad virum nupta deducebatur. Ingrediente illâ Talaſſio magna voce clamabatur. Etiam juventus cum nucib. aderat, quas cum ſtrepitu, fremitu, cantu, ſpargerent. *Scalig. 3. poët.* 100. Similiter apud Græcos nuptias cantib. & choreis palàm peractas Ariſtophanes, *in avibus*, & Plato, *in Gorgia*, confirmant. Adhæc veteribus Nymphæa domus publicę erant, in quibus ſolebãt nuptias celebrare ii, qui anguſtiores habebant domos, quàm ut hominum multitudinem caperent. Et eæ erant cõjunctę domib. maximis, in quib. Senatꝰ celebrabatur: ut apertiſſimè docet Zonaras *in Leone I.* ubi crudele & horrendum Conſtãtinopolitanum incendium deſcribit. *Cuſpinian. in Valente.* Nam & qui uxorẽ duxerat, antequam liberi naſcerẽtur, teſtibus adhibitis, in nuptiis dabat aliquid

Curia-

Curialibus convivii loco. Hoc munus *γαμηλία* vocabant. *Suid.* In Anglia duo pueri, velut paranymphi, i. e. auſpices, qui olim pro nuptiis celebrandis auſpicia capiebant, nubentem ad templum, ubi ei, & marito, ſacerdos benedicat, & inde domum duo viri deducunt, & tertius, loco facis, vaſculum aureum vel argenteum præfert. *Polydor. lib. 1. de rer. invent. c. 4.* Aliter Lappones, qui nuptiis per ignem celebratis, ſpõſam rangifero, quaſi cicurato domeſtico cervo, amicorum inſigni catervâ ſecundum familię excellentiam comitatam, agnati imponunt; atq; ita in thalamum, vel tentoria, inter tripudia, fœcunditatem & ſanitatem precantes introducunt. *Olaus lib. 4. Septent. reg. c. 7.*

Ut naturâ idoneæ ſint perſonæ, tria requirimus: ætatem, generandi facultatem, ſanguinis diſcretionem.

Ætas judicatur primò ex annis, deindè etiam ex requiſitis ad Oeconomiam neceſſariis.

Annorum numerus certus definiri non poteſt: id tamen opera danda eſt; ut

ut annorum numerus ætatem maturã, & ad generandum validam demõſtret, 1. *Cor.7. v.36.* Ita Lycurgum certum tẽpus nuptiis præſtituiſſe, ut fœtus ex adultis validiores procrearentur, Plutarchus *in apophthegm.* author eſt. Et Germanos olim in turpiſſimis poſuiſſe Cornelius Tacitus de ipſorum moribus refert: noticiam fœminæ ante vigeſimum annum habuiſſe. *Cæſar lib.6. de bello Gallic.* Ægyptii trigeſimo, Lacedęmonii vigeſimo quinto, Solon trigeſimo ſexto, Ariſtoteles anno decimo octavo fœminas, viros trigeſimo ſexto, matrimoniũ cõtrahere voluit. *Xenoph. in Spart. Rep. Plut. in Lycurg. Philo lib. 2. de opific. mundi. Ariſtot. 7. Polit.16.*

Requiſita ad Oeconomiam neceſſaria in fœmina deſcribuntur, *Proverb.31. v.12. & ſeqq.* deſiderarunt Cretenſes, q domum abducere uxores non permiſerũt, antequam puellæ rem curare familiarẽ didiciſſent. *Strabo lib.* 10. à marib. poſtularunt Carmani: apud quos nemo ducere uxorẽ prius eſt auſus: quàm hoſtis caput amputatũ ad Regem pertuliſſet

liſſet. *Strabo lib.* 15. Heſiodus, *in Operibus*, Domum & bovem aratorem ad matrimonium ineundum adferri vult: ejus verba hæc ſunt: οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα.

Generandi facultas quòd adeſſe in pſonis conjugādis debeat, ex fine matrimonii apparet, qui eſt ſobolis procreatio, & generis humani ꝓpagatio, itemq; vagarum libidinū fuga. 1. *Cor.* 7. *v.* 2. idq; leges Romanæ comprobant. *l. in cauſis* 10. *C. de repudiis. l. ſi ſerva* 39. *§.* 1. *D. de jure dotiū.* Ex quibus colligitur, q̄d de ſenium aut vetularum nuptiis ſentiēdum ſit: quorum frigida eſt & ſicca, ideoq; ad matrimonium inepta, ętas: niſi naturæ leges violandæ ſint. *Ariſtot. de long. & brevi vita. Plato* 1. *de Rep. Plut. in Solon.* Idq;, opinor, cauſę fuit, cur lege Papiâ & Pompejâ ſexagenariis, & ſupra eam ętatem, uxores ducere olim vetitū. Turpe enim viſum eſt, & fœdiſſima res ſenectuti: ut, quibus ad eam ætatem ſors liberos dediſſet, aut cœlibes vixiſſent, his quaſi emeritis, ætate affectâ, aliunde liberos quærere libido foret, Quanquam

hæc

hæc Claudius Cæſar pòſt ſuſtulerit. *Alex. lib. 4. c. 22.*

Deniq; & Sanguinis ratio ac diſcretio in matrimoniis habẽda eſt: quod etſi mundi principio obſervari aliquã diu nõ potuit; poſtmodum tamẽ, auctis familiis & longè lateq; diffuſis, neceſſitas illa deſiit: demumq; lex divina lata eſt, quæ certarũ perſonarum commixtionem vetat. *Levit. 18. & 20.* quæ ſunt etiã naturæ leges omnes gentes obligantes. Idemq; Ethnici ſaniores ſenſerunt: Plato *5. de Rep.* partus ex inceſtuoſis nuptiis natos ne ali quidem vult; Xenophon quoq; *lib. 3. de dictis memorabil.* legem hanc eſſe latam divinitus, ſcribit: ut nõ miſceantur parentes cum liberis, nec hi cum illis: cum quibus leges Civiles cõſentiunt. *Inſt. de Nuptiis §. 2. & ſeqq. toto tit. Cod. de inceſt. & inut. nupt. Nov. 12.*

Cętera, nempè genus, & familia, opes, & divitię, formę venuſtas, ac pulchritudo, veſtium ornatus, & ſplẽdor, cùm de eſſentia matrimonii nõ ſint, & plus fortunę contineant: ideoq; in fœminis tàm ſpectanda nõ ſunt, quàm ante omnia animi

nimi & corporis dotes ad matrimonium atq; rem familiarem neceſſarię. Cętera ſi prætorea adſint viro Politico in Repub. non ſemper negligenda, ſed ex ſtatu, dignitate, officio, quod tenet, & circumſtantiis aliis, dimetienda ſunt. Religionis ſimilitudinem in cõtrahendo matrimonio quærendam ſincerum pietatis ſtudium flagitat. *Conſule Dn. M. Junium in quæſt. Polit. 31. & ſeqq.*

DE OFFICIO CONJUgum inter ſe.

Caput IV.

Homines ſinguli in ſe cõſiderati, ſicuti natura nullam cõditionis & officii inter ſe differẽtiã agnoſcunt, ſed omnes ęquali jure cenſentur: ita poſtquam Deo duce, & naturalis rationis judicio, certas inter ſe cõſociationes conſtituere ac ſectari, peculiarem quoq; laborem pro ſuo quiſq; ſtatu ac cõditione vitæ amplecti ceperunt. Hoc officium eſt, unicuiq; in ſuo vitæ genere incumbens: quod ut cõſociationum

Politi-

Politicarum ſpecies diſtinguit: ſic & illo rectè cōſtituto, hæ optimè ſibi conſtabūt. In numerando unus atq; idē numerus prout alium atque alium cæteros inter numeros locū ab Arithmetico adſignatū occupat, ſic decuplò, aut cētuplo, aut etiam millies tantū, quot unitates continet, valet: per ſe alias ultra naturalem valorē ſuum nil habiturus. Simili modo cōſociationis inter homines genus, quod quiſq; arripuerit, alias atq; alias officii partes eidem imponit: ſine quarū obſervatione in ea, quā ſuſcepit, vitæ conditione haudquaquā perſiſtet: ſed, ſiquidem eodem in conſociatione cum aliis, jure vivere voluerit, quo extra illam victurus erat: omnē omninò inter homines conſociationem tolli neceſſe eſt, abſq; hac officiorum diſtinctione nullatenus diſtinctā futuram. In omni ergo conſociatione Politica leges officii proprii ante omnia probè ſervari oportet: quæ cujuſq; conſociationis potiſſima pars ſunt.

Conjugio itaque à perſonis idoneis inito & perfecto, ut ſuum quæq; officium

cium faciat, porrò opus eſt. Sunt autem officia illa Conjugum inter ſe, vel utriusq; communia, vel alterius propria.

Communia conſiſtunt, tum in amore, tum in familiari cohabitatione.

Amor debet eſſe mutuus & intimus, impollutus & conſtans, *Epheſ.5.v.25.28, 33. Tit. 2. v. 5.* Summus enim amicitiæ grad9 eſt in cōjugio. Et maritalis amor, inquit Bod. *1. d. Rep.3.* omnes omnium amores & amicitias ſuperare debet.

Familiaris cohabitatio complectitur communionem victus, corporis, laborum, & honorum. *2. Samuel 12. v.3, 1, Cor.7. v.3. & 4 Epheſ.5. v.29.*

Utrumque gentium hiſtoria confirmat. Apud Romanos cùm cæteræ donationes inter virum & uxorem prohiberentur: annulus tamen ſponſæ dono mittebatur à viro qui pronubus dictus: is enim erat ferreus & ſine gemma: priſca videlicet ſecula, & antiq. victus parſimoniam, ac frugales mores deſignās: vel gēma aberat, ut rei deſcriberet ſimplicitatem: materia ad cōſtantiam ſpectabat: forma annuli ad perpetuā junctionem

ctionem. Quò etiam reſpexit, aqua & ignis Romanorum, quem Conjuges ſpõſione perfectâ tangere jubebantur: aquâ etiam nova nupta adſpergebatur: quaſi eo fœdere, inexpiabili vinculo, & mutuo nexu forent copulati. Hęc enim elementa ſunt prima naturæ: quibus vita victuſque communis conſtat: & quibus, qui extorres ab hominum cœtu eſſe jubentur, legib. interdici ſolet; uti Varro ſcribit & Feſtus & Plutarch. in Problem. nempè quòd generationis cauſa in calore & humore poſita ſit. Lapponum ſeptentrionalium nuptiæ conjunguntur igne per chalybem è duro ſilice excuſſo: ut ſymbolicè conjugialis amoris occultam ſed vividam flammam & communium liberorum productionem, denotent. *Olaus lib.4. Septent. reg. Ziegler. in Scondia.* Apud Galatas in Sponſalibus eodem poculo vir & uxor ſimul bibebãnt ut communi more oſtenderent: eas nuptias probè contractas eſſe: in quibus tanta eſſet conjugum concordia: ut perpetuò communis cibus & potus grata ſint. Apud Græcos, Macedonas, Thra-

ces, Triballos, Pæonas, panē gladio diviſum, ſponſum & ſponſam, cum ineunt ſponſalia, guſtare ſolenne fuit. *Alex. libr. 2. cap. 5.* Junoni nuptiali τῇ γαμηλίᾳ vel τελείᾳ ἥρᾳ rem divinam cum facerent veteres: è victima fel exemtum poſt aram abjicere moris fuit receptiſſimi: innuente (opinor) ejus, quiſquis fuit, autore: bilem prorſus iramvè à conjugiali ſequeſtrandum jucunditate. Ut enim vini, ſic & matronæ auſteritas, utilitatis plurimùm, amarulenti nihil interfuſum habere congruenter debet. *Cal. lib. 28. c. 21. ex Plut. præcept. connub.* Ideoque etiam Mercurium juxta Venerem in nuptiis collocabant; veluti innuerent nuptialem voluptatem ratione aptoque ſermone inprimis indigere; itemq; Suadelam & Gratias: ut, quæ voluntas ferebat ab alterutro ſine pugna, citraq; contentionem ullam inducti tranſigerent. *Cælius d. l.* Romani uxoribus primùm domum ingredientibus claves tradiderunt: ut ipſas matresfamilias eſſe, atque omnem rei quæſitæ à viro poteſtatem habere ſignificarent. Hinc Cicero *2. Philip.*

Philipp. ut fœdiorem notam inureret turpiſſimo viro, indicat turpitudinem hominis, cùm oſtendit: eum mimæ claves, amicæque ingenuarum mulierum, legitimæque uxoris inſigne, conceſſiſſe. *Victorius lib. 2. var. lect. c. 2.* Germani olim munera Sponſis boves & frænatum equum & ſcutum cum framea, gladioque obtulerunt: ut ipſis incipientis matrimonii auſpiciis admoneretur mulier: venire ſe laborum periculorumque ſociam: idem in pace, idem in prælio paſſuram auſuramq;: hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant: ſic vivendum, ſic pereundum. *Tacit. de moribus German.*

Propria cujuſque conjugis officia ſunt, aut mariti erga uxorem, aut uxoris erga maritum.

Mariti erga uxorem officia peculiaria ſunt: tum, ut mulieri dominetur, tũ, ut eandem tueatur.

Dominatur maritus uxori imperãdo, leniter tamen, non iracundè, non aſperè. *Gen. 3. v. 16. 1. Corint. 14. v. 34. Epheſ. 5. v. 22.*

& ſeqq. ad Coloſ. 3. v. 18, & ſeq. 1. Petr. 3. Apud Iſraëlitas uxor, contradicente marito, nullo ſe obſtringere voto poterat. *Num. 30. v. 7. & ſeqq.* Romanorum ſponſæ caput haſtà gladiatoris, quæ in corpore mortui ſtetiſſet (Cælibaris dicta) comam ornabant, & frontem à coma ſecernebant: quòd nuptiali jure nubentes viri imperio ſubjiciantur; quia haſta armorum & imperii ſumma eſt. *Plut. in quæſt. Rom.* Virginum quoque capita & facies, velo, à Græcis ἑανὸς & καλύπτρα, à Latinis flammeum & croceum, propter luteum colorem, dicto, à qua obnubendi conſuetudine & Nuptiarum nomen, operiebātur: ut ſe maritis obnoxias perpetuò futuras intelligerent, ac proinde humilitatem præſtarent. At in libro de Patriarchis, Ambroſius id pudoris gratiâ factitatū ſcribit: priorem tamen ſententiam comprobat idem ſuper primā ad Corinth. epiſt. *Cal. lib. 28. A. L. c. 15.* Quinimò marito ab uxore obſequium deberi, nec illius juſſa, ſi modò cum honeſtate non pugnent, repudiari, ab uxore poſſe: in eo populorum omnium leges

cum divinis ac naturæ legibus adeò conveniunt: ut olim Romæ lege Romiliâ jus etiam vitæ ac necis marito in uxorem tributum fuerit: ſi vel eam in adulterio deprehendiſſet, vel partum, vel claves ſuppoſuiſſet, vel vinum bibiſſet. *Dion. Halicarn. lib. 2.* quo jure & Longobardos ſua ætate uſos Bald. teſtatur *in l. velles. C. de revocand. donat.* de Gallis idem aſſerit *Cæſ. lib. 6. de bel. Gall.* Maſſilienſes quoque ac Mileſios uxores occidere cõſueſſe, ſi vinum bibiſſent, Theophraſtus ſcriptũ reliquit: quod ob adulterii cauſam Græcis omnibus æquè ac Romanis licuiſſe ſcriptores tradunt: *Lyſias in orat. de Eratoſthe. cæde.* etiamſi poſtea M. Antoninus & Commodus Impp. hanc maritorum poteſtatem in uxore adultera occidenda reſtrinxerunt: interim ab ordinaria tamen pœna homicidarum tãtùm exemerunt. *l. ſi adulterium 38. §. 8. D. ad L. Jul. de adult.* Et aliàs legibus Romanis fœminarum dignitas tota ex maritorum dignitate ęſtimatur: ex illorum perſona eriguntur, nobilitantur, deprimuntur, obſcurantur, forum & domicilium

accipiunt. *l. fœminæ 8. D. de Senator. l. 1. &* *l. mulieres 13. C. de Dignit. l. ult. C. de incolis. Novel. 22. c. 36.* Itaque Olorus Dacorum rex ſuos, qui contra Baſtarnas timidè pugnarant, milites, ſummâ ignominiâ & contumeliâ adfecturus, ſub mulierum imperio eſſe juſſit. *Juſtin. lib. 32.* ſcitè Martial. *libr. 8. Epigr.* ad Priſcum:

Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito:
Non aliter fiunt fœmina virq; pares.

Sic igitur maritorũ in uxores poteſtas omni jure ſtabilitur: lenitate tamen, & humanitate ac moderatione condita. Iuppiter apud Homerum *1. Iliad.* cum uxorem Junonem increpuiſſet, nec illa monitis obſequeretur, minas adjicit, ad verbera non progreditur. Cato, quem pleriq; mulierum fuiſſe hoſtẽ ajunt, percutere uxorem, ſacrilegium putabat: ſed mariti jus ac dignitatẽ ſic tueri ſolebat: ut facilè obſequentem haberet. *Plut. in Catone cenſor.* Romani uxorũ admiſſa leviora & domeſtica clementi animadverſione & molliſſimis pœnis emendabant: de gravioribus viri, non in judicio, & foro, ſed cum propinquis cognoſcebant in ſacel-

ſacello Deæ Viriplacæ: illarumq; contumaciam pœnis ſeveriorib. aut mollioribus cohibebant. *Al x ab Alex, lib.4. c.8.* Ita noſtro quoq; jure marito, ex juſta & legitima cauſa, uxorem caſtigare & corrigere permiſſum eſt: citra tamen crudelitatem *l. conſenſu 8. in fine, cum Auth. ſeq. C. de repudiis.* Conſentit jus Canon. *in c. literas 13. extr. de reſtit. ſpoliat. ubi Panorm.*

Tuetur maritus uxorē primùm alendo, & defendendo: deinde honorificè tractando. Alitio comprehendit victum, amictum, aliaq; neceſſaria: de quib. proſpicere marit9 uxori tenetur. *Epheſ.5. v.29.* exemplo Jacobi, *Gen 30. v.30.* Leges Romanæ vocant onera matrimonii *l. ſi quis pro uxore 21. §.1. D. de donation. inter vir. & uxor. l. pro oneribus 20. C. de jur. dotium.* quæ maritus ferre cogitur. *l. quod in uxorē. C. de negot geſt. l. ſi cum dotem. 22. §.8. D. ſolut. matrim. l. quod ſi nulla 28. D. de relig.*

Defenſio uxoris fit à marito cōtra vim & injuriam. David, & cæteri, qui cum ipſo erant, Iſraëlitæ uxores ſibi ab Amalechitis ereptas armis vindicant. *1. Samuelis 30.* Et defenſionem uxoris jura civilia

à viro exigunt. *l.1.§.3.& §.ult.l. quod ſi viro 2.D.de injur.§.patitur 2.Inſt.eod. l. injuriarum 2.C.eod.*

Deniq; honorificè & decenter tractare uxorem maritus debet, non ut ancillam, ſed ut ſociam, non ut de pedib. mariti, ſed latere formatam. *1.Petr.3.v.7.*

Propria uxoris erga maritum officia verſantur in eo, tum ut marito ſubjecta, tum ut domeſtica ſit.

Subjectio uxoris erga maritum conſiſtit in obedientia, reverentia & honore, tum in verecundia & taciturnitate.

Imperiũ maritale tàm divinis, quàm humanis legibus ſancitum obedientiæ capiſtrum mulieribus injicit: cujus vi uxores maritorum legitimis mandatis ut morem gerant obligatæ obſtrictæq; tenentur. Quem autem imperii jure in nos armatum nobisq; ſuperiorem agnoſcimus: fieri non poteſt, quin eundem omni reverentiæ ac honoris cultu à nobis obſervandum proſequendumque ſimul intelligamus. *Epheſ.5. v.22.& ſeqq.& v.ult.Coloſ.3.v.18.Tit.2.v.5.1.Petr.3.v.6.1.Corinth.11.& 14.v.34.1.Timoth.2.v.11.* Præclarè

clarè Hieronymus ad Celantiam: Servetur imprimis viro, inquit, auctoritas ſua: totaque à te diſcat domus, quantum illi honoris debeat: tu dominum illum obſequio tuo, tu magnum illum tuâ humilitate demonſtra: tantò ipſa honoratior futura, quantò illum amplius honoraveris. Ac proindè cordatè & jure Megiſtona, Timoleontis uxor, reprehendebat Ariſtotimum Elienſium tyrannum, à quo juſſa erat imperatorias ad virum ſcribere literas, Si, inquit, jus naturæ ſcires, non utique juberes viris ſuis mulieres quidquam præſcribere: ſed nos ad ipſos, tanquàm Dominos noſtros proficiſci permitteres. *Plut. de clar. mulier.* Romanas etiam mulieres maritos ſuos Dominos agnoviſſe, & ſic vocare ſolitas, oſtendit l. Lucius 88. D. de Legat. 2. §. 2. & l. Ea quę à marito 57. D. de donat. int. vir. & ux. in qua uxor literarum ad maritum caput facit: Domine cariſſime. Maritalis reverentiæ debitum à mulieribus exigit l. un. §. cũ autem 7. C. de rei ux. act. Nihil eſt, ſecundum Euripidem, non modo ad familiarũ, ſed etiam ad Rerump. ſalutem

& dignitatem majus, & melius: quàm honeſta uxorum erga maritos obſequia tueri.

Verecundia ac taciturnitas uxorum, caſtitate, pudicitiâ, & pia diſcretione regitur, maximeque in his conſpicitur. *1. Pet. 3. v. 4. Tit. 2. v. 3. & ſeq.* Numa Pompilius Rom. Rex matronis dignitatẽ apud viros & honorem, quem, ut raptas placarent, indulſerant iis, regnãte Romulo, integrum reliquit: cæterum verecundiã magnã impoſuit: curioſitate interdixit: ſobrietatem & ſilentiũ præcepit: ita quidem ut vino abſtinerent prorſus, verba aũt, ne de neceſſariis quidẽ rebus, abſente marito, facerent. Ac cùm fœmina aliquãdo cauſam in foro pro ſeipſa dixiſſet: fama eſt: ſenatum miſiſſe, qui Deos conſulerent: ecquid ea res urbi portẽderet? *Plut. in cõp. Numæ & Lycurg.* Apud Spartanos apertâ facie virgo, at cõvelatâ nuptæ in propatulo viſebantur. Cujus eam Charillus reddebat rationem: ὅτι τὰς μὲν κόρας ἄνδρας εὑρεῖν δεῖ: τὰς δὲ γυναῖκας σώζειν τοὺς ἔχοντας: quoniã virgines ſibi viros quærere neceſſariũ ſit: mulieribus aũt, quos compa-

comparârint cuſtodire. Obſervatũ & illud, Chalcedonias mulieres eũ ſervaſſe morẽ; ut ſi in alienos viros, & magiſtrat9 potiſſimum, inciderent, dimidium retegerent faciei. Quæ à viduis coorta conſuetudo, prorepſit & in eas, quæ junctæ viris forent. *Cal.lib.13. A.L.c.6.* Alcumenæ apud Plautum *act.2.ſc.2.* hæc ſunt ad Amphitryonẽ verba notatu ꝓbè digna:

Nõ ego illam mihi dotem eſſe duco, q̃ dos dicitur:
Sed pudicitiã, & puderẽ, & ſedatũ cupidinem,
Deûm metũ, parẽtũ amorẽ, & cognatũ cõcordiã:
Tibi morigera, atq; ut munifica ſim bonis, proſim probis.

Quibus reſpondet ille Clitemneſtræ ad Agamẽnonem ſermo *apud Euripid. Iphigen. Aulid.* cùm ait: Erga te & domũ ipſe teſtaberis quã inculpata fuerim mulier.

Εἴς τ' ἀφροδίτην σωφρονοῦσα, καὶ τὸ σὸν
μέλαθρον αὔξουσ', ὥς εἰσιόντα τε
χαίρειν, θύραζέ τ' ἐξιόντ' εὐδαιμονεῖν.

In libidinem quidem moderata & tuam rem familiarem augens: ut ſive ingredereris gauderes, foraſq; egrediens beatus eſſes. Abigaëlis prudentiſſimæ fœminæ diſcretionem, qua erga maritum ſuum uſa eſt, S.ſcrip. extollit: Nam & maritũ, q ſe, ſuamq; vitam, & opes, avara in-

hoſpitalitate & ingratitudine in ſummum periculum adduxerat, conſilio & benignitate conſervavit, Davidemq; juſtè irritatum placavit: & poſtmodum in virum durius nihil dixit, priuſquàm is crapulam præcedentis diei decoxiſſet & edormiviſſet. *1. Sam. 25.* Livia Auguſti uxor interrogata: ut Auguſtum obtinuiſſet? reſpondit: diligenter & prudenter agens ſummum ſtudium adhibui; ut omnia facerem ex animo Auguſti: nec curiosè perquiſivi quicquam eorum, quæ is faceret: ejus quoque amores, me neq; audire, neq; ſentire, ſimulavi. *Cuſpinian. in Caſ.*

Denique domeſtica mulier domi ſe continet ad familiam regendam, non divagatur. *Tit. 2. v. 5. Prover. 31.* Laudatur hoc nomine à Sapientib. Phidiæ inventum, qui Elejorum Venerem teſtudini inſiſtentem pinxit; ut eo ſigno mulieres, ſibi domi degendum, ſervandumque ſilentium, monerentur. *Plut. in præcept. conjug.* Apud Romanos Æmil. Prob. autor eſt nulla mulier ſedet, niſi in interiore parte ædium, quæ Gynæconitis appella-

pellabatur: quod de Parthis quoq; ſcribit Alexand. *l.5. c. 24.* Apud Ruthenos, Sigiſmundus L.B. in Herberſtein, in Cõmentariis rerum Moſcovitic. commemorat, nullam mulierem honeſtam cenſeri, niſi domo concluſa vivat. Caiæ Cæciliæ Tarquinii Priſci Regis conjugi ſtatuam poſuerunt Romani: ubi ejuſdem etiam ſandalia, & colum monſtrabant: quorum illâ teſtabantur: eam domi manentem familiæ curam habuiſſe: hæc induſtriam ſignificabat, quòd muliebres operas diligenter geſſiſſet, lanificii ſtudioſa. Cujus quidem exemplo apud eoſdem inſtitutum erat: ut novæ Nuptæ ante mariti januam rogarentur, quod nomen profiteri vellent? quæ omnes reſpondebant, ſe Cajas eſſe. *Eraſ. in adag.* Bonæ enim mulieris eſt, teſte Melandro, domum ſervare, & hujus gubernaculũ eſſe, ut viri, Remp. adminiſtrare. *Plato in Menone.* Hujus οἰκουρίας muliebris ſignificationem Bœoti demõſtrârunt in hoc, quòd axem currus nuptialis, quo ſponſa apud Græcos (ut Pauſanias ait) in mariti domum vehebatur, pro foribus incẽ-

derint: Et Romani: qui nubentem non permiſerunt ipſam ædium limen tranſire, ſed ſublatam transferebant: ne iterũ niſi coacta excederet, quomodo introgredi coacta eſſet: uti hoc explicat Plut. *in quæſt. Rom.* Ob quam etiam rem in deductione Romani Sponſę colum cum lana, & fuſum cum ſtamine pręferebant, tanquàm operis, in quo futura eſſet, auſpicia. Cribrum quoq; ac piſtillum, Græco more, ita ut Piſtillum ante thalamum alligaretur: quo ipſo panis cura illi committebatur. Apud Romanos tamen factâ cum Sabinis pace molendi & coquẽdi labor mulieribus remiſſus fuit. *Scaliger. 3. Poët. 100.*

Verùm enimverò etſi Conjugii vinculum tàm ſit arctiſſimum, ut vir citius Patrem & matrem, quàm uxorem ſuam relinquere debeat: nec illud quiſquã hominũ, præter Deum, iterũ ſolvere poſſit: *Geneſ. 2. v. 24. Mat. 19. v. 5. & 6.* ſunt tamẽ caſus duo, quibus, etiam divinâ permiſſione, alteruter conjugum alteri obligatus eſſe amplius nõ cogitur: nempè, ſi alteruter Conjugum, aut cũ perſona alia ſcor-

ſcortetur, quod Adulteriũ eſt, aut à conjuge malitiosè, nullã ob cauſam neceſſariam diſcedat, quæ Deſertio eſt. *Mat. 5. v. 32. & c. 19. v. 9. 1. Corint. 7. v. 15.*

DE OFFICIO PARENTUM erga liberos.

CAPUT V.

Finis & effectus matrimonii, liberorum eſt procreatio: unde conjuges parentes, mariti quidem patres, uxores matres appellantur: quem ſecundum Oeconomicæ conſociationis gradum natura demonſtrat: ſine cujus conſideratione ad publicam conſociationẽ progreſſus non datur: quemadmodũ ad ſcalæ ſummitatem, niſi prius gradibus inferioribus omnib. decurſis, haud devenitur. Ut aũt omnis conſociationis præſtantia & conſtantia in eo eſt, ut ſingula membra, ex quibus unaquæq; componitur, ſuo officio probè perfungatur, ita nũc parentum & liberorum inter ſe officia pertractanda veniunt. Qui enim paulò antè ad ſeſe invicem ut maritus & uxor.

uxor,nunc generationis ordine & beneficio,ut parentes,ad ſuam ſobolem referuntur,& ſic non modò nomen novum, ſed etiam officium ſortiuntur: & diverſimodâ relatione duplicem ſuſtinere pſonam,ac proindè non ut conjuges tantùm, ſed amplius quoq; ut parentes, officium ſuum exercere incipiunt: primumque publicæ conſociationis initiũ, porrò cõtinuâ ſuccedentium ſerie propagantes, parem officii legem in poſteros derivant.

Parentum verò officium, quod ad liberos ſuam relationem perpetuò habet, conſiſtit,tùm in educatione,tum deſpõſatione liberorum.

Educatio partim ſuſtentatione, partim inſtitutione perficitur. Prima enim ratio vivendi eſt,ſecunda bene vivendi.

Suſtentatio victum & amictum liberorum concernit,donec adoleſcant.

Suſtentationis prima cura in matre reſidet: tum ut infantem alat, tum ut foveat.

Alendus à matre infans,non tantùm, cùm adhuc in utero fœtus immaturus deli-

delitescit, & ſenſim creſcendo abſolvitur; ne futuro homini, antequam in lucem veniat, ſuâ negligentiâ, aut intemperantiâ, aliquâ ex parte noceat: ſed etjam, cum natus matris ubera & opem implorat, donec ſolidiores perferre cibos firmato corpore poſſit. Quâ quidem in re conſtans eſt prudentum ſententia: ut ne mater ſobolem, quam ſuo ſanguine in utero aluit, in lucem editā mox à lacte depellat & ab illo fonte ſine grauiſſimâ causâ aliò ablegeт, quem provida natura tanta ubertate in ejus pectore præparavit: cùm nihil conferat magis ad ingenii formæque ſimilitudinem: quàm lactis alimonia, quæ tantum valet ad matris naturam in ſobole efformandam: quod ipſum ſemen paterni ingenii ignitabulum, & tradux. *Gellius lib. 12. noct. Attic. cap. 1. Plutarch. de liberor. educ. Patric. 4. de Rep. 6. P. Gregor. 14. de Rep. 4.* Romani infantes lacte matris educari potius, quàm à coëmtis nutricibus ali permittebant: cùm ingenuitas apud eos ex ſola matre, non patre, æſtimaretur; aut, ſi permiſiſſent, ma-
gnâ

gnâ curâ præcipuas nutrices Laconicas admovebant. Æquè Germanis eſt habitum nefas ſi mater ſobolem ſuo lacte nō aluiſſet. *Alexand. lib.2, c.25*. Idem Scoti veteres factitârunt: tum ut adulterii ſuſpicionem matres effugerent: ſi quos utero foviſſent, natura in lucem editos enutrire lacte ſufficiente non recuſaſſet: tùm quòd à parentum natura degenerare filios arbitrarentur familiari matris in utero alimento aſſuetos, ubi ad aliena ubera admoverentur. *Boëthius in Scotia*. Hinc etiam apud veteres, referente Patricio, *d.l.* matres durius quippiam à filiis impetraturæ per lac, quod illis præbuerant, ſemper poſcebant: nefaſque habebatur, tales preces abnuere. Quo modo Antipater Macedo crudelior habitus eſt, quòd matri mortē per ubera materna deprecanti nō pepercisſet.

Sed & fouere mater infantem faſciarum inuolucris debet: quod eò ſpectat: ut non modò tenerum corpuſculum calore externo conſeruetur, ſed rectâ quoque diligentique membrorum conformatione fingatur: quòd latitudo pectoris.

ris ac thoracis ad dignitatẽ ac robur viri plurimùm conferat, diſſolutior autem pecten & venter ultra modũ protẽſus indecorus: ꝙ Ariſtoteles etiã, ubi de puerorum cura in libris de Rep. loqtur, ſentit.

Hac ratione infans à matre editus, & in primo vitæ limine lactatus, ac fotus, nunc porrò in ipſius quoq; patris curam cõjicitur: qui omni jure ꝓſpicere liberis de victu & amictu tenetur: donec ſe alere ipſi queant. *Gen. 30. v. 30. 1. Timot. 5. v. 8.* quod & bruta facere videmus: quæ fœtus editos prius non deſerunt, quàm incedere ſibiq; q̃rere ipſi victũ valeant: Leges Romanæ approbãt. *toto tit. ff. de agnoſcẽd. & alẽd. liberis l. un. §. 5. C. de rei ux. act.*

Alterum educationis membrũ eſt inſtitutio; quã adeò neceſſariã Plato duxit: ut ad hanc in omnib. penè dialogis, maximè in Lache, parentes adhortetur: ſine hac bonos in Rep. evadere principes aut cives poſſe neget. *4. de Rep.* de eadẽ in ſuis de politia libris admodũ ſollicitus eſt Ariſtoteles *l. 7. c. 17. & li. toto 8.* Quo nomine inprimis cõmendatur Græcia ab Euripide in Troadib. quã ob id κυροτρόφον ibidẽ appellat.

Con-

Cõſideratur autem inſtitutio primò in genere, deinde in ſpecie. In genere, ut ab ipſis ſtatim incunabulis liberi tum ad pietatem, tum ad morum probitatem aſſveſiant.

Pietatem parentes liberorum animis ante omnia inſculpant: ut, quatenus ſeſe in verbo ſuo revelavit, Dei tum eſſentiam, tum voluntatem rectè agnoſcant. Cõplectitur hæc inſtitutio omnia fundamenta Chriſtianæ religionis: eamque ſeveriter parentibus Deus mandavit. *Deut.4.v.10. & c.6.v.7. & ſeqq. Epheſ.6.v.4.* Dei cultum & honorem, vitæ noſtræ finem primarium & metam eſſe, ad quã collineandum, Plato agnovit *4. de LL.* Religionem omnis Politiæ fundamentum ac propugnaculum idem conſtituit. *4. de Rep.* Hunc omnium virtutum fontem Cicero prædicat *2. de LL. & in orat. pro Planco.* Sine Deo mentem ullam bonam eſſe poſſe, Seneca negat. *Epiſt. 41* Etiam Romani quotannis ſex Optimatum filios ad ſex Hetruriæ populos mittebant: ut auguralem ſcientiam diſcerent, & poſtea negotiorum Romæ directores

ſtores eſſent. *Val. Max. lib. 1. c. 1. Alexand. lib. 5. c. 19.* Galli filios ſuos operâ Druidarum prius religionem, quàm politicam doceri voluerunt. *Cæſar libr. 6. de bell. Gallic.*

Religionis ſtudium excipit morum probitas: non tantùm, ut animus liberorum iis artibus & opinionibus imbuatur, quæ ad virtutem eſſe magiſtræ poſſint: ſed etiam, ut accuratè in vitam omnesque actiones eorundem à parentibus animadvertatur, ne quid contra pietatem atque honeſtatem delinquant. *Syrac. 30.* Perſæ tria pręcipuè liberos ſuos docebant: equitare, iaculari, & vera dicere. Viciſſim tria vehementer damnabant: mentiri, inter ærarios eſſe, & in amnem rem immundam edere. *Fulgoſ. li. 2. c. 1.* Cretenſes pueros cogebant primùm leges memoriæ mandare; ne contra eaſdem peccantes prætendere inſcitiam poſſent: deinde Deorum hymnis animum adjiciebant: poſtremò præſtantium virorum ediſcebant laudes, quorum exemplo ad virtutem incenderentur. *Cælius li. 18. c. 26.* Philoſophiã Chal-

dæo

dæorum & Ægyptiorum liberi à parentib.diſcunt. *Diodor.lib. 2.c.8.& l.1.c.6.* L. Aemilius Paulus in rus cõncedens ibidẽ filios ſuos uno & eodem tempore Romanam diſciplinam & Gręcas artes edocebat. *Plut.in Aemilio.* Cyrus major à patre Cambyſe,Perſarum Rege,belli & pacis artib.inſtructꝰfuit.*Xen.in pæd.Cyri.*

Cùm aũt ſtulticia innata ſit cordi adoleſcentis.*Proverb.22.v.15.* & difficilè ſit, aliquos ad probitatem provocare: cùm non pudori,ſed timori,obedire,neq; abſtinere à malis ob dedecus, ſed ob pœnã, conſueuerũt,*Ariſt.10.Eth.9.*ideoq; diſciplina & correctio, *Eph.6.v.4.* nonnunq̃ virgæ ac ferulæ adhibẽdæ ſunt. *Syrac.30. Prov.13.v.24.c.22.v.15.c.23.v.13.*exemplo Lacedæmoniorũ: apud quos turpe erat, ſi pater filiũ à prǽceptore,vel alio,ob delictũ caſtigatũ,&querelam propterea ad patrẽ deferentẽ,non iterum virgis erudiiſſet.*Plut in apophτ.Lacon.*

At verò moderatione hìc opus eſt:ne parentes poteſtate ſuâ ad crudelitatem abutantur,liberoſq; exacerbent ac pauidos reddant. *Epheſ.6.v.4. Colloſ.3.v.21.*

Multò

multò minus eos occidanr. *Deut.5. v. 18. & ſeqq. l.2. D. ad L. Cornel. de ſicar.* cùm patria poteſtas in pietate non atrocitate cõſiſtere debeat. *l. Divus 5. D. ad L. Pompejam de parricid.*

In ſpecie parentum inſtitutio eò directa eſſe debet: ut liberi jam adultiores ad certum vitæ genus, honeſtamq; functionem diſponantur. *Gen.4. v.2.* Apud Ægyptios filii artem paternam diſcebant. *Herod. lib.6.* Leotychidas interrogatus, quid potiſſimùm ingenuos pueros diſcere oporteat? hæc, inquit, quæ uſui eis futura ſunt, quando viri evaſerunt. *Plut. in apopht.* Germani quoq; veteres, filios ſuos non poculis indulgere, ſed operã dare exercitationib. voluerunt: quò viri aliquãdo facti optimi milites eſſent. *Alexand. li.2. c.25.* Apud Athenienſes lege Solonis ſancitum erat: ut ſi filius à patre nullam artem fuiſſet edoctꝰ, nulla ei ſenio confectò deberet alimenta. *Sabell. lib.6. c.1.*

Ultimum Parentum officium deſpõſationem liberorum conjugio maturorum ſpectat: quos ea in re parentes

pro

pro viribus, tàm dote, quàm conſilio juvabunt. *Ierem. 29. v. 6. 2. Cor. 12. v. 14.* Unde & jure civili Romanorum conſtitutum eſt: ut patres, qui injuriâ prohibuerint ducere uxores, vel nubere, vel qui dotem dare noluerint, cogantur in matrimonium collocare & dotare liberos *l. capite 19. D. de ritu nupt.* quòd omninò paternum ſit officium dotem, vel ante nuptias donationem, pro ſua dare progenie. *l. fin. C. de dot. promiſſ.*

DE OFFICIO LIBERORUM *erga parentes.*

Caput VI.

Mutuum inter parentes & liberos relationis vinculum, ut à parte liberorum arctius conſtringitur, propter vitæ ſpirandique initium, quod à parentibus acceperunt: ita majoribus quoque officiis, aut certè non minoribus, ſeſe illis obligatos meritò agnoſcũt: quæ potiſſimùm in ſubjectione, & gratitudine emicant.

Subjectio tum amorem, tum obedien-

dientiam exigit. Quemadmodum enim ex iis,quæ ſupra recenſuimus,parentum officiis,ardentiſſimus eorundem erga liberos amor, eluceſcit: ſic non minorem amoris reciprocationem liberi parentibus debent: ut puriſſimum hunc & tenerrimum amoris radium etiam oculis lædi poſſe,monſtriq; inſtar cum Cicerone *in Orat.pro Roſcio*, putandũ ſit:ſi quis, omni adeò humanitate exutâ, eundem extinguere auſit.

Iſta amoris vis ſe potiſſimùm Honore & Reverẽtiâ erga parentes' exerit:& tàm divinis, quàm humanis legib. debita eſt. *Exod. 20.v.12. & c.21. v.17. Levit.20. v.9. Deut.5.v.16. Proverb. 20.v. 20. Matth.15. v.4. Marc.7.v.10. Epheſ.6.v. 2.* Berſabeæ matri Salomon Rex aſſurrexit, adoravitque eam, dein thronum illi poni, ſibiq; aſſidere à dextris juſſit. *1.Reg. 2.v.19.* Nam in publicis locis & actionib. patrũ jura cum filiorum, qui in magiſtratibus ſunt, poteſtate collata, interquieſcere quidem paululùm debere:ſed cùm extra Remp. in domeſtica vita converſantur, inter filium magiſtratum & patrem pri-

vatum publicos honores ceſſare, naturales & genuinos exoriri, Taurus Philoſophus, etiam Ethnicus, cēſuit. *Gell. 1. Noct. Att. c. 2.* M. Antoninus Philoſophus, in aulicam adoptatus domum, parentibus ſuis tantam reverentiam, quantam privatꝰ, exhibuit; licet plurib. occuparetur honoribus in ſummis obſequiis erga patrem. *Cuſpinian.* Carolus IV. Bonnæ prope Coloniam Imperator conſalutatus cum patre Johanne in Boëmiam reverſus, non aliter illi quàm olim privatus omnem reverentiam omniaq; officia exhibuit. *Dubrav. lib. 21.* Q. Sertorius Româ exul dicitur patriæ cupiditate flagraſſe maximè cauſsâ matris à qua educatus poſthumus fuerat, totoque animo erat illi addictus. Ad imperium ſuſcipiēdum in Hiſpania, vocatus, nunciatis matris fatis, profudit penè ex mœrore vitam. *Plut. in ejus vita.* C. Jul. Cæſar Aureliam, Carolus Magnus Bertham, matrem ſtudioſiſſimè coluit. *Sutton. Cuſpinian.* Ludovicus Imper. Francorum Rex, Caroli Magni filius, quòd Patrem religioſiſſimè obſervaret, ejusque mortem

tem

tem acerbiſſimè ferret, Pii cognomentum accepit. *Egnat. lib. 5. c. 4.* Alphonſus rex Aragonum cùm peregrè advenienti Ferdinando patri obviam progreſſus animadvertiſſet, illũ lecticâ vectari valetudine affectum, ſtatim equo deſiliit, ut patrem pedibus comitaretur: &, ſi opus eſſet, humeris & cervice etiam ſuſtolleret. Cumque è lectica pater identidem cohortaretur, ut exemplo multorum procerum juxtà adequitántium, & ipſe quoque equum aſcenderet: Alii, inquit, ô Pater, quid ad ſe attineat, ipſi viderint: ego quidem adduci neutiquam potero, quin regem, quin patrem, & eundem ægrotum, pedibus ſequar. Eundem pòſt decem ac ſeptem aureórum millibus funeravit, magno pietatis argumento. *Panormitan. libr. 2. de geſt. Alphonſ.* Epaminondam in Leuctrica pugna victorem, dixiſſe perhibent: nihil ſibi accidiſſe jucundius, quàm quòd Parentes gloriæ ſuæ ſpectatores haberet. *Plutarch. contr. Epicur. ſentent.* Telecrus narranti, malè de te loquitur

Pater tuus: non faceret, inquit, ſi non eſſet faciundum. Maluit nocens videri, quàm parentem mendacii aut temeritatis arguere. *Plut. in Lacon.* Sem & Japhet, filii Noæ, parenti dormienti, & ex ebrietate turpiter denudato, retrogradientes, averſiſque oculis, pallium injecerunt. *Geneſ. 9.* Nec omiſit hanc de parentum honore partem Plato: qui ſimulacrum optimum, & precioſiſſimũ theſaurum in ædibus, ſtatuit Patrem, ſenio maximè cõfectum. *11. de LL.* Demetrius Phalereus admonebat adoleſcentes: ut domi Parentes, in via obvios, in ſolitudine revererentur ſeipſos. Diogenes ad eũ, qui patrem deſpiciebat, Non te pudet, inquit, eum contemnere, cui debes hoc ipſum, quo tibi places? Hujus reverentiæ parentibus debitæ cauſâ jus civile Romanorum inter filium & patrem litem nõ permittit: niſi de bonis Caſtrenſibus, vel quaſi. *l. lis nulla. 4. D. de Judiciis. l. actiones 7. D. de oblig. & act. l. ne cum filio 16. D. de furtis* & niſi prius veniam à Prætore impetrâſſit filius. *l. quique 4. l. parẽt. 6. l. generaliter 13. D. de in jus vocando. l. qui in poteſta-*

poteſtate 3. C. eod. Ne tamen famoſa actio contra patrẽ inſtituatur. *l. 2. l. 5. D. de obſeq. parent. præſt.* Pittacus filium monens, ne cum patre coram judice litigaret: ſi patre, inquit, iniquiora dixeris, damnaberis; ſin æquiora, vel ob illud damnari dignus es: ſentiens cum patre omninò non litigandum, etiamſi cauſa juſta videatur.

Obedientia piis parentum admonitionibus & conſiliis morem gerit, juſſa alacriter expedit, reprehenſionibus etiã ſeſe emendari patitur. *Epheſ. 6. v. 1. Coloſſ. 3. v. 20. tit. D. de obſequiis parentibus præſtandis*, exemplo Chriſti. *Luc. 2. v. 51.* Rechabitarum, *Ierem. 35.* Tobiæ, *Tob. 5 v. 1.* Iſaaci, *Gen. 22.* Ioſephi, *Gen. 37. v. 14.* Davidis, jam in Regem uncti, *1. Sam. 17. v. 20.* Coriolani, qui precibus matris cedens Romanæ urbis obſidionem ſolvit: licet graviſſimis antè injuriis affectus eſſet. *Liv. lib. 2. decad. 1. Plut. in Coriolano.* Polinicis, ad matrem Jocaſtam apud Euripidem in Phæniſſis, dicentis:

ἃ γὰρ σὺ βούλει, ταῦτ᾽ ἐμοὶ μῆτερ φίλα.

Quæ tu vis, eadẽ mihi grata erũt, Mater.

Menœcei patrem Creontem interrogātis:utrū fugere debeat,ne mactetur à Civitate,apud eundē Euripid.cùm inquit:

Οὐκοῦν σε φράζειν εἰκὸς, ἐκπονεῖν δ' ἐμέ.

Nimirum conveniens eſt te dicere, efficere verò me. Ferdinandi, Neapolitanorum Regis, qui patris conſilium cogitatione præviſum operâ anticipare ſemper ſtuduit. *Pontan.2.de Obed.3.*

Gratitudo parentib. ſenio confectis, aut quoties res poſtulat, vicem beneficentiæ reddere, & tàm facto, quàm animo demonſtrare ſatagit. *1. ad Tim.5.v.4. Syrac.3.* Plato primum, antiquiſſimum, & auguſtiſſimum debitorum genus eſſe affirmat, quo liberi parentibus ſunt obligati: nec vitium ullum turpius, quàm parentes negligere. *4. & 11. de LL.* Solonis legib.(id quod jure quoq; Romano cautum. *Nov.89.c.13.auth.Licet,in f.C.de natural.lib. Nov.115.c.3.*) liberi,niſi infamiā notari vellent,parētes inopes alere, atq; αὐτοπλαγχνεῖν cogebantur. *Laërt.in Solone:* Omnium Græcorum leges à liberis præſtari alimēta parentib, voluerunt: Athenien-

nienſium tamen non, niſi liberos artibus erudiiſſent. *Cælius li. 7. antiq. lect. c. 3.* Thales Mileſius liberos admonens, ut omnibus obſequiis & officiis parentes ſuos proſequerentur, dicere ſolitus eſt: Quale præmium rependeris Parentibus tuis: tale à liberis tuis exſpectato. Eundem ad modum Iſocrates ad Demonicum, Talẽ, inquit, erga parentes tuos te præbe: quales in te liberos eſſe tuos optares. Sophocles in Oedipo Coloneo:

Τοῖς τεκοῦσι γὰρ
Οὐδ᾽ ἂν πονεῖ τις δεῖ πόνου μνήμην ἔχειν.

Si quis Parentum gratiâ   (cet.
Laborat, hũc meminiſſe laboris haud do.

Inter arcanas Ægyptiorum literas, quas hieroglypha vocant grammata, Ciconia gratitudinis & pietatis in parentes erat ſymbolũ. Nam Ciconia parentes ſenectâ defectos viciſſim alit, & volandi impotentes humeris geſtat. Nam & bruta animãtia gratitudinis parentib. debitæ ſenſu ducuntur. Ita celebratur à naturæ indagatoribus Upupæ erga parentes officiũ: quos ſenio cõfectos volãdiq; inertes ſedulò curat: pennas jam vetuſtate lan-

guidas evellit: præterea oculos cæcutientes herbâ quâdam illinit, unde viribus reſumtis quaſi rejuveneſcunt. Merops quoque poſtquam ſedulò pullos ſuos enutriit in ſpecu ſex pedum defoſsâ altitudine, ubi nidificare conſuevit, ipſa ob corporis gravitatē ſublimia petere prohibetur: mutuum autem nutricationis officium à pullis recipit: qui genitores reconditos magnâ curâ paſcunt. *Plin. lib. 10. c. 33.*

Officio liberorum cohæret jus liberorum; quo parentibus vitâ functis in bona ſuccedunt. *Num. 27. v. 7. & ſeqq.* Ratio enim naturalis, quaſi lex quædam tacita, liberis parentum hæreditatem addicit, ad debitam ſucceſſionem eos vocando: propter quod & in jure Civili ſuorum hæredum nomen eis inditum eſt: unde ne judicio quidem parentum, niſi graviſſimas ob cauſas, ſubmoveri poſſunt. *l. fin. D. de bonis damnat.*

DE

DE OFFICIO SENIORUM & Juniorum.

CAPUT VII.

HAc ratione per conjugiorum frequentationem & continuationem familiis augeri & hinc inde conſtitui ceptis, novus quidam oritur inter homines tum ętatis, tum miniſteriorum reſpectus, antequam ad publicum cõgreſſum & conſociationem, quam per excellentiam Politiam dicimus, perveniatur. Quamprimum enim privata in Politia à maximè naturali & arctiſſima Parentum & Liberorum conſociatione diſcedimus: protinus occurrit, longè quidem illa inferior, ſed non minus inter homines neceſſaria, relatio: quæ vel ex ætatis inæqualitate, quâ alii Seniores ſunt, alii Juniores: vel ex rei familiaris adminiſtratione, quâ alius Dominus eſt, alius miniſter ſeu Familia, dependet. Quæ utraque publicam conſociationem proximè antecedit: ſuisq; itidem propriis officiis circumſcribitur.

Seniores ætas grandior notat: quos maximè decet gravitas & Juniorum informatio.

Gravitas ſeniorum decorum & convenientem dignitatem in totius vitæ ratione obſervat, omnesque animi motus, impetus, & cupiditates ad rationis deliberationem ac imperium aptè dirigit: ut ſermonem & corporis motũ, quaſi tarditas quædam comitetur. *Syrac, c. 25. v. 6. Tit. 2. v. 2. & ſeqq.* Chilon dicebat honorem à Junioribus habẽdum ſenectuti: ut ipſi facti ſenes ab aliis habeantur in precio. Ea res geminam habebat utilitatem. Siquidem ut ſenũ autoritas temperabat ætatem laſcivam à peccando; ita ſenes cavebant, ne quid committerent, quo juvenibus vel ob ineptiam ludibrio poſſent eſſe, vel ob turpitudinem pernitioſi: ſed inter omnes juvenes, omnesque ſenes ea eſſet reverentia, quæ inter Parentes ac liberos. *Laërt, libr. 1. c. 4.*

Docendi à ſenioribus juniores ſunt, non vivâ tantum voce, utpote qui per ætatem uſu & experientiâ rerum majori pollent, quàm juvenes: ſed laudabili

etiam

etiam exemplo ad pietatis & honeſtatis ſtudium juniores incitandi; ut, juxta Senecam, etiam ex occurſu Senioris proficere Junior poſſit. *Job 32. v. 7.* Apud Laconas moris erat, adoleſcentiores à majoribus natu rogari, quò pergerent? & ad quid? non reſpondentem, aut in delicto deprehenſum caſtigabant: aut ſi hoc ipſi non feciſſent, paris culpæ affines habebantur. *Plutar. in inſtitut. Laconicis.* Iidem *authore Xenophonte in Lacenum Rep.* vitæ inculpatæ exemplo pueros ſuos docebant. Nam cum admonerent adoleſcentes, ut temperantiam diſcerent, plurimùm conducebat, ut viderent ſenes ipſos quotidiè temperanter vitam agere: cùm traderent præcepta parendi magiſtratibus, multùm conducebat, ut ſeniores intuerentur magiſtratibus magno ſtudio parere: eoſdem cùm docerent, ut cibi potusque continentiam ſervarent, admodum juvabat, quòd oculis cernerent, ſenes non prius abire ventris implēdi gratiâ, quàm hoc Principes permiſiſſent. *Stobæus*

Serm.42. Ageſilaum regem cùm quis interrogaret, cur per acrem hyemem ſolo pallio tectus obambularet abſque tunica, homo tam provectæ ętatis? ut, inquit, juvenes hanc vitæ rationem imitentur, cùm exemplum habeant & ſenis & principis. *Plut. in Lacon.* Romanos ſenatores olim in conſultationibus de Rep. etjam Juniores auditum adhibuiſſe, ut maturè aſſuefierent negotiis prudenter tractandis, Papyrij prætextati exemplum demonſtrat *apud Macrobium lib. 1. Saturn. c.6. & Gellium lib.1. c. 23.* Apud eoſdem majores natu in conviviis ad tibias egregia ſuperiorum opera carmine comprehenſa pangebant; quò ad ea imitanda juventutem alacriorem redderet. *Val.max.lib.2.c.1.*

Juniores ab ætate minori dicuntur, quorum officium præcipuè conſiſtit in humilitate, quâ ſe inferiores ſenioribus gerunt: ex qua profluunt Reverentia, Docilitas, & Obedientia erga ſeniores.

Per Reverentiam adoleſcentes ætate ſuperiores, quo par eſt, cultu obſervant:

vant & venerantur, eis ſermonis, ſedis, omnisq; actionis primatu cedendo, geſtus pro circumſtantiis idoneos exhibẽdo, titulosque convenientes tribuendo. *Levit.19.v.32.* Ovid.*5.*Faſt.

Magna fuit quondam capitis reverentia cani:

Inq; ſuo precio ruga ſenilis erat.

Cicero *1.offic.* Eſt, dicit, adoleſcentis: majores natu vereri; & eum, qui ætate nos anteit, tanquam ſuperiorem colere debemus. Majores natu, inquit Gellius *l.2. c.15.* à minoribus colebantur ad Deum propè & parentum vicem, atq; in omni loco inque omni ſpecie honoris priores potioresque habiti. Quo in loco idem hiſtoriam narrat de Athenienſibus: apud quos cùm civis ſenex in theatrũ veniẽs, occupatis jam ſedibus omnibus, à nemine admitteretur, fortè ad Lacedæmonios, qui tum legati aderant, delatus, illi ſimul omnes conſurrexerunt, & ſenem ſeſſum receperunt. Quod factum ingẽs populi applauſus conſecutus eſt, cum hoc Encomio: Quòd in ſola Sparta juvet conſeneſcere. Athenienſes verò hoc di-

cto notati ſunt: Scire quidē eos quid honeſtum ſit, at non facere. *Cic. de Senect.* Telecrus cauſam interrogatus: cur apud Spartanos juniores ſeniorib. aſſurgerent? reſpōdit: ut aſſueſcerent majores venerari, & eò majori honore parentes ſuos proſequerentur. *Plut. in Lacon.* Idemq; Juſtinus *lib.3.* de Spartanis affirmat: nuſquam terrarum locum honoratiorem ſenectutē habere. Et Cicero *de ſenectut.* Spartam honeſtiſſimum domicilium ſenectutis, vocat. Ægyptii de via ceſſerunt & aſſurrexerunt ſenibus. *Herod. li.2.* Apud Arabes maximus ætate in omni re præcedit cæteros. *Heraclid. in Polit.* Albani, Caſpii maris accolæ, prçcipuè ſenectutem venerantur, non parentū modò ſed etiam cæterorum. *Strabo l.11.* Romana juventus, ſenatus die, aliquem ex patribus, conſulem, aut propinquum, aut paternum amicum., ad curiam ducebant, affixique valvis exſpectabant, donec reducendi officio etiam fungerentur: Invitati ad cœnam diligenter quærebant: quinam ei convivio eſſent interfuturi? ne ſenioris adventum diſcubitu

præ-

præcurrerent: ſublatâque menſâ, priores conſurgere & abire patiebantur. *Val. Max. l. 2. c. 1. Blondus l. 8. Romæ triumphantis.* In conviviis primus & honoratior ſenioribus diſcubitus in ſumma mẽſa dabatur, & à convivio quoque à minoribus domum reducebantur. *Gellius l. 3. c. 25.* Hinc Calliſtratus *in l. ſemper 5. D. de jur. immunit.* ſemper, inquit, in Civitate noſtra ſenectus venerabilis fuit: namque majores noſtri penè eundem honorem ſenibus quem magiſtratibus tribuebant.

Docilitas juniorum judicia ſenum placidè ac modeſtè audit, ab illis diſcit, eorundem benè facta imitatur. *Syrac. 6. v. 35. & ſeqq. & c. 2. v. 15. c. 8. v. 9. & ſeqq.* Apud Laconas junior, qui à ſeniore objurgari ægrè ferebat, in magno erat probro. *Plut. in inſt. Laconicis.*

Obedientiam denique juniores natu grandioribus præſtare tenentur, in his, quæ legitimè ab illis injunguntur. *1. Petr. 5. v. 5.*

DE

DE OFFICIO DOMINI & Familiæ.

CAPUT VIII.

HOminum genere augeſcente, familiisque conſtitutis, cùm in negotiis familiaribus expediundis conductitiæ aliorum operæ adhiberentur: poſtmodum etiam communi omnium gentium conſenſu lex uſurpari cepit, ut qui bello inferiores eſſent victoribus manciparentur, qui ſervi & ancillæ dicebantur: quorum nomen etſi inter Chriſtianos ſublatum eſt: quin tamen Chriſtiano mãcipium non-Chriſtianum habere liceat, nihil impedit: hinc adeò illud Domini & Familiæ nomen ortum eſt.

Dominus eſt paterfamilias & materfamilias negotia œconomica diſpenſantes. Familia eſt in Oeconomia famulus & famula domino ſervientes.

Utrique tam Domino, quàm familiæ ſua propria ſunt officia.

Domini officium partim ad ipſam rē fami-

familiarem omnem in genere, partim ad familiam refertur.

In Genere domini officium eſt, rem familiarem adminiſtrare, ſingulorumq; curam & inſpectionem in re domeſtica diligentem ſuſcipere. *Proverb.27.v.23. & ſeqq. & c.31.v.12. & ſeqq.* Eſt enim boni patrisfamilias prius cubitu ſurgere, poſtremò cubitum ire: domum, non ſecus, atque urbem, nunquam relinquere, *Ariſtot. in Oecon. Cato de re ruſtica c.4*: nec alteri familiam ſuam regendam committat. *Plato in dialog. de philoſoph.* Oculus enim domini pinguem equum reddit *Ariſtot. in Oecon. l.1. c. 6.* Imprimis prudentiam & ſolertiam adhibeat in emendis & colendis prædiis *Cato de re ruſtic. l. 1. c. 1. & 2. Palladius l.1. c.4. & 6.* in ædificando. *Cato d. libro c.3. Palladius d. libro c. 8.* In ſumtibus denique faciendis, ne hi reditus excedant. *Xenoph. in Oeconom.* Hujus loci eſt doctrina illa, quæ Patrisfam. officium in re ſua familiari benè adminiſtrāda informat, quæ propriè Oeconomica dicitur, perque omnes rei familiaris ſpecies diffunditur.

Alte-

Digitized by Google

Alterum Domini officium eò pertinet, tum ut familiæ imperet, tum ut ejus labores remuneretur.

Imperium Dominicum in familiam exercetur Laborũ impoſitione & Animadverſione. Servo labor injungendus, ne otio inſoleſcat, & ut pacem habeas. *Syrac.33.v.26.* Labores ſervorũ ex variis eorundem officiis & miniſteriis quib. apud veteres præpoſiti erant intelligun-tur. Fuere enim oſtiarii, ararii, focarii, fornacarii, ſcoparii, mediaſtini, obſonatores, trapezopæi, lecticarii, arcarii, capſarii, curſores, & ſalutigeruli, villici & hercitæ, muliones, ſaltuarii, vicarii, diſpenſatores, atrienſes, itemq; actores, amanuenſes, grammatici, pædagogi, Medici, &c. *Alex. l.3. c.25. Briſſonius lib.19. de V.S.* Animadvertere itidem in familiã, & ſi opus ſit objurgare & refractarios ac rei domeſticæ negligentes coërcere inq; ordinem redigere dominꝰ poteſt. Ad Laborem enim fuſtib. etiam adigi ſervũ ignavum poſſe, quin & vinculis cõſtringi Syrac. docet *d.c.33.v.25.27. & ſeqq.* Qua tamẽ in re duplici cautela & moderatio-

ne opus eſt: tum ne majores imponantur familiæ labores, quàm perferre poſſit, tum ut ab omni importunitate & ſævitia abſtineatur. Nec enim ſeruus ſupra vires ſuas onerandus. *Syrac. d. loc. v. 30.* Minas itaque Domini erga ſervos remittant: cùm & ipſi Dominum in cælis habeant, apud quem null9 perſonarum reſpectus. *Epheſ. 6. v. 9.* Apud Romanos punitio ſervi, qui peccaverat, illa acerba judicabatur, ſi lignũ plauſtri, quo ſuſtentãt temonem, circa viciniam portaret. *Plut. in Coriolan.* Charillus Lacedæmoniorũ Rex, & Architas Tarentinus, ſervos non puniebant, cùm ſe irâ commotus ſentirẽt. *Val. max. 4. c. 1. Plut. de tard. DEI vindict.* Plato, cùm adverſus delictum ſervi vehemẽtiùs exarſiſſet, amico caſtigationis arbitrium commiſit. *Val. max. d. l.* Galenus Pergamenus medicus, famulos nũquã ipſe verberavit, ſed verbis errata illorũ correxit. *Geſner. in vit. Galẽ.* Servitutis leges apud Iſraëlitas humanitatis plenæ erãt: ita, ut ſi Iſraëlita alteri p̃ egeſtate ſerviret, non haberet Dominus poteſtatẽ eũ venũdandi, ſed perinde ac mercenarium

& ad-

& advenam tractaret,& anno Jubilęo liberum dimitteret,niſi interjecto tempore ſe ipſe redemiſſet, vel à conſanguineo redemtus fuiſſet. *Lev.25.* Servum autem aut ancillam coëmtam qui in aliqua corporis parte læſiſſet libertati reſtituere cogebatur. *Exo.21.v.26.& ſeq.* extat quoque Cõſtantini Imperatoris Romani lex, quâ dominus ſervum injuriâ interficiẽs homicidii reus peragitur. *L.un. C.de emẽd. ſervor. vid. Alex.lib.3.c.20.*

Supereſt Remuneratio, quã dominus familiæ pro laboribus præſtare liberaliter debet, tum nutricione, tum mercedis ſolutione. Servo enim panis debetur. *Syrac.d.loc.* & bovi trituranti os non eſt obligandum; aut ſtipendiis ſuis quis unquã militat? *Deut.25.v.4. 1 Cor.9.v.9. 1 Timoth. 5.v.18.* Dignus eſt igitur operarius mercede ſuâ. *Luc.10.v.7.* Apud Romanos, menſe martio, matronæ cœnas apponebant ſervis, uti & domini Saturnalibus, menſe decembri: illæ quidem, ut principio anni ad promtum obſequium ſervos invitarent: hi autem, quia gratiam perfecti operis exſolverent. *Macrob.lib.1.c.12.* de

vete-

veteribus Romanis ſcribit. Plut. *7. Conviual. quæſt. 4.* quòd menſam tolli vacuā non permiſerint, ſed in ea ſemper aliquid edulii famulis eorumque proli reliquerint; ut non tam eis, quod ſumunt, quàm quod domini ipſis impartiuntur, gratum foret.

Præter hæc omnia domini famulos & famulas ad Chriſtianam quoque religionem & pietatem inſtigabunt: quemadmodum Jacob Eccleſiam ſuam domeſticam reformâſſe legitur. *Gen. 35.*

FAMILIÆ officium conſiſtit in obſequio & morum integritate.

Obſequium duo poſtulat: operarum promtitudinem & fidelitatem.

Promtitudo in negotiorū ſuſceptione conſpicitur: ut familia ad nutum & voluntatem Domini in procinctu ſtet, & quæcunque ſui muneris eſſe intelligit, ſpontaneâ obedientiâ alacriter obeat. *Epheſ. 6. v. 5. & ſeqq. Pſ. 123. v. 2.* exemplo ſervi Cēturionis, *Matt. 8. v. 9. Luc. 7. v. 8.* Quāta fuerit apud Laconas ſervorū obſequioſa obedientia Plut. *in vita Lycurgi* innuit. Cùm enim Thebani irrupiſſent

in La-

in Laconiam, & inter captivos captivaſqueingenuas multos etiam Helotas ſeu ſervos abduxiſſent, eosq; Laconica carmina canere juſſiſſent: illi recusârũt propterea, quòd filiæ heriles hoc nollent. Adeò plus apud illos valuit concaptivarũ puellarũ authoritas, quàm juſſa victoris.

Fidelitas in negotiorum expeditione ſeſe prodit: ne aut familia per ὀφθαλμοδουλίαν dimidiatas duntaxat operas in negotiis ſibi commiſſis præſtet: aut etiam ſuffuretur aliquid, & quacunq; ratione aliâ res domini ſui dilabi diſtrahiq; patiatur. *Tit. 2. v. 9. & 10.* Exemplo Jacobi avũculo ſuo Labano per 20. annos fideliſſimè ſervientis. *Gen. 31. v. 38. & ſeqq.* Et ſervi Abrahami, cujus ſtudium, operã, & curam in querenda uxore filio domini ſui cernere licet ex c. 24. Geneſ.

Morum integritatẽ familia ſervabit in eo, ne uxor, ne filii & filiæ vel alii cõſervi corrumpantur. Hoc modo Joſephus, Jacobi filius, in carcere & vinculis eſſe maluit, quàm herilem domum adulterio polluere. *Gen. 39.*

Cæterùm neceſſarium omnibus homini-

minibus pietatis ſtudium flagitat: ut familia religioſa ſit, & pro laborum ſuorū ſucceſſu divinum auxilium imploret, cum ſervo Abrahami *d.c.24.Geneſ.*

DE SPECIEBUS ALIQUOT rei familiaris.

CAPUT IX.

PRivata politia in domini & familiæ conſociatione deſinit ac terminatur: à qua nunc protinus ad publicam cōſociationem politicam progrediendum erat. Verum enimverò, quia ſupra primum domini officium in rei familiaris adminiſtratione occupatum eſſe debere monuimus: conſequens eſt, ut ſignificemus quæ ſint illa rei familiaris genera, in quibus occupati eſſe Domini in Politia privata debent: ſine quib. nec ulla unquā conſtitui Reſp. nec conſtituta conſiſtere potuit, *Syrach.39.v.36.* Quod Ariſtot. *7. pol.8.* & Plato *lib.2. de LL.* fatentur: qui artifices partem civitatis nō minimā faciunt, imò ſine his illam conſtare poſſe negant.

negant. Quid numerem, inquit Cicero 2. *de offic.* artium multitudinem, ſine quibus vita omninò nulla eſſe potuiſſet? Quid? quòd labor omnibus hominibus eſt injunctus. *Gen. 3. v. 19. Eccleſ. 6. v. 7.* Ideoq; cumprimùm homines multiplicari cœperunt, unà artes variæ, vitæ & labori hominum convenientes, prodierunt. *Geneſ. 4. v. 20. & ſeqq.*

Primum in mundo opificium Agricultura fuit. *Gen. 2. v. 15. Gen. 3. v. 17. & 23.* & hanc primi quoque homines ſedulò exercuerunt. *Gen. 4. v. 2. cap. 9. v. 20. c. 25. v. 27.* Eleganter Varro *3. de rer. ruſtic. c. 1.* Ruſtica vita, inquit, multò antiquior eſt urbanâ; quòd fuit tempus, cùm rura colerent homines, neque urbem haberent. Neque mirum: quia divina natura dedit agros, ars humana ædificavit urbes: neq; unquam defuerunt agri in terris, qui coli poſſent, cùm interim artes multæ non eſſent. Cicero omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil agriculturâ melius, nihil homine libero dignius cenſet. *1. de offic.* ſine hac nulla conſiſtere aut cõſervari Reſpubl. poteſt. *Ariſt. 1. pol. 5.* quia ali-

alimenta neceſſaria ſuppeditat. *Proverb. 12.v.11. Ariſtot.7. Pol.9.* Romani cùm virũ bonum ampliſſimè laudabant, eum bonum agricolam & bonum colonum appellabant. *Cato de re ruſt. ab init.*

Agriculturę proximè ſuccedit Pecuaria. *Geneſ.4.v.2.c.25.v.27.c.29.30 &c.* Hæ enim duæ antiquiſſimæ artes civitates, pagos, villas, familias, rebus maximè omnium neceſſariis ſuſtentare docuerunt. *Prov.27.v.23.& ſeqq. Plin.lib.2.c.3.* Hiſce artibus deditiapud Romanos cognomina Fabiorum, Lentulorum, Piſanorum, Taurorum, Vitelliorum, Porciorum, Statilliorum, Bubulcorum, ſuis familiis invenerunt. *P. Greg.4.de R.p.8.*

Utramque & agriculturam & pecuariam variæ in mundo artes mechanicæ paulatim conſecutæ ſunt: ut ex d. cap. 4. Gen. apparet, quæ ſunt divinum inventũ. *Exod.31.* quibus homines in urbibus carere nequeunt: *Syrac. d.cap.39.v.36. Ariſt.7. Pol.9* unde lege Athenienſium Juvenibus proponebantur publicè variarum artium inſtrumenta: ut eâ arte inſtituerentur, cujus inſtrumentis maximè delectarentur.

gatorũ,tùm neceſſitas,tum ingenioſa induſtria plures produxit: quarũ omnium ratio & dignitas,cùm ex earũ utilitate ac neceſſitate,tùm ex cujuslibet politię publicæ natura & inſtituto cenſenda eſt: de qua poſthac agendum.

DE MAGISTRATUS ELECTIONE.

Caput X.

A privata politia ad publicam, naturâ duce,progredimur, quæ & ipſa conſtat jubentiũ & parentiũ ſymmetriâ:niſi quòd illa intra privatos parietes, interq; paucos ſe continet, hæc foras & in publicũ progreditur ad plures in univerſitatẽ unam collectos directa.Hanc n.qui coëunt, ſunt illi, qui paulò antè, ut conjuges,parẽtes, liberi, ſeniores, juniores,domini & familia,ſuũ invicem facere officium privatim didicerunt: & nunc in plurimarũ familiarum ramos diviſi& lõgè lateq; diffuſi,ęquabilitatẽ inter ſe tueri nõ poſſunt, ſi omnes eſſe æquales velint. Ideoq;unanimi cõſenſu publicã cõſociationẽ,q politia κατ' ἐξοχὴν dicit᾿,inſtituũt, & diverſarum familiarũ homines in convenie..tẽ conſonantiã redigunt,ut pax &

Nazianz.epiſt.160. ad Eudoxum. & artificibus mechanicis immunitates legibus Romanis conceſſæ, quò magis cupiant & ipſi peritiores fieri, & ſuos filios erudire.*tot.tit.C.de excuſ. artific.* quo in loco variarum mechanicarum artium genera enumerantur,quæ huc pertinent.

Quia vero non omni in terra omnia abundant:multa deſunt utilia & neceſſaria:idcircò,ut non ſolùm, quæ præſtò nõ habentur,aliis,& quidem iis ex nationib. petantur,in quib.abundant *Ariſt.6.Pol.4. Bod.3.de Rep.c.ult.* verùm etiam,ut regiones lõgè aliàs diviſæ hâc ratione, per mutuam rerum cõmunicationem,conjũgerẽtur. *Simanca 9.de Rep.28.* mercatura exerceri cepit, per quã Mercatores, veluti pedes in corpore humano,reliquis membris neceſſaria transferrent. *P. Greg.4.de Rep.7; Geneſ.37.v.25.* Mercatura enim, *ait Cic.1.de offic.* magna & copioſa multa undiq; apportans,multisq; ſine vanitate impertiens,non modò non vituperanda,ſed laudanda eſt.

Hiſce præcipuè artib. prima rei familiaris principia & fundamenta conſtiterũt: donec hominũ in unam Remp. congre-

gatorũ, tùm neceſſitas, tum ingenioſa induſtria plures produxit: quarũ omnium ratio & dignitas, cùm ex earũ utilitate ac neceſſitate, tùm ex cujuslibet politię publicæ natura & inſtituto cenſenda eſt: de qua poſthac agendum.

DE MAGISTRATUS ELECTIONE.

CAPUT X.

A privata politia ad publicam, naturâ duce, progredimur, quæ & ipſa conſtat jubentiũ & parentiũ ſymmetriâ: niſi quòd illa intra privatos parietes, interq; paucos ſe continet, hæc foras & in publicũ progreditur ad plures in univerſitatẽ unam collectos directa. Hanc. n. qui coëunt, ſunt illi, qui paulò antè, ut conjuges, parẽtes, liberi, ſeniores, juniores, domini & familia, ſuũ invicem facere officium privatim didicerunt: & nunc in plurimarũ familiarum ramos diviſi & lõgè lateq; diffuſi, ęquabilitatẽ inter ſe tueri nõ poſſunt, ſi omnes eſſe æquales velint. Ideoq; unanimi cõſenſu publicã cõſociationẽ, q politia κατ' ἐξοχὴν dicit᷑, inſtituũt, & diverſarum familiarũ homines in convenie[n]tẽ conſonantiã redigunt, ut pax &

concordia ſtabiliri, ipſumque adeò hominum genus univerſum benè beateque hanc tranſigere vitam queat.

Hujus igitur conſociationis publicæ primò naturam, in Cauſis, quibus illa omnis conſtat, & deinde in ſpeciebus videbimus.

Conſtat omnis Politia publica duobus hiſce neceſſariis & eſſentialib. membris, nempe MAGISTRATU & SUBDITIS. Quæ duo ſi rectè ſe habeant, quodvis publicæ conſociationis corpus omnibus ſuis articulis ſolidè cohærebit.

Eſt autem Magiſtratus prima conſociationis publicæ pars, jubendi prohibēdique poteſtatem in ſubjectos legitimè gerens. Sine imperio, *inquit Cicero 3. de LL* nec domus ulla, nec gens, nec hominum univerſum genus, ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus, poteſt. Quemadmodum enim in omnibus, quæ in unum diſponuntur, quiddam naſcitur principis vicem gerens: in corporum univerſitate corpus cœleſte reliqua moderatur: omnia animalia rationale animal regit: hominē ipſum divinior anima: *Cælius*

lius lib.13.antiq.lect.c.29. Ita magiſtratus eſt ille Spiritus vitalis publicâ in politia, quem tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi illa mẽs ſubtrahatur. *Seneca lib.1.de clement.*

Cæterùm magiſtratus natura in ejus, tùm Cauſis, tùm Speciebus, conſideranda venit.

Cauſas demonſtrat Conſtitutio Magiſtratus & Adminiſtratio.

Conſtitutionem hic eam intelligo, quæ fit ab hominibus: Nam de divina magiſtratuum ordinatione in generalibus Politicę conſociationis cauſis dicere jam anteverti. Conſtituitur Magiſtratus Electione vel Succeſſione.

Electionis hujus inſpicienda Efficiens & Forma.

Efficiens ſunt tum ii, qui magiſtratum eligunt tum Magiſtratus ipſe, qui in ſui electionem conſentit.

Eligunt magiſtratum illi, qui cùm ſui juris ſint, juriſdictioni alterius ſe ſubjiciunt. Qualis prima fuit in mundo magiſtratus electio conſenſu eorum facta qui ſe tranquillè & beatè vivere non poſſe

animadverterunt, ſi jubendi prohibēdiq; poteſtas in ſingulorū paſſim arbitrio promiſcuè poſita eſſet. Quæ ratio etiamnū durat: niſi quòd pro variis Rerumpub. uti nunc ſunt, generib. illa eligēdi facultas variè expeditur. Jus eligendi & conſtituendi magiſtratus penes univerſos primò fuit: adeò, ut ſi vi injuſtà opprimerentur ab aliis, ipſos pro legitimo agnoſcere magiſtratu prius non viderentur, quàm in eodē cōſenſiſſent, ſive ſpontè hoc feciſſent, ſive coacti. Univerſi igitur ipſi eligunt Magiſtratus; ſed & alii, quibus hoc jus ſuum tradiderint: quales hodiè ſunt Ephori & Electores ſeptem Germaniæ, totum populum repræſentātes, qui tamē & ipſi ſunt magiſtrat9, & ad hūc dignitatis gradum primitus electione pervenerunt. Ex quo intelligitur, omnis legitimi magiſtratus initium ab electione cepiſſe.

De Magiſtratu eligendo duo potiſſimum venire in quæſtionem ſolent, nēpè, cujus Sexus is eſſe debeat, & quib. præditus Qualitatib. aliis, ad imperādū neceſſariis. Quæ omnia eò ſpectāt, ut idone9 ſit.

Sexum ꝙ attinet, pro virili cōcludim9, à quo primum imperādi principium le-

ge divina deducitur. *Gen.3.v.16.* quam & gentium jura ſequũtur. Lex imperii Gallici, omniũ antiquiſſima dicitur eſſe Salica, quæ fœminas ſubmovet à regni ſucceſſione. Neq; verò huj9 imperii propria eſt, ſed communis Aſſyriorum, Perſarũ, Hæbreorum, Ægyptiorũ, Græcorũ, Romanorũ, Abyſſinorũ, Pœnorũ, Germanorum, Scytharum: *Bod. in meth. hiſtor. c.6.* Roman. ſanè leges ab omnib. officiis civilib. ac munerib. publicis feminas ꝓcul ſeduxerunt. *l. fœminæ. D. de R. I. l. Cum Prætor. D. de judiciis. l. 1. D. de poſtulando.* Tulerũt quidem in ſummo honoris gradu nationes quædã fœminas: nõ illas quidem judicio & ſuffragio electas, ſed naſcendi ſorte oblatas: nullus tamen unquã popul9, cùm libera eſſent ſuffragia, & virorum quantulacunque eſſet copia, ſibi fœminas præfecit. *Buchanã. rer. Scoti. l. 12. Bod. 6. Pol. 5. Andr. Friccius 6. de Rep. 21.*

Qualitates & requiſita, quib. ꝓditus is eſſe debet, cui publica rerum gubernatio demãdatur, optimè intelligi ac dijudicari poſsũt ex ꝓprio officio, ꝙ magiſtratui incũbit, & poſtea deſcribet (unà cũ virtuti-

bus ex eodem reſultantibus) quo quantò quisq; inſtructior, tantò magis ad imperandum aliis idoneus cenſebitur: majorq; ac potior hujus, quàm vel ætatis, vel patriæ, vel familiæ, vel opum ac potentiæ, vel eruditionis & eloquentiæ, vel morũ probitatis externæ, vel ſtaturæ & corporis proceritatis, in magiſtratu eligendo ratio habenda. Quod ſi tamen horum adjunctorum aliqua, vel omnia, cum propriis magiſtratui virtutibus, concurrant, interque eligendos propterea certamen ac comparatio detur: non dubito: quin ætate & canitie venerandus ſenex, adoleſcenti & juveni: indigena peregrino: ex familia præſtante & vetuſta ortus, homini novo & obſcuro: locuples tenui: doctus, diſertus, literarum ignaro, minusq; ab eloquẽtia inſtructo: virtutis morumq; probitatis opinione paſſim commendatus ei, qui hac caret: ſpectatæ formę & rectæ ſtaturæ homo indecenti deformitate ac puſillâ exilitate ſpreto, præferendus anteq; ponendus ſit.

Nam & ſecundum naturam eſt, ut juvenes ſub diſciplina vivãt, ut quę à minus perfecto ad perfectum progreſſa juven-

tutis obſequium, imperium ſenectutis docet. *Ariſtot.7.Pol.14* & propter rerum multarum uſum tertium quẽdam habere oculum ſenes dicũtur: quo eventus rerum facilius proſpiciunt: ut medicus ille melior judicatur, qui diutius inter ægrotos verſatus eſt, aut ipſe æger extitit. *Plato 3. de Rep. Iſocr. epiſt.6.* Melior eſt, inquit Bald. *in c.1. Extr. de renunciat.* umbra ſenis, quàm gladius juvenis. Quæ & ratio eſt, cur Plato ad magiſtratum neminẽ admittat, qui pauciores, quam quinquaginta annos habuerit. *3.& 5. de Rep.* Apud Chalcidenſes infra 50. annum magiſtratum gerere nemo potuerit: uti & apud Spartanos, qui ſuos magiſtrat9 nonniſi ex Senioribus conſtituerunt, quos exinde πρεσβύγενας & γέροντας appellârunt: unde nomen apud Romanos quoque Senatus accepit: γερουσίαν vocari Curiam Romulus voluit. *Heraclid. in Polit. Plut. an ſenib. Reſp. gerend. & in vita Romul. ac Lycurg.* Leges civiles ad Remp. adminiſtrandam ante 25. annum quenquam accedere nolint *l. ad Remp. 8. D. de munerib. & honorib.* Romæ conſulatus geri non potuerit ante

43.annum, prætura ante 40. ædilitas & quæſtura ante 27. *Sigonius 2. de antiq. jure Roman. c. 2.* Ad judicandum annus ætatis legitim9 35. fuerit. *Sueton. in Auguſto:* Veneti ante 25. annum in Senatum neminẽ admittant. *Egnat. lib. 3. c. 2. Sabellic. de magiſtratib. Venet. add. P. Greg. 4. de Rep. 5. n. 34. Bod. 3. de Rep. 1*

Indigenis verò, utpotè qui perſpectos habent civium mores, quod Reipub. caput eſt, utiq; rectius ac tutius civium gubernatio cõmittitur, quàm peregrinis & exteris. *Ariſt. 1. Rhet. 6.* præſertim cùm hac ratione longè ſint faciliores ac proniores ad obtemperandũ cõcives, quàm ſi à peregrinis res agatur. *Patricius 3. de Rep. 2.* Hebræorũ lex fuit ab ipſo Deo ſancita: ut magiſtratũ non niſi ex numero fratrũ eligerent. *Deut. 17. v. 15* Apud Maſſiliẽſes nemo magiſtrat9 creatus fuit, niſi qui liberos haberet, & de civium ſanguine tertiã per generationẽ ortus eſſet. *Strab. 4. Geograph.* Syracuſani quoque non niſi priſcis civib. & familus vetuſtis magiſtratus adhibuerũt. *Diod. li. 11.* Benè conſtitutæ Reſpub. Romana, Carthaginẽſis, Atheniẽſis, & hoc tẽpore Veneta, & aliæ, magiſtrat9

ſuis civib. tradũt. *Patric. 3. de Rep. 2.* In Imper. Germanico cõſtitutũ; ne alius eligatur Imp. & Cæſar, qui non ſit Germanus natione. *Aur. bulla Caroli IV. P. Greg. 7. de Rep. 15. in fin. add. Bod. 6. de Rep. 5.*

Genus quod attinet & familiã, ordine & diſpoſitione naturæ creditur in illa vis admirabilis & occulta ineſſe propagãdæ virtutis ac in ſtirpem derivandæ. *Plat. in Menexen. Plut. de liber. educ. Ariſt. 1. Pol. 8.* plurimũq; majeſtatis Reip. accedit: cum ad gubernacula illi ſedẽt, in quib. majorũ virtꝰ ac generis ſplẽdor lucet. *Ariſt. 3. Pol. 8.* Qui enim magnis nati in familiis ſunt, commẽdatione majorũ ſuorum virtutẽ promotam habent. *Cic. pro Planco.* Apud Spartanos, Athenienſes, Corinthios, regię dignitates & officia publica alia, penes certas familias, & quidẽ nobiles, erãt. *Herod. li. 5. Pauſ. li. 1. de Regib. Spartan. Strabo li. 8. Plut. in Theſeo.* Sidonii neminẽ niſi de Regia ſtirpe & familia natũ regnare patiuntur. Apud Sabæos primus ex nobilioribus jure gentis ad ſucceſſionem regni adſpirat. *Alex. lib. 4. c. 23.*

In Divitib. res ac pecunia obſidis & pignoris eſt loco apud Rẽp. & amoris in pa-

triam. *Gellius lib.16.c.10.* eadem ad potentiam& magnificentiam multùm conducit. *Ariſtot.5.Polit.9.& 2.Pol.7.* Carthaginenſes non optimos ſolùm, ſed & ditiſſimos cenſuerunt magiſtratibus præficiendos. *Cælius lib.20.c.24.* Etiam cenſus apud Romanos in ſenatore ac magiſtratu laudatus fuit, ne ſplendor ordinis ampliſſimi rei familiaris anguſtiis obſcuraretur, *Sigon.lib.2.de Antiq.jur.Rom.c.2.* Romulus, cōditâ Urbe, omnes ſpectatâ virtute viros & quib. tum filii eſſent, pollerentq; inter alios opibus, ab ignobili multitudine diſcretos Patres appellavit, Patriæque præfecit. *Plut.in Romul.* pòſt etiã cenſus Senatorius apud Romanos ad nũmos octingentorum millium fuit, quem Auguſtus & ſequuti Principes auxerunt: *de quo vid. Alexand.lib.4.c.11.* In Atheniēſi quoque Rep. Solon ex cenſu magiſtratus quingentorum modiorum & jugerũ conſtituit. *Plut.in Ariſtid.& Solon.* Thebanorum lex fuit, ut mercenarii annos decem à foro abſtinerent, ſuisque acquiſitis bonis honeſtè viverēt, antequam magiſtra-

giſtratus ambirent. *Ariſtot.3.Polit.3.Val. Max.l.4.c.4.*

Adhæc quis melior, quàm literatus Imperator? *Vopiſc.in Tacit.* Literæ ad conſultandum ſunt neceſſariæ, conſilia utilia ad Remp. capeſſendam ſuppeditãt. *Plut. in Coriolan.* Ac licet virtus à natura quoſdam impetus ſumat: tamen perficienda doctrinâ eſt: & ſi ad naturam eximiam eruditio acceſſerit, tum demum ſingulare quid exiſtere ſolet. *Cicero pro Archia.* Et quâ ratione melius tractari populus & in officio contineri poteſt, quàm eloquentiâ? *Plut.de gerend.Rep.*

Illa regit dictis animos & pectora mulcet.
Virg.1. Aeneid. Apud Perſas Rex fieri nemo potuit, niſi qui magorum imbutus diſciplinâ eſſet. *Vopiſc. in Tacit.*

Virtutis quoque opinio, non ſecus atque generis claritas, mirificè ad authoritatem tuendam, & ad obedientiam invitandum ſubditos, facit: quâ occaſione ſæpè etiam peregrini ad regnũ vocati ſunt, ut Appollodorus Cyzicenus, item Heraclides Clazomenius apud Athenienſes,

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Virg.5.Aeneid. In Saulo Iſraëlitarum primo Rege commendatur proceritas. *1. Samuel.10.v.23.& 24.* in Davide oculorum formęq; pulchritudo *1.Sam.16.v.12.* Lacedæmonii Ephori Archidamum Regem pecuniâ mulctarũt: quòd uxorem puſillam duxiſſet, ex qua non Reges, ſed Reginas aut Reguncυlos effœminatos poſt ſeſe relinquere cogitâret. *Plut.de liberor. educ.* In Meroë nemo ſummũ gerere imperiũ potuit, niſi qui prævalido aliis corpore anteſtaret. Gordii ex corporis mole animi indolẽ in Rege dijudicârunt. Apud Medos qui virib. excelleret, præcipuoq; robore p̃ cæteris emineret, jure gẽtis Rex eligebatur. Cathei Indi Regẽ probârunt eũ, qui inſigni corporis formâ præſtaret. Æthiopes, ſi quando Regiæ ſtirpis vir deeſſet, maximũ virum, quiq; opib. & robore præcelleret, Regẽ eligebãt. *Alex.ab Alex.l.4.c.23. Strabo.l.16. Theod.Sicul.l.17.* Spartani olim ſtatuerunt, ne claudus in regnũ admitteretur. *Plut.in Ageſilao.*

Sic igitur cõcludo: in electione magiſtratus ad

tus ad duo reſpicienda eſſe:primò & ante omnia,ſitné perſona eligenda talis, in qua requiſita ad magiſtrat9 officium propriè pertinentia deprehendantur: deindè an præterea horum ornamentorum aliquibus,vel omnibus ſit condecorata:& tum ſi plures ſint qui qualitatib. ad magiſtratum gerendum neceſſariis æquè excellant,is ſuffragia auferat,in quo,cęteris paribus,plura horum ornamētorum apparuerint: præcipuè vero ætatis, patriæ,familiæ,doctrinæ,morumque probitatis.

Forma eligendi magiſtratum conſiſtit, tum in Suffragiorum, tum mutuæ Obligationis modo.

In Suffragiis requiritur , ut omnium conſenſu,quos ea res attingit, fiant; deinde,ut ſint Libera.

Æquum enim eſt,quod ad omnes pertinet,in eodem omnium conſenſum audiri.In prima quidem populorum in unā Remp.coitione& conſociatione conſenſus ille in magiſtratu eligendo erat ſingulorum,qualis adhuc in illis eſſe Reb.pub. debet, in qua populus ſupremam poteſtatem tenet , cui, niſi tum jus eligendi

permit-

permittatur, ſervus eſt & inimicus: Quã & legem Solon Athenienſibus tradidit. *Ariſt.2.Pol.9.* Quod ſi verò poteſtas eligendi à populo & promiſcua multitudine in certos aliquos, vel etiam unum, collata eſt: horum duntaxat, & quidem, ſi plures ſint, eorum omnium, aut majoris partis, conſenſu opus eſt; ſecundum leges tamen cujuſvis Reip. & conſuetudinem loci. Utraq; eligendi ratio æquè bona eſt, ſi, quæ ſuperiùs in perſona magiſtratus requiri diximus, ita ubique obſerventur: niſi quòd in democratia, propter incertũ corruptumq; turbulentæ & ignaræ multitudinis judicium, ſententiæ ferè non tã ponderẽtur, quàm numerentur. *P. Greg. 4. de Rep. 5. n. 40 & ſeqq. add. Bod. 2. de Rep. 2. 6. & 7.*

Libertas ſuffragiorum requiritur: non quidem, ut voluntas eligendi ſemper ſit libera: ſæpè enim populus vi oppreſſus conſentire in magiſtratum cogitur: & tũ voluntas coacta, etiam voluntas eſt, legitimumque magiſtratum facit. *arg. l. ſi mulier 21. §. pen. D. Quod met. cauſ. l. ſi patre 22. D. de rit. nupt.* niſi talem magiſtratum

ille-

illegitimum dicere velis:ſed ne quis prece aut precio in magiſtratus officiũ penitret: electionesq; magiſtratuum liberè & incorruptè, ſine ambitu, fiant. *Plat. 6. de Legib.* Libertas hæccè ſuffragandi multis legib. Romanorũ ſancita fuit: Pæteliâ, Bæbiâ, Æmiliâ, Corneliâ, Fulviâ, Mariâ, Fabiâ, Aciliâ, Calpurniâ, *Sigon. 2. de Jud. 30.* Item Aufidiâ, Liciniâ, *Cic. pro Planc.* Põpejâ, Juliâ, *Sueton. in Caſ. Manlius de LL. Romanis* quib. cõſentit jꝰ noſtrũ civile *toto tit. D. & C. de Lege Jul. ambitꝰ & Nov. 8.*

Mutua Obligatio inter eligẽtes & electum magiſtratum continet leges ac cõditiones, ſub quibus ſubditi ad obſequia, magiſtratus ad Remp. adminiſtrandam, fide ultrò citroque datâ & acceptâ, ſe adſtringunt. Neq; enim ulla unquã Reſp. inſtituta fundataq; fuit, ut loquitur Danæꝰ *lib. 1. Pol 4. & lib. 3. c. 6.* niſi ultrò citroque prius habito initoq; contractu pactisque inter ſubditos & futurũ magiſtratũ conventis, quæ utriq; religiosè ſervarent, & quib. violatis poteſtas illa evaneſceret ac tolleretur. Ita quidem princeps etiã ſummus, juxta Plinium *in Panegyr. ad Trajã.* jurejurãdo, veluti officiariꝰ, eſt Reip. ob-

ſtrictè,& totâ Rep ſeu regno,minor. *Stephã.Jun.Brut.inVindic.cõtr.Tyrã.quæſt.3.*

Leges illæ ac conditiones,partim ſunt in genere,de proprio magiſtratus & ſubditorũ officio,tacitè vel expreſsè propoſitæ:partim in ſpecie,de certa cujusque Reip. adminiſtrationis ac ſubjectionis formâ ac modò,ſemper expreſsè proponendæ. Quæ jura regni, itemque Leges regni fundamẽtales, dicũtur: quarum illæ ſunt omnib. populis cõmunes: hæ ſingulorũ propriæ.Hiſçe cãcellis magiſtratus poteſtas includitur.*Plat.4.&5.de Rep. Ariſt.7.Pol.2,*Hujuſmodi obligationũ exempla in Sacris occurrunt.*Jud.11.v.9.& ſeqq.2.Sam.5.v.3.2 Reg.11.v.17.c.23.v.3. & 16* demonſtrant hiſtoriæ & annales regni Gallici,Polonici,Anglici,Danici,Suetici, Hiſpanici,Arragonici, Luſitanici, Belgici.*Jun. Brut. d loc. Autor tractat. de jure Magiſtrat.* Ejuſmodi pacti inter Cyrum & Perſas meminitXenoph.*8.Cyripæd.*Interq; Ephoros & Reges Lacedæmoniorũ. *Idẽ de Rep. Laconũ:*Inter Senatũ populũq; Rom.& Cæſares. *Halicarn.li.2.*Et noſtro ſeculo inter Electores & Impatorẽ *Spec. Saxon.*

Saxon.lib.3.art.54. Sleidan.lib.1.ſub anno 1519.de Regno Gallico conſule Hottom. *lib.1.de antiq. Jure Gall.c.23. add. Bod.1. de Rep.8. P. Greg.7.de Repub. 19.*

DE SUCCESSIONE MAgiſtratu.

CAPUT XI.

Reliqua imperandi jura omnia, ipſaq; etiam Succeſſio, alter conſtituendi magiſtratum modus legitimus, ex Electionis fonte derivatur. Neque enim ſucceſſio magiſtratus etiã illegitima cogitari poteſt quæ nõ originem ab electione ſumſerit. Etenim ut magiſtratus nullus unquam extitit, antequàm homines in illum, ut magiſtratum, conſentirẽt; ità nec ſuccedere potuit. Nam & qui primũ injuſta vi & armis alios oppreſſerunt, inter ſuos prius magiſtratus electione fuerunt, cujus poſtea jure armorum uſum publicum, licet injuſtè ad inſontium oppreſſionem, ſibi vindicàrunt. Neque verò magiſtratus jura ità invaſit, atque obtinuit quiſquam: quin conſenſu ſive expreſ-

preſſo, ſive tacito, atque adeò electione, quamvis coactâ, res tandem eò redierit, imò redire neceſſe fuerit: ut ex invaſore violento & latrone magiſtratus fieret, & Reſp. eſſe inciperet.

Magiſtratu igitur electione primùm conſtituto, locum ſucceſſio invenit: qua magiſtratui magiſtrat9 jure quodam ſuo proprio ſuccedit: quod duobus ferè modis procedit: nempè Contractu, aut Ipſo jure.

Contractu Succeſſionis jus tribuitur, ſi in hoc, & ſubditi, & Magiſtratus, conveniant. Hæc conventio, atque inde ſequuta Succeſſio, cùm tota à conſentientium voluntate pendeat, variis pactionibus concludi, informarique ſolet: quæ incorruptè atque inviolabiliter ſervandæ ſunt, quamdiu de contrahentium voluntate conſtat: ut quemadmodum ab initio populus & magiſtratus mutuâ obligatione & conſenſu ſeſe obſtrinxerunt: ita poſteri, ac Succeſſores ſe obligatos quoque obſtrictosque meminerint. Quare utiliter receptũ: ut magiſtratu aliquo ſuccedente pactiones illæ inter ſubditos

& ma

& magiſtratum novum ſubinde renovẽtur, repetitoque conſenſu & jurejurando obfirmentur.

Pactiones illæ cùm variæ ſint ac multiplices, ipſam quoq; ſucceſſionẽ multipliciter variam efficiunt. Interdum enim ſucceſſio certam familiam non egreditur, nec ab illa avocatur, priuſquã magiſtratus ſemel electi poſteritas deficiat. Cujus rei cauſam notat Polybius *lib. 6.* Eorum, inquiens, qui ex ſtrenuis, & beneficis Regibus nati ſunt, beneficia continuata, effecerunt regna in ea familia hæreditaria: eorundẽ autẽ Regis liberorum in populũ inſolentia, effecit regna electiva. In populo Iſraëlitico ſceptrũ Tribui Judæ, & in ea familiæ Davidis, aſſignatũ cõmiſſumq; fuit. *Gen. 49. v. 10. 2. Sam. 7. v. 16. 25. & 26. 1. Reg 5. v. 5. & c. 9. v. 5.* Quod etiã cõtinuatum eſt uſq; ad tẽpora Maccabæorũ. Fuit enim hæc lex fundamentalis regni Judaici: ut per ſucceſſionẽ regia dignitas conferretur. *Deut. 19. in fin.* Exẽpla alia omnib. ſeculis extiterunt, & nũc paſſim ſunt obvia, in Gallia, Hiſpania, Luſitania, Anglia, & plerisq; Germaniæ locis. Interdũ ſucceſſio, inter pſonas diverſarũ

familiarũ reciprocâ obligatione cõſtituitur, ita,ut alterutrâ familiâ deficiente ejꝰ in locũ ſuccedat altera *Caſmã.Pol.c.8.in f.* Vocatꝛ Pactũ ſucceſſoriũ.Pactionib,etiã fit,ut quoq; infantes & ſurdi,muti,aut aliâ ratione inhabiles ad imperãdũ admittãtur: quib. eã ob cauſam proximi agnati vel cognati.ꝑ ut cujusq; Reip. lege cõſtitutũ fuerit,in adminiſtratione adjungi ſolẽt. *2.Reg 15.v.5. Danæus 6. Pol.3.& 3.Pol. 6.P.Greg.7.de Rep.6.* Quinimò regna inſtar patrimonialiũ bonorũ conceſſa: nec nõ oppignorata, vendita,permutata, donata,in dotẽ data, adoptione, teſtamẽto, trãslata,legimus. Aegyptii fame cõpulſiſe ſuosq; agros Regi Pharaoni in ꝑpetuã ſervitutẽ addixere. *Gẽ.47.* Philip. Valeſiꝰ Delphinatũ 40000. aureorũ, Beroënſem Ducatũ 60000.oppignoratũ habuit: multi principatꝰ oppignoratos lege Cõmiſſariâ retinuerãt.Inter Ricardũ Angliæ Regẽ & Guidonem Luſinianũ,regni Cypri, Templariis tùm oppignorati,cum regno Hieroſolymitano reliquaque Syria, in qua jus ſibi eſſe Guido contendebat,permutatio facta eſt. *Aemil.lib.6.* Ex quo Angliæ Reges Hieroſolymitani regni titulũ

aliquandiu uſurpârunt. *Polyd. lib. 14.* Inter Leonem IX. P.R. & Henricum III. Imp. in feſto Natalis Chriſti anno 1053. VVormatiæ inſignes nonnullorum Principatuum permutationes factas ſcribit Car. Sigon. *lib. 8. regn. Ital.* Magnus Cyrus Pytharcho familiari ſuo ſeptem urbes largitus eſt. Romani Acarnanibus Leucadem & Anactorium opida donârũt. Auguſtus Herodi Jud. regi urbes non paucas in Palæſtina ſponte ſuâ attribuit. *Athæn. lib. 1. c. 27. Joſeph. lib. 15. antiq. Jud. c. 11.* Auſtriacæ familiæ Gallia Belgica, Hiſpania, Luſitania, aliaq; potentiſſima regna: Algarbiorum regnum Alfonſo X. Caſtilliæ Regi, Vicecomiti Turenio, Duce Bullioniæ in matrimonium ductâ, principatus ille, dotis nomine obvenit. *Franciſ. Taratta de regn. Hiſpan.* In Imperii cõſortium & ſucceſſionem Julius Cæſ. Octavium, Tiberius Caligulam, Claudius Neronem, Galba, Piſonem, Nerva Trajanum, Trajanus Adrianum, Adrianus Antoninum Pium, Diocletianus Galerium Maximinum, Juſtinus Juſtinianum adoptione adſciverũt. *Cuſpinian. Sueton. Vopiſc. Procop.* Ericum Pome-

Pomeraniæ Ducem in Regem Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ, Margaritæ Reginæ jam ſeneſcẽtis adoptio provexit. *Crantz. lib.10. Saxon, c.26. & lib 8. Daniæ, c.1.* Andium Dux Ludovicus, à Johãna Regina, Neapolitanum regnum adoptione accepit. *Anton. Flor. Chron. tit.22.* Attalus populo Romano Aſiam legavit, quam antè ab eodem dono acceperat. *Val. max. lib.5. c.2.* Ex eo tempore Dalmatia & Croatia parère Ungaris cepit, quo Zelomiro Dalmatarum regi ſine herede mortuo Uxor ſucceſſit: quæ rurſus fratrem Ladislaũ, Ungariæ regem, à quo contra ſeditioſos protecta fuerat, heredem inſtituit, *Bonfin. lib. 4. Decad. 2.* Carolus Burgundus, quòd Heldobenſem Ducem ſenem contra adoleſcentem filium tutatus eſſet, ad ſucceſſionem teſtamento vocatus fuit, exhęrede filio. *Aemil. lib.10. add. P. Gregor. lib.7. de Rep.*

Hoc conſtituendi magiſtratus genus per ſucceſſionem, omnium tutiſſimum prudentes judicant: quòd minore diſcrimine ſumantur principes, quàm quærantur, *Saluſtius in Jugurth.* pravæque alio-

rum ſpes cohibeantur, ſi ſucceſſor non in incerto. *Tacit.3. Annal. P. Greg.7. de Rep. 4.* Quæ & cauſa eſt, quare olim filii Regum à parentib. adhuc vivis ſint Vicarii regni creati, *1. Reg.1.v.35.* & Romani Cæſares Auguſti ſuos Succeſſores maturè deſignârint: uti hoc quoque tempore Romanorum Rex Cæſari, conſenſu Imperii, ſuccedit: apud Arragonos Gerundæ. *Valla lib. 3. hiſtor.* apud Anglos VValliæ Principes. *Polyd. lib.16.* apud Hiſpanos Infantes, quos vocant, apud Gallos Delphini, regno deſtinantur. *Danæus 6. Pol.5. Polyd. li.19. Aemil. lib. 9. Valla lib.1. de Ferdinand.* Ex quo & illud colligitur, utile eſſe, ut Succeſſor, prædeceſſore defuncto, ad Reip. gubernacula capeſsēda, ſe quamprimum offerat. *2. Samuel. 2.v.3.*

Ipſo Jure ſucceſſio fit, cùm magiſtratus juſto bello, juſtisque armis poteſtate ſuâ excutitur, cui poſtmodū victor ſuccedit: *de quo infra ſuo loco.*

DE RELIGIOSO MAGIſtratus officio.

CAPUT XII.

MAgiſtratu ita conſtituto, ad ejus nunc

nunc adminiſtrationem accedendum: quæ proprio ejuſdem officio perficitur: quod magiſtratus quaſi forma eſt. Sicuti enim privata in politia deſcribenda hominum, quib.illa conſtat, officium proprium delineavim9:idem in publica nũc faciendum erit. Nam ut Ethica ſuis præceptis commune totius generis humani officium complectitur, ſecundum quod omnes omninò homines, & ſinguli, ſine ulla differentia, virtutem colant, ſive cõjunx, parens, filius, ſenior, dominus, ſerv9 princeps, aut ſubditus is fuerit: ſic Politica ſpeciale & propriũ hominis officium proponit: quatenus nempè hunc vel illũ gradũ, hanc vel illam perſonã, in conſociatione Politica tenet. Ethica igitur cũctos homines in unã quaſi ollam cõfundit, cunctiſq; univerſim rectam vivendi rationẽ præſcribit: Politica certos eorundẽ ordines conſtituit, & præter Ethicum omniũq; hominũ cõmune officium, propriũ quoq; injũgit, quod quiſq; in ſuo vitę genere, ꝙ in politia ſequit' nõ min9 quã illud alterũ, ꝑpetuò ante oculos habeat. Proindè Ethicum illud officium Ethicis

relinquimus pertractandum: nos illud nō aliter, niſi fortè per ſpecialem accōmodationem; & quatenus politicum officium, præſertim magiſtratus & ſubditorum, per illud declaratur, illuſtratur, explicatur, poſtea attingemus.

Proprium magiſtratus officium duplex eſt: Religioſum unum, Civile alterum. Diogenes etiam Pythagoricus in legitimo Rege hæc requirit: ut Belli dux ſit, ut Judex, ut Sacerdos. *apud Stobæum de Regn.*

Prima & p̄cipua pars officii magiſtrat9 eſt Religio, ſeu curatio rerum divinarū. *Plato 2. & 4. de Rep. Ariſt. 7. Pol. 8.* Pietas igitur primum ſubſternitor fulcrum & crepido, cui firmiter inſiſtat ſimulacrum hoc regni: *Syneſius in orat. de regno.* Quinimò ita proprium principis eſſe curare & tueri ſacra veteres ſtatuerunt: ut plerique habuerint duo hæc munera conjuncta: Sacerdotium inquam, & Regnum. *P. Greg. 8. Pol. 2. num. 6. & ſeqq.* Vnde & Plato templa domibus regalib. conjungi jubet *6. d. LL.* Nec ulla unquam Reſp. fuit, quæ non primam ſuarum legum partem

tem de religione fecerit. Quod de legibus 12. tabb. ex Auſonio ꝓbat P. Greg. *12. de Rep. 4.* Quæ cùm ita ſint: quod Chriſtiani magiſtratus officium circa religionem fore cenſebimus? In Veteri Teſtamento Regi electo liber Deuteronomii tradi præcipitur, quem ſecum is habeat & legat omnibus dieb. vitæ ſuæ: ut diſcat timere Deum dominum ſuum, & cuſtodire verba & ceremonias ejus: neque latum unguem abindè diſcedat. *Deut. 17. v. 18 & ſeqq.* Et *Pſal. 2. v. 10. & ſeqq.* Reges terræ jubētur oſculari Filium: qui eſt æterna Dei Sapientia, & *Proverb. 8. v. 15. & ſeqq.* clamat: Per me Reges regnant, & principes recta decernunt.

Hoc autem religioſum magiſtratus officium, partim cum Eccleſiaſtico commune, partim ſibi planè proprium & peculiare, habet.

Commune magiſtratus & Eccleſiaſtici ordinis officium eſt, quod conjunctâ authoritate & conſilio ſecundum normam ſcripturæ expedire debent: nempè, ut exortas religionis controverſias examinent atque componant: Caſus matri-

monii dubios cognoſcant atq; decidant: morum cenſuras Eccleſiaſticas tum erga quoſvis delinquentes, tum etiam erga ipſos Eccleſiæ miniſtros, exerceant: miniſtros Eccleſiæ eligant, & ſi contra officiũ ſuum fecerint, rurſus deponant: de adiaphoris ſeu ritibus Eccleſiaſticis leges ferant. *Ieremias Nicolai lib. 4. Theolog. c. 7.* In quibus omnib. nullã ſupremam & abſolutam magiſtratus poteſtatem & judiciũ cognoſcimus: ſed cum Eccleſiaſticis cõjungim9: exemplo Davidis. *2. Sam. 7. v. 2.* Hiskiæ *2. Chron. 30. v. 22.* Utroſq; aũt verbo Dei ſubjicimus *Eſai. 8. v. 20.*

Religioſum officium quod ab Eccleſiaſtico diſtinctum habet Magiſtratus, eſt religionis rectè conſtitutæ patrocinium: tum ut miniſtros Eccleſiæ alat, tum ut defendat. Unde Reges nutritores & Reginæ nutrices Eccleſiæ vocãtur. *Eſai. 49. v 23.* idq; cognovit Obadias *1. Reg. 18. v. 4.* Adhæc magiſtratibus injungitur, aperire portas ſuæ ditionis, ut introeat Rex gloriæ. *Pſ. 24. v. 7. & 9.* Defenditur religio cùm totius ordinis Eccleſiaſtici functiones & actiones officii propriæ provehuntur &

conſer-

cõſervatur. *Nũ.3.v.10.* exẽplo Salomonis *1.Reg.5.&6.2 Chrõ.8.v.14.* Ioſaphat *2.Chrõ. 17.v.7.* Joſię *2.Reg.22.& 23.* Hiskię *2.Chrõ. 29.* Cyri *2.Chrõ.ult.v.22.* Darii *Eſdr.6.* Idololatria aũt & hæreſes tollũtur: ita tamẽ, ut ſecundũ legẽ novi teſtamenti vitẽtur, non interficiantur: niſi turbulentè ſe geſſerint: Exẽplo Aſiæ. *1.Reg 15.v.12.& ſeqq.* Joſaphati *2. Chron.17.v.7. & ſeqq.* Joſiæ *2. Reg.22.& 23.*

DE LEGUM LAtione.

Caput XIII.

ALterum Magiſtratus officium proprium, quod Civile eſſe diximus, primò publicã Juſticiam adminiſtrat, deinde Tributum à ſubditis exigit.

Qui ſuum cuique tribuit lege juſticiæ omnibus hominib. communi, quam Ethica docet, is quidẽ privatim, relatione ad ſingulos homines, juſtus dicitur: ſed cum Magiſtratus perſona ſit publica, cujus officium in publica hominũ cõſociatione expeditur, nõ jam ut privatę modo

communi omnium hominum officio juſtè aget, ſed etiã publico nomine in rebus publicam ſimul omnium ſalutem concernentibus ſuum cuique tribuet: quæ juſticia publica dicitur, ꝓprio magiſtratus officio ſubjecta. Juſticia enim publica omnibus ex æquo & bono jus dicit, & tùm pacem, quæ eſt communis ſubditorum tranquillitas, tùm publicam honeſtatem cuſtodit. Hoc ſenſu Juſticia omnis Reip. anima & vita appellatur *ab Ariſtotele 7. Phyſ. 14.* & ſine hac ſumma juſticia Remp. regi non poſſe Cicero affirmat *2. de Rep. referente Auguſtino lib. 2. de Civitat. Dei c. 21.* eam namque ob cauſam maximè Reges creati, conſtitutæ civitates, ac Reſp. ſunt: ut ſuum quiſque teneat, neque bonorum diminutio ulla fiat. *Cic. 2. offic.* Hanc & Sacræ literæ juſticiam diligere eos jubent, terram qui judicant. *Sapient. 1. in pr.*

Eſt autem Juſticia publica, Togata vel Bellica. Duo enim tempora continent omnium hominum negotia: Bellum dico, & Pacem. *Theon Sophiſta in ſuis progymnaſmat.* & imperatoriam majeſtatem non

nõ ſolum armis decoratam, ſed & legib. oportet eſſe armatam: ut utrumq; tempus & Bellorum & Pacis rectè poſſit gubernari. *Juſtiniã. in proœm. Inſt. add. Nov. 24. & 25. Ariſtot. 2. Pol. 3. & 5. & lib. 7. c. 9.*

Juſticia togata legum curam gerit: eaſdem tum Ferendo, tum Exequendo.

Lex eſt præceptũ juſti & æqui: ex quo vocatur regula juſtorum & injuſtorum, & præceptrix faciendorum, prohibitrix autem non faciẽdorum: item decretum hominum prudentum. *l. 2. D. de LL. ex Demoſth. & Chryſipp.* item mens ſapientis ad jubendum aut vetandum: *Cic. 2. d. LL.* Recta & à natura Deorum tracta ratio, imperans honeſta, prohibens contraria: *Idem Philipp. 2.* monſtrans quo pacto unicuique agendum ſit. *Ariſtot. in pr. Rhet. ad Alex.* Ut igitur ſine juſticia Reſp. nulla conſiſtit: ita nec ſine lege, cujus finis eſt juſticia. *Plut. in l. ad princip. indoct.* Eſt enim lex vinculum Reip. ad frenandas hominum cupiditates. *Demoſth. cõtr. Midiam & Thimocrat.* Anima & Spiritꝰ civitatis, unde Reip. vis conſurgit: *Cic. pro Cluent.* Sponſor in officio mutuo per-

manendi *Ariſt.3.Polit.6.* Vitę humanæ ſolatium, infirmorum auxilium, potẽtum frenum. *Caſſiod lib.3.Var.* vitæ noſtræ cuſtos ac medicus. *Leo Imp. in proœm. Novell.* Oculus Reip. *Id. Nov. 19.* Perſpexerũt hoc Romani: ideoq; duodecim tabb. Leges pueris ad ediſcendum proponebant. *Cic. 2.d. LL.* cantilenæ olim leges appellabantur, quòd, priuſquam literas homines ſcirent, leges noſſent & cantarent; ne oblivioni illæ traderentur. *Ariſtot. in Problem. ſect. 19. quæſt. 28.* De Cretenſibus idem refert Aelian. *lib. 2. var.* Tuiſco primus Germanorum Rex leges carminibus eſt complexus, quæ publicè & privatim cantarentur, ne oblivio illas obliteraret, aut excuſaret ignorantia. *Aventin.1. Annal.* Neque ullam unquam Remp. reperire licet, ſine certis legibus quæ fuerit: ſed Polybius Romanas omnib. anteponit. *Manut. de Leg. Romã.*

Legum igitur ferẽdarum poteſtas penes magiſtratum eſt: pro modulo tamen Juriſdictionis cuiq; ex gradu, quã in Rep. tenet, competentis. Hinc legum poteſtatẽ magiſtratꝰ, qui ſummꝰ eſt, ſummã, qui infe-

Inferior, inferiorem: ille ex ſeſe, vi magiſtratus, quem gerit, ſed tamen interdum abſolutã, interdũ certis cãcellis vel à ſeipſo vel ſuis prædeceſſorib. cõcluſam: hic ſemper ab alio, nempè ſuperiore, & ſemper limitatam habet.

Sanciuntur leges de ſingulis, q̃ ad Rẽp. pertinent. In quib. maximè præeminent leges, ſi quę ſunt, Reip. fundamẽtales: quę officium magiſtrat9 proprium dirigunt. Exinde ferendæ leges de reb. propriæ magiſtrat9 curæ ſubjectis, de quib. in reliqua tota hâc tractatione dicet̃ pleni9: ut ſunt leges, primò de religione publicâ, de vero Dei cultu, de ceremoniis Eccleſiaſticis, de pſonarũ Eccleſiaſticarũ vocatione & alitione, de bonis Eccleſiaſticis; &c. Poſtmodùm ex juſticia publica leges cõdunt̃ de his, q̃ ad Pacis tẽpus propriè reqrunt̃: anteq; omnia de actionib. Politiæ Oeconomicæ: q̃ ſuâ qdẽ origine & naturâ privata ſemper manet: ſed cujus tamẽ decus & ſtabilimentũ publicè defendi atq; cõſervari omni ex parte neceſſariũ eſſe. Tales erũt leges de jure cõnubiorũ, parentũ & liberorũ, ſeniorũ & juniorũ, Dominorũ & familiæ: de jure ſingularum ſpecie-

rum rei familiaris,& imprimis commerciorum,conventionum& contractuum, deque rerum dominiis. Queis proximæ ſunt leges de armis, deque militum jure, totaque diſciplina militari: Denique de tributis ac rerum venalium vectigalib9. Quibus accedunt jura locorum,pagorũ, Civitatum,Principatuum:ædificiorum tàm privatorum, quàm publicorum, ut murorum & munitionum,platearum& arearum, templorum, curiarum, armamentariorum, viarum & pontium, portuum,aquæductuum, cloacarum,cæmiteriorum &c. item jura exercitiorũ publicorum tum literariorum,tum aliorũ: jura item præmiorum publicorũ, dignitatum atque honorum. Sed quia de hiſce omnibus moveri inter homines controverſiæ ſolent,nec humana malitia legib. ſeſe coërceri libenter patitur, contraque jus & fas lædere alios non deſinit: ideoq; ſuccedunt leges de jure Judicum, & litigantium, deque univerſa judiciorum ratione & ordine: poſtremò pœnæ legibus omnibus adnexæ, inobedientibus atque refractariis delinquentibus irrogandæ.

Tandem,

Tandem, cùm Magiſtratus cuſtos utriuſque tabulę Decalogi eſſe debeat, de omni pietate, deque omni virtute leges, in Dei verbo promulgatas, tuebitur: quòd eæ ſervādæ toti hominum generi ſint, quippe naturales notiones omnium mentib. inſitæ. Calculum nobis adjicit Cicero, cùm inquit: Vitiorum emendatricem legem eſſe oportet, commendatricemque virtutum: ab ea enim vivendi doctrina ducitur. *1. de LL.* Item alibi: Docemur autoritate, nutuque legum, domitas habere libidines, coërcere omnes cupiditates, noſtra tueri: ab alienis mentes oculos, manus abſtinere. *1. de orat.* Et iterum: Major hereditas venit unicuique noſtrum à jure & legibus, quàm ab aliis, à quibus illa bona relicta ſunt. Nam ut perveniat ad nos fundus, teſtamento alicujus fieri poteſt: ut retineam, quod noſtrum factum eſt, ſine jure civili non poteſt. *Pro Cæcinn.* Concordat Ariſtoteles, qui, legem & forti ſuum officium præſcribere, ait, ut non deſerere ordinem, nec fugere, nec arma abjicere: & temperato, non adulterari, nec vi conſtuprare: & clementi, non ver-

berare, neq; conviciari: itemq; in cæteris virtutibus & vitiis, illa jubet, hæc vetat. 5. *Ethic*. 1.

Omnis verò legum vis in juſticia & æquitate poſita eſt. Aequitas in genere, eſt duorũ vel plurium, inter quos res aliqua eſt, proportio. *Vult.* 1. *Juriſpr.* & deſumitur ex jure Naturali vel Civili.

Naturale eſt omnib. populis cõmune, partimque ex ipſa natura immediatè fluxit, partim à ratione naturali per diſcursũ conſtitutum eſt. *Inſt. de I. N. G. & C. l. 1. l. omnes populi. 9. D. Juſt. & Jur.*

Hoc jus omnium eſt fortiſſimũ & immutabile, omnesq; omninò homines obligat, cæterarumq; legũ in Rep. q. norma quædam eſt, perpetuaque regula, contra quam venire nefas ſit. *§. pen. Juſt. de I. N. G. & C. l. eas obligationes. 8. D. de cap. minut. l. 2. D. de vſufruct. ear. rerum. l. jura. 8. D. de R. I. Ariſtot. 5. Eth. & l. 1. Rhet. ad Theodect. Cicer. 2. de Invent.* Quare Dionyſius matri iniquum petenti reſpondit: jus civitatis mutari quidem poſſe, naturæ non poſſe. *Plut. in Apopht.*

Jus Civile eſt illud, quod quæq; Reſp. ſibi

ſibi ipſa jus cōſtituit: ſive expreſſâ id fiat ſanctione, ſive tacitâ utentium comprobatione, per Conſuetudinē. Et igitur requiritur: ut hoc jus cujusq; Reip. naturæ & indoli conſentaneum totum ſit: quale eſt: ſi, & populi ingenio, & Reip. formæ ac ſtatui, reſpondeat: ubi ſimul & locorum & temporum aliarūq; circumſtantiarum ratio habenda. Hoc quidem perſpicuum eſt, ſecundum Ariſtotelem leges pro ratione Reip. eſſe ſcribendas. *3. de Rep. 7.* Ita debēt in popularibus principatibus leges cohibere plebem, ne locupletiorum bonis inhient, inſidienturque: in paucorum verò principatibus avertere illos, qui Remp. gerunt, & ab imbecillorum contumeliis, & à calumniis inſimulationibusque in cives. *Id. Rhetor. ad Alex. c. 3.* Archytas Pythagoreus leges debere regionum & locorū rationem habere dicebat. Quum nec omne ſolum ferat omnia, nec omnium hominum animi earundem virtutum capaces ſint. *Stobæ. ſerm. 41.* De omnib. Rerump. arcanis nullū majꝰ eſt, quàm ad varios hominū mores ac naturas, civitatis cujꝰq; leges ac for mā cōgruentem accōmodare: quēadmo-

dum ſapiens Architectus ædificium diuturnum ac ſtabile futurum ad ſubjectam cujuſq; regionis materiam aptare debet. *Bod 5. de Rep. 1. P. Gregor. 10. de Rep. 5. n. 5. & ſeqq. & cap. ſeq. n. 17. lib. 22. c. 8. n. 7.*

Hoc jus mutuationi obnoxium eſt: quemadmodum & ipſa Reſp. pro cujus conditione & utilitate pręſenti id primò introductum fuit. Sed mutatio iſta in legibus regnorum fundamentalibus difficilius fit: quia hiſce tanquam baſi Reſp. & primùm conſtitit, & poſtmodùm innititur: in reliquis verò juris civilis partibus omnia faciliora ſunt. Ut tamē in horum omnium mutatione propè majori curâ ac prudentiâ opus ſit, quàm in prima ſanctione requirebatur: quòd arbor inveterata difficilius à terra avellatur & eradicetur, quàm ſurculus inſitus fuit: majoriq; impetu & periculo cadat annoſa quercus.

Quorum autem eſt leges ferre, ad eoſdem etiam legis mutatio, abrogatio, interpretatio ſpectabit. *l. nihil. 35. D. de R. I. l. non dubiū 5. C. de LL. P. Gregor. 7. de Rep. 20. & 10. c. 5.* Proinde apud Thurios legis abro-

abrogationem petiturus cum laqueo in publicum prodire cogebatur: quo, ſi nō perſuaderet, ſuſpenderetur. *Diod. Sic. lib. 12.* quam & Locrenſium conſuetudinem memorat Demoſth. *contr. Democrat.*

Cæterùm adjunctas legum qualitates potiſſimum conſtituunt, Paucitatem & Perſpicuitatem: quas quidem illæ cum omni tractatione, quæ cum recta ratione ſuſcipitur, communes habēt. Et Paucitas quidem nihil alienum, nihilque ſuperfluum admittit: Perſpicuitas verborum proprietatem ſententiarumque rotunditatem cuſtodit. Omnia bonarum legum requiſita complexus videtur Iſidorus, cùm ſcribit: Lex erit, honeſta, juſta poſſibilis, ſecundum naturam & ſecundum conſuetudinem patriæ, loco, temporique conveniens, neceſſaria & utilis: manifeſta quoque, ne aliquid per obſcuritatem incautum captione contineat: nullo privato commodo, ſed pro communi civium utilitate conſcripta. Ideo in conſtitutione iſta conſideranda ſunt: quia cum leges inſtitutæ fuerint, non erit liberum judicare de ipſis: ſed oportebit judi-

judicare ſecundum ipſas. *libr. 2. Etymolog.*

DE LEGUM EXSECUTIONE per Judicia.

Caput XIV.

Legum exſecutio hîc conſideratur in Judiciorum inſtitutione & ordinatione, ad controverſias cognoſcēdas, diſceptandas ac dijudicandas. Judicia igitur Juſticiæ diſtributivæ inſerviūt, & ſui naturâ cauſam pūblicā continent, nec exerceri niſi à Magiſtratu poſſunt: cùm aliàs unuſquisq; in ſuo vitæ genere, pro ea, quâ eſt, conditione, Juſticiam facere diſtributivam, cōmuni Ethicę præſcripto, teneatur: veluti Pater & Mater inter liberos, Domin9 inter familiā, Eccleſiaſtici ordinis qui ſunt, inter ſuos auditores, omnesque omninò inter ſe homines: ut boni defendātur, condignis pænis peccātes ſubjiciantur. Et quāvis pænarū irrogatio judiciorū neceſſariū conſequens, & Juſticiæ diſtributivæ propria ſit; judicandi tamen ordinem ac vigorem ſolus præſcribit ac tuetur

tuetur Magiſtratus: pœnas autem ipſe etjam cum aliis imponit delinquentibus: inque hoc magis ut Ethicus & privatus, quàm ut propriè Magiſtrat9 facere videtur. Ita ergo legum exſecutio in judiciorũ publicorum ordine cauſarũq; cognitione, ab ipſa meritorũ diſtributione, ſeparata eſt: utraq; tamẽ Juſticià regitur: illa quidem Juſticiâ magis publicâ, hæc magis privatâ.

Eſt autem Judicium legitima rei controverſæ inter litigantes apud judicem tractatio. Cujus & membra, & in eo procedendi ordo, ſpectantur.

Membra Judicii ſunt Perſonæ & Controverſia.

In omni Judicio perſonæ neceſſariò requiruntur duplices: Judex & Litigantes, quorum hi, alter Actor, alter Re9 dicitur, etiãſi ex alterutra parte plures ſint. *c. forus de V. S.* adeò ut etiamſi interdum magiſtratus proprio motu & ex officio in crimina inquirat: tamẽ Accuſator cõſtituendus ſit, ne perſona ad Judiciũ conſtituendum neceſſaria deſideretur, nec idem Judex ſit & Actor. *Bod. 6. de Rep. 6. & lib. 4. c. 6.* præſertim ſi cõtroverſia ipſi judi-

judicem contingat. *l. qui Juriſdictioni 10. D. de Juriſdict. toto tit. C. ne quis in ſua cauſ. judic.* Quamobrem cum Calliſthenis ac Philotæ aliorumque conjuratorũ perduellium capita peterentur, Alexander M. nec ſe judicem ferre, nec judiciis intereſſe juſtum putavit, ne judicib. metum incuſſiſſe aut liberam judicandi poteſtatem ademiſſe videretur *ut tradit Q. Curtius.* Magiſtratus igitur vel ipſe judicat, vel neceſſitate ita exigente conſtituit judicem aliũ, qui cùm hoc ipſo magiſtratus quoque eſſe incipiat iiſdem etiam præditus requiſitis ut ſit, ratio poſtulat.

Controverſiæ in judicium deductæ ſunt potiſſimum, de Facto: rarò de Jure: quod hoc nũquam ſit judici controverſum, modò de facto conſtet: quamvis de juris ad factum applicatione nonnunquam inter litigantes controvertatur. Tot ergo ſunt controverſiarum genera, quot modis fieri aliquid circa res, de quibus in Rep. leges feruntur, etiam minimas, poteſt: quæ negligenda non ſunt: cùm ex minimis diſcordiis juriſdictione non ſopitis, maximi ſæpè motus exiſtũt.

Athe-

Digitized by Google

Athenienſi in Rep. non ſolùm fuerunt judicia publica de cæde, incendiis, veneno, inſidiis, ſacrilegio, impietate, proditione, impudicitia, adulterio, neglectâ militiâ, & ſimilibus: verum etiam privata, de convitio, de verberatione, de ebrietate & cæteris. *Ariſtot. 4. Pol. 16. Sigon. 3. de Rep. Athen.* Hinc etiam judiciorum in Libera, & Mercenariorum, apud Perſas *Xenoph. 1. Cyriped.* in publica & privata, judicum item in majores & minores, apud Romanos, diſtributio. Sic multis in Rebuſp. certis controverſiis certa conſtituta judicia videmus: ut Argẽtinæ matrimoniorum, debitorum, & injuriarum diſtincta ſunt judicia: nec omnes cauſæ in Camera Imperiali recipiuntur, in prima inſtãtia, præſertim matrimoniales & criminales: ſed judiciis inferioribus relinquuntur. Quæ eò pertinent, ut omnia litium ſemina ſubmoveantur & pax publica vigeat.

Proceſſus judicii cauſę Diſceptatione & Deciſione conſtat.

Diſceptatio fit à litigantibus coram judice, actore querelam ſuam proponẽ-

te,

te, reoque ad eandem reſpondente: donec probationibus hinc inde auditis diſputationi finis imponatur. Diſceptationis judicialis virtus præcipuè conſiſtit in diligentia cognitionis, & celeritate definitionis.

De cognitionis diligentia, rectè Eleutherius Papa, Judicātem, inquit, oportet cūcta rimari & ordinem rerum plenâ inquiſitione diſcutere, interrogandi: reſpondendi, objiciendiq; præbitâ patientiâ: ut actio ambarum partiū illuminata ſit pleniter; nec litigantibus judex prius velit ſuâ ſentētiâ obviare, niſi quãdo ipſi, jam peractis omnibus, nihil habeant in quæſtione, quod proponāt: & tamdiu actio ventiletur, quò uſq; ad rei veritatem perveniatur. *c. ult. 30. q. 5.* Imperator Conſtantinus, judices oportere, ait, imprimis rei qualitatem plenâ inquiſitione diſcutere, & tunc utramque partem ſępius interrogare, numquid novi addere deſideret: cùm hoc ipſum ad alterutram partē proficiat, ſive definiēda cauſa per judicē, ſive ad majorem poteſtatem referenda ſit. *l. 9. C. d. judic. add. l. ubi falſi 22. C. ad*

Digitized by Google

L. Cornel. de falſ. Aliàs nocens nemo eſſe poterit, ſi negaſſe, nec innocens quiſquam, ſi accuſaſſe, ſufficiat. *Ammian. Marcell. lib. 18.*

Celeritas definitionis deſiderat: ut quàm fieri poteſt breviſſimo tempore lites diſceptentur: quod fit compendiosâ & ſtrictâ terminorum, intra quos cauſa diſceptanda eſt, præfixione & obſervatione. Hanc judicãdi legem Aegyptii, Areopagitæ, Cymbri, obſervârunt: *de quib. Diodorus l. 1. c. 6. Sigonius l. 3. de Rep. Athenienſ. Author belli Dithmarſici lib. 1.* Non neglexerunt Romani, quorũ lex 12. tabb. extat talis: Ante meridiem cauſam conſcito, cùm perorãt ambo præſentes: poſt meridiem præſenti litem addicito. Si ambo præſentes, ſolis occaſus ſuprema tempeſtas eſto. *Gellius libr. 17. c. 2.* Optimè Juſtinianus Imperator, Properandum nobis viſum eſt, inquit, ne lites penè fiant immortales, & vitæ hominum modum excedant. *l. properandum 13. C. de Judic. add. l. quidam 21. in fin. D. de reb. credit.*

Deciditur lis per ſententiam judicis: ſenten-

ſententiæque Exſecutionem.

Sententia eſt rei controverſæ pronunciatione judicis facta deciſio, habens rei conventi condemnationem vel abſolutionem: aut, ſi plures fuerint actionis inſtitutæ partes, diſtinctim utramque. *Cujac. in Parat. C. de ſentent. & l. 1. D. de re judicat.*

Deciſionem litis per ſententiam ſequitur protinus rei judicatæ exſecutio & in effectum deductio ac conſummatio: ſine qua judicia fruſtrà inſtituta eſſent, fruſtrà item ſententiæ ferrentur. *tot. tit. C. de exſecut. rei jud. l. à Divo 15. D. de re judic.*

Utramq; & Pronunciationem & Exſecutionem ſententiæ poſcit à judice juſticiæ diſtributivæ virtus; quæ & Clementiæ ac Severitatis præcepta in pœnarum impoſitione tradit: de qua ſuo loco.

Hæc ſunt, quæ eſſentialiter ad legitimam cujuſcunque judicii perfectionem pertinent: ratio tamen eorum in ſpecie omnium non una atque eadem in omnibus Rebuſp. cùm neque eadem ſit omniũ Rerump. gubernatio: & multa præterea incide-

Digitized by Google

incidere ſolent ad meliorem Procedendi ordinem, cauſæque ſolidam cognitionem facientia: quæ diſcretioni ac directioni judicis committuntur.

Cæteroquin ſolēt in magnis Rebuſp. gradus quidam Judiciorum conſtitui: quos Appellationes vocant: quibus ab inferioribus judiciis per intermedia ad ſupremū provocatio datur. Tale in Monarchia Romana hodiè eſt Judicium Cameræ imperialis, quod exercetur Spiræ, magnum pacis publicæ fundamentum, ac Juſticiæ aſylum.

DE BELLO.

Caput XV.

Altera Juſticiæ publicæ pars eſt juſticia Bellica: cujus principium eſt ab Injuſticia. *Proclus in Alcibiad. Platon.*] Cùm enim quorundam hominum animis pluſquàm beluina innata feritas, & pluſquàm injuſtum nocendi ſtudium, ſe nullis conſtringendi legum judiciorumque vinculis pateretur, quin divino humanoque jure perrupto per omne nefas

inſontes omnia ea facit quæ belli ſpeciē referunt, in militum, caſtrorum, præliorumque modo: quia tamen inſontes lædit publicè, illud bellū haudquaquā fuerit, ſed Latrocinium. Quale Nimrodus inter homines exercuiſſe primus judicatur: cùm robuſtus Venator à S. ſcriptura nominatur. *Geneſ.9.v.9.* Quare ut offenſio publica prior ſemper injuſta: ita juſtiſſimum bellum, quod defenſivū: etiam illud, quod offenſione ſemel illatâ poſt intervallum ſuſcipitur; ſiquidem Reſp. tamdiu lædi atque offendi intelligitur: quamdiu ejus jus violenter & injuſtè detinetur, ſupprimiturque.

Porrò defenſionis hujus bellicæ naturam in ejus primò Requiſitis eſſentialibus, tum ipſo defenſionis Actu videbimus. Quo utroque belli & ſuſcipiendi & gerendi ratio continetur.

Requiſita ad bellicā defenſionē ſunt, Neceſſitas defenſionis, Vis publica, Armata manus.

Bellum, niſi extrema neceſſitas coëgerit, haud movendū. Nam ſi in cæteris illis longè levioribus minusq; periculoſis

concordiæ & patientiæ ſtudio, multa cõdonare, ſurdis prætermittere aurib. multa, interdum etiam de jure concedere optimo, neceſſe habemus: quidni idem tãtò neceſſarium magis in belli motu declinando putemus quanto pax publica privatâ præſtantior & graviori detrimento amittitur, difficiliusque ſemel aut turbata reſtituitur, aut amiſſa recuperatur? Ut enim ſylvam ſi quis accenderit non amplius ad ipſius arbitrium incendium fertur, ſed ventis regitur, obvia quæque perdit & conſumit: ita bellum quod ventis accerſunt excitatũ audaciâ vel ignorantiâ non amplius in autorum eſt manu, ſed à fortuna regitur. *Polyb. libr. 2.* Quippè omne bellum ſumitur facilè, cęterùm ægerrimè deſinit: nec in ejuſdem poteſtate initium & finis: incipere cuivis etiam ignavo licet: deponere cùm victores volunt. *Saluſt. in Jugurth.* Adhæc fortuna belli admodum lubrica & anceps. *Thucyd. lib. 2.* nec unquam minus, quàm in hoc eventus reſpondent, *Liv. li. 10. dec. 3.* cùm vincere non ſit in noſtra poteſtate. *Lactant, lib. 6.* Bellum omnium imma-

immanitatum, omnium feritatum, quæ toto orbe à quibuſvis feris committuntur epitome & farrago quædam eſt. *Ph. Mornæus de verit. Chriſtian. relig. c. 16.* temereque in acie verſari manuque cum hoſte confligere immane quiddam & beluarũ ſimile: ſed cùm neceſſitas arma poſtulat decertandum manu eſt. *Cic. 1. offic.* Ideoque imperatori capienda arma non ſunt, dum pacem agere licet. *Zonar. in Martiã.* ſed tùm demùm ad arma perveniendum, quãdo nulla niſi in armis relinquitur, ſpes. Qua ratione ſemper juſtum eſt bellum quib. neceſſarium: ſemper pia arma, quibus nulla niſi in armis ſpes vitæ poſita eſt. *Liv. li. 9. Antimachiavel. 3. de Polit. 1.* Hâc legitimâ neceſſitatis cauſsâ imperatoria ſtat acies. *Theodoſ. ad Valentin. in Cæſ.* dicunturque ob id Romani felicia bella geſſiſſe, quia juſta geſſerint, & glorioſa non tàm exitu, quàm principiis, quia nõ ſine cauſa gravi ſuſcepta. *Liv. lib. 5. dec. 5.* proindè nunquam ſatis laudata Luculli & Scipionis vox fuit: Malle ſe unum civem ſervare, quàm mille hoſtes occidere. *Plut. in Lycurg. Jul.*

Capitolin. in Antonin. pio. Præclariſſimè ea omnia Lud. Vives *in epiſt. ad Hēric. VIII. Angl. reg.* docet: cùm Principi etiam inevitabili neceſſitate preſſo vix deſcendendum ad bellum eſſe, monet: niſi remediis primò omnibus tentatis & fruſtrà conſumtis: quòd nullum tàm felix bellum, quo non potior ſit pax etiam iniqua, ſive curas, ſive ſumtus, ſive diſcrimina cōnſideres & contempleris: initia quidem belli penes Principes eſſe, exitus penes fortunam, ſeu verius DEUM, cujus voluntatem erga nos non ſine cauſa ignoremus: videlicet neſcii, quàm apud eum gratioſi ſimus: itaque non ſecus quàm pecunia noſtro arbitrio aleæ expoſita illicò alieni fit juris, incertum cui ceſſura ſit: ita Principem & totam ditionem in ſortem eventus conjici moto bello: multoſque pænituiſſe belli vel proſperè cepti: nec ullam Remp. inſtabiliorem eſſe, quàm quæ ſæpè movet arma: adeoque de jure ſuo potius decedendum Principi, quàm de ſumma periclitetur.

Neceſſitas iſta deducitur ex membris

Rerump.

Rerump. eſſentialibus: qualia ſunt, quæ ad proprium Magiſtratus & Subditorum officium, ad propriam cujusq; Reip. formam in certo imperandi ſubjiciendique modo poſitam pertinēt: quibus convulſis atque laceratis Politiæ corpus conſiſtere ſalvum haud queat. Alia belli, ad Sociorum atque Confœderatorum defenſionem, neceſſaria ſuſceptio, quia ex fide obligationis & fœderis oritur, alterius loci eſt.

Vis publica, alterum belli requiſitum privatas injurias, atq; etiam publicas, quę nullâ vi publicâ adhibitâ inferuntur, excludit: quòd injuriæ in contumelia Reip. factæ fundamenta ſtatumque atque adeò honeſtatem publicam protinus evertere non valeant, & aut contemni, ſi leviores, debeant, aut ſi atrociores, modis vindicari atque averti aliis poſſint, ut propterea ad arma proſiliendum non ſit. Vis autem publica quia armis fit regulariter propulſanda armis fuerit: q d enim eſt quod contra vim ſine vi fieri poſſit: & tū fortitudo q bello tuetur à barbaris pa-

triam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus ſocios plena juſticiâ eſt. *Ambroſ.1.offic.27.* nec modò juſtum ſed etiã neceſſarium cum vi vis illata defenditur. Hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit: ut omnem ſemper vim, quâcunque ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent *Cic.pro Milon.*

Verùm & vis hęc publica perpetuò ad neceſſitatis legem examinanda eſt: cùm nec vis omnis publica vim oppoſitã publicam poſtulet, honeſtæq; interdum atque utiles ſint rationes aliæ, quibus expediri negotia queant, & pericula levi lateris inflexione devitari.

Hiſce igitur rectè ſe habentibus, nil ad defenſionem bellicam reſtat, niſi Armata manus: quòd virorum armorumque faciundum certamen, ut imperia magna contineãtur. *Tacit.15.Annal.* Armata manus prima & potiſſima belli inſtrumenta continet, quibus illud gerendum, nempè Arma & Milites.

Et Armorum quidem prima cura eſſe in bello debet: quòd bella geri, & committi

mitti prælia, ferro, non auro, ſoleat: ut Cræſo monſtranti theſauros ſuos Solon reſpondit. *Plut. in Solon.* Romani ferro ſint ſoliti militare & rem feliciter gerere. *Polyb. lib. 6.* Legio enim non tàm militum numero, ſed etiam ferramentorum genere vincere conſuevit. *Veget. 2. de re milit. 25.*

Armorum autem genera ad omnem belli uſum paſſim frequẽtata ſunt fuſtes, clavæ, ſaxa, gladii, pugiones, haſtæ, arcus, ſagittæ, baliſtæ, arietes, ſcorpius ſeu onager, malleoli, falces murales, murices, teſtudo, muſculi, vineæ, plutei: & maximè hodiè bombardæ & tormenta omnis generis, cum globis & pulvere tormentario, pyrobolides, &, quæ recens in Ungaria inventæ, Petardæ: item thoraces militares, ſcuta, galeæ: nec non tubæ, tibiæ, fiſtulæ, tympana: & plura alia: quib. & nos defendimur & ad pugnam animamur, & hoſtes propulſantur. *Veget. lib. 4. Alex. ab Alex. libr. 1, c. 20. & libr. 6, c. 22. Lipſ. in Poliorcet.*

Sunt verò etiam arma pro loci, in quo bellum gerendum eſt, naturâ, diſtincta.

Ita

Ita equi, elephantes, currus & vehicula, jumenta, pontes portatiles, vel vectiles, legiones, & reliqua ad foſſiones & cuniculos pertinentia, itemque tentoria *&c.* bello terreſtri, quod terrâ; naves verò & varia inſtrumenta nautica, uti & unci, harpagines *&c.* bello navali, quod mari vel flumine geritur, inſerviunt.

Inter armorum apparatus non poſtremo loco referuntur Munitiones: quales ſunt Urbes, Caſtra, Portus, naturâ vel arte, muniti. Hiſce enim maximum liberis hoſtium incurſionibus obſtaculum objicitur, noſtræque copiæ militares tutum receptaculum & propugnaculum habent. Majores noſtri, ait Livius *libr.35.* caſtra munita portus ad omnes caſus exercitus ducebant eſſe: unde ad pugnam exirent, quò jactati pugnæ receptum haberent. Apud eundem Decius ad A. Cornelium, Vidésne, inquit, cacumen illud ſupra hoſtem? arx illa ſpei ſalutisque noſtræ, ſi eam, quam cæci reliquere Samnites, capimus. *libr.7.* Cremonam vocat Tacitus propugnaculum adverſus Gallos trans Padum agen-

agentes, & ſi qua alia vis per Alpes irrueret. *lib 19.*

Cùm autem Caſtrorum, Urbiumq; ac Portuum munitorum in bellis idem ſit finis eademque ratio præſertim quod loci ſecuritatem & cōmoditatem attinet, quę inferius de Urbium munimentis dicentur huc quoq; applicanda erunt: proportione ſervatâ eâ, quam prudentia ex circumſtantiis metietur.

Ex armorum varietate & uſu quædam militum diſtinctio ſumitur; ut alii levis, ut velites, alii gravis armaturæ, ut Cataphracti: alii peltati, alii haſtati, ſclopetarii, ſagittarii, fundatores, armamentarii: alii pedites, equites alii: quidam bajuli, vectores, foſſores & cunicularii: nonnulli tibicines, fiſtulatores, tympaniſtæ: tùm nautæ: itemque præſidiarii: denique copiæ terreſtres aut navales, dicantur. *Aelian. libr. de ordin. cap. 2.*

Militum cura armis proxima in eo eſt, ut idonei & utiles eligantur: in quibus indigenas peregrinis, vegetæ ac juvenilis ætatis decrepitis, agricolas opi-

Digitized by Google

ficibus, præſertim delitiarum miniſtris, validæ viriliſq; ſtaturæ puſillis & imbellibus, exercitatos inexercitatis anteferēdos ratio ſuadet. *Veget. lib. 1. P. Gregor. 11. de Rep. 3. Lipſ. 5. Polit. 8. M. Jun. Polit. quæſt. 70. Zech 3. Polit. 4.*

Solent enim ſubditi acriores & fideliores eſſe externo milite: tùm quòd pro patria, pro aris & focis, pro conjugibus ac liberis ſibi depugnandum intelligunt: tùm quòd juſſa poteſtatemque ſui magiſtratus magis revereantur ac colant. *Polyb. lib. 2.* idq; operam Romani dederunt ſedulò: ut totius exercitus robur Romano cive & Italo homine conſtaret. In quo duplex erat utilitas: & quòd ſui generis homines armorū dediſcere uſum non permittebāt, nec ſumma rerum barbarorum arbitrio fideique credebatur: & cùm è ſuis major pars exercitus conſtaret ſolvendis ſtipendiis ad alienos pecuniam ſuam non transferebant. *Fulgoſ. lib. 2. c. 1.* Demoſthenes in Olynthia. ſuadet Athenienſibus, ut cives ipſi militent, & non ſicut ſolebant per milites peregrinos opem ferant; eamque cauſam eſſe

aſſe-

aſſerit, cur res malè gerantur. *add. Machivel.lib.1.Diſput.21.& lib.2.Diſp.20.*

Aetas militis ex antiqua conſuetudine intra incipientem pubertatem, nempè annum decimum ſeptimum & quadrageſimum ſextum probatur: quòd facilius ſit inſtruere novos milites, quàm veteres revocare. *Veget.lib.1.de re milit.c.4.& lib.2.c.23.lib.3.c.10.* Ita Servius Tullius Romanorum Rex ſeptendecim annorum milites legendos cenſuit: quo tẽpore eos juvenes appellavit: quòd tum Remp. juvare poſſint: Plato anno 20. Sanè ad velocitatem currendi, celeritatem jaciendi, ad labores bellicos alios ſuſcipiendos & perferendos aptiora ſunt corpora juvenilia, quàm membris jam obduratis adulta & obſtipa. *Patricius 9. de Rep 4.* Apud Perſas juvenes à vigeſimo ad quinquageſimum annum militabant. Scytharum legibus cavebatur: ne hominem ſexagenarium in militiam admitterent, *Alexand.lib.1.c.20.*

Quin etiam ex agricolis & viri fortiſſimi & milites ſtrenuiſſimi gignuntur. *Cato 1.de re Ruſtic. Plinius lib.18.c.5.* quo-

conjuncta, in militibus ſpectanda, ut ex vultu, ex oculis, ex omni conformatione membrorũ eos eligas: quòd non tantùm in hominib, ſed etiam in equis & canibꝰ virtus multis declaretur indiciis. *Veget. li. 1. c. 6*: nempè, ut militum ſint dura corpora, ſtricti artus, minax vultꝰ, major animi vigor. *Tacit. de morib. German.* Nam & Romani olim milites ex corporis habitudine dignoſcebantur: ſi apti militiæ, ſi lato pectore, ſi cervice erectâ, oculis vigilantib. humeris muſculoſis, valentib. digitis, longiorib. brachiis, crurib. exilioribus, ſuris & pedib. non ſuperfluâ carne diſtentis, ſed nervorum duritie collectis. *Veget. d. lib. 1. c. 6.* Formæ dignitas & aſpectus ille truculentior commendatus fuit in Hannibale, Cajo Mario, M. Antonio, Iphicrate Atheniẽſi, Artaxerxe Lõgimano, Achille, & aliis. *Patric. 9. d. Rep. 4.*

Denique cùm neque longitudo ætatis aut annorũ numerus artem bellicam tradat, ſed continua exercitationis meditatio, uſuſq; armorum magis proſit quã vires: Scientia militaris nutriat audaciam: Nec facilè quis metuat, quod ſe benè didiciſſe confidit: inque certamine bellorũ

exercitata paucitas ad victoriam promtior ſit, quàm rudis & indocta multitudo expoſita ſemper ad cædem. *Veget. lib. 1. c. 1. & lib 2. c. 1. 23. 24.* Terribilis quippè hominibus conflictus ſi non ſit aſſiduus: & niſi uſu præmuniatur, concertandi ſubitò fiducia non habetur. Animos ſubitò, ad arma non erigunt, niſi qui ſe ad ipſa idoneos præmiſsâ exercitatione diſponunt. *Caſſiod. lib. 3. ep. 3. & lib. 1. ep. 39.* Ideo cum Alexandro illo Magno eos milites legamus, qui bellicis artib. diu multumq; exercitati nõ tàm milites quàm magiſtri militiæ videri poſſint. *Aventin. lib. 1. annal. Boior. Alex. libr. 1. c. 20.* P. Cornelius Scipio in Siciliam cum claſſe miſſus cùm exercitum in ordinẽ redigeret, eos præcipue eligẽdos putavit, qui ſub M. Marcello multos annos meruerant, ſummãque ſcientiam rei militaris habere exiſtimabantur. *Plut. in Scipion.* C. Marius cùm facultatem eligendi exercitus haberet ex duobus qui ſub Rutilio & qui ſub Metello, poſteaq; ſub ſeipſo meruerant, Rutilianum, quamvis minorem, cæteris nullam aliam ob cauſam prætulit,

quàm

quàm quod certioris diſciplinæ eſſent. *Frontin.l.b.4.c.2.*

Hæc ita defenſionem bellicam in ſe conſideratam conſtituunt: quanquã ſunt nonnulla etiam alia, quæ iſtam defenſionis armorumque ac virorum pręparationem & expeditionem multùm adjuvãt: ut imprimis Commeatus & Pecunia: Quia tamen iſtá in cõmunionem eſſentialis perfectionis non veniunt, ut ſine his protinus omnem tolli bellicam defenſionem neceſſe ſit: & verò ortum ſuum propriè ab ærario, & contributione publicâ habent, eò quidem remittẽda ſunt. *Machiavel.1.diſp.10.*

Ad ipſum defenſionis bellicæ Actum progredimur, qui armorum ac militum gubernatione & accommodatione conſtat: quæ Rectore ac Duce indiget, quem prudentes eundem eſſe volunt, qui & belli primùm movendi atque decernendi jus habet, nempè Magiſtratum ipſum. Cùm verò Magiſtratus in Rep. non ſemper una ſit numero perſona, optimum cenſetur: ut adminiſtratio imperii militaris nonniſi uni committatur, propter incer-

incertas rerum in bello gerendarum occaſiones & ad harum opportunitatem ſubitas cōſiliorum mutationes, quæ plerunq; moram lōgioris deliberationis, &, ut fieri inter plures conſultātes ſolet, diſſenſionis atque altercationis non ferunt: cùm conſilia in bello ferè ex tempore capienda ſint. Adhæc difficilius ſilentii fidem plures præſtant, quàm unus: quâ tamen in bellorum periculoſiſſima alea nihil eſſe fidius, nihil arcanius oportet. Itaque in Græcorum ac Latinorum hiſtoriis legimus bellicas res unius imperatoris nutu, conſilio, voluntate, geſtas, aut, ſi quid gravius eſſet, Senatus decreto: nec ad populum quidquā in eo genere promulgatum, præter rogationem, quâ bellum adverſus hos vel illos geri jubebatur. *Bod.1 de Rep. ult. Liv. li.10. & 32.* Quæ Ducis conſtitutio in Polyarchiis ita locū inprimis habet, quas in ſummis rerum perturbationib. atq; periculis tandē ad unius cōfugiſſe imperium plus quàm manifeſtū eſt. In Monarchiis ipſum Monarcham bellum gerere conſultius: niſi fortè minora bella, minorib. Ducib. delegenda

ganda putes. *Tacit 3. Annal.* Aliàs ſi ſtatus imperii aut ſalus provinciæ in diſcrimen vertatur, Magiſtratus monarchicus tantò propius ab acie & exercitu abſit, quãtò majus in bello quod geritur, periculũ ſitum: ut & autoritate incitare ſuos, & fortunæ ingruenti cõſulere præſens maturius ac rectius, poſſit. *Tacit. 4. hiſtor. P. Gregor. 11. de Rep. 4. n. 5.* Dubiis tamẽ præliorum exemtus ſummæ rerũ ac imperii ſeipſum reſervet. *Tacit. 2. hiſtor.* quòd in milite uni, ſors eſt, in impatore univerſorum periculũ. *Egeſip. li. 5. c. 30. 2. Sam. 18. v. 3. 4. Bod. 5. de Rep. 5. M. Jun. quæſt. Polit. 72.*

Quoniam verò timoris plenum, tantam in Rep. poteſtatem uni extra ordinẽ concedi: ut cum exercitu totius regni robur ac ſalutem, quodãmodo ſuis incluſam manib. habeat: pronum eſt intelligere, nõ minore curâ ac circumſpectâ prudentiâ eligendum eum eſſe, cujus fidei ac ſolertię tantam rem committas, quàm quivis magiſtratus præſtantiſſimus alius, cum quo & iiſdem præditus eſſe virtutibus debet. *Lipſ. 5. Polit. 15. Bocer. li. 1. de jur. bel. c. 8. M. Jun. Polit. quæſt. 71.*

Porrò

Porrò ipſa armorum ac militum ad belli actum applicatio, fit primò eorundem Diſpoſitione, & deinde Conflictu cum hoſtibus.

Diſpoſitio in Numeros fit vel in Acie: propterea, ut eò melius cujus ordinis quiſque miles ſit & ſub quo duce militet dignoſci, animadvertique, faciliorque exercitus regi & ad imperia eſſe, poſſit. Robur quoque in ſe habet ordo, perpetuuſque eſt rerum bonarum cuſtos. *Naziãz.*

Diſpoſitio in numeros eſt, cùm exercitus in partes certo militum numero conſtantes tribuitur. Romanorum exercitus in Legiones diſtinguebantur: quarum unaquæque conſtitit ex pedeſtribus & equeſtrib. copiis. Pedeſtres copiæ fuerunt diviſæ in cohortes, & hæ in manipulos, manipuli in centurias, centuriæ in cõtubernia: quorum ſingula decem comprehenderunt milites. Apud A. Gellium Cincius ſcribit, Legionem cohortes decẽ habuiſſe, manipulos triginta, centurias ſexaginta. Equeſtres copias in turmas, & haſce, in decurias diſtribuebant. Turma triginta duos, decuria decem habuit æquites.

Digitized by Google

quites. *Alex. ab Alex. lib. 1. c. 5. lib. 5. c. 1. lib. 6. c. 12. lib. 8. c. 3. Polyb. lib. 6. Veget. lib. 7. & 8.* At verò hodiè cùm magnus colligitur exercitus milites omnes in tria diſtribuuntur regimina; Peditum, Equitum, & eorum qui rem Armamētariam tractāt. Peditum regimē diſponitur in cohortes & contubernia. Cohors peditum trecentos vel quadringentos interdum quingētos, quod & propter robur & propter ſumtus utilius: Cōtubernium decem vel ſex, continet. Equitum regimē diſtribuitur in Cohortes & Turmas. Cohors plerumque ducentos & quinquaginta vel trecentos: Turma quinquaginta cōtinet equites. Sic & regimen eorum, qui rei Armamentariæ præſunt, ſuos habet ordines pro machinarum fulminalium majorum & minorum numero ex Ducis arbitrio diſtinctos. *Bocer. 1. de jur. bel. c. 10. & 11. Obrecht. diſput. prior. de bell.*

Ut autem hi ordines ſibi conſtarent manifeſtius, certis diſcriminati ſignis ac vexillis, & olim fuerunt, & adhuc diſcriminantur.

Quinimò varia inde militum officia exiſtunt:

exiſtunt: tribunorum, decurionum, magiſtrorum, præfectorum, & præpoſitorum, ordinum ſtructorum & ductorum, vexillariorum ac ſigniferorum, aliorũq; *de quibus plenè ad noſtra tempora Dn. Obrecht. in Diſput. bellic. poſter. Bocer. 1, de bell. 12.*

Diſpoſitio in Aciem eſt militum armorumque ad pugnam ordinatio: quæ ſapienter inſtituta plurimùm juvat, ſemperque neceſſaria eſt, quoties hoſtis metui poteſt: ideoque etiam in itinere, maximè in oppugnationibus & propugnationibus caſtrorũ & munitionum, in prelio aperto, & quocunque cum hoſtibus congreſſu, diligenter facienda. Ratio inſtruẽdi aciem alia apud Veteres, alia Noſtra. Homerica illa ferè ubiq; approbata: ut fortiſſimi quiq; milites in fronte & à tergo exercitus collocentur, ignavi & viliores in mediã turbã ac gregem conferantur. *Iliad. δ.* Prudẽtiſſimè Romani, uti ex Livio colligere licet, ſuas acies plerũq; ita inſtruebãt: ut univerſum exercitum in tres ordines dividerent ſe mutuò præcedentes & inſequentes. Primus ordo in fron-

fronte erat ex pubeſcentiũ juvenum flore conſtitutus, qui certis manipulis diviſi & ad hoſtem melius ſuſtinendum anguſtioribus ſpaciis diſtantes, haſtas gerebãt, ex quo haſtati appellabantur. Hunc excipiebat alter ordo totidẽ continens quot prior & in totidẽ manipulos diviſus, ſed majorib. intervallis diſtans, ut ſi haſtati rẽ minus bene gererent, aut cedere cogerẽtur, in intervalla hujꝰ ordinis recipi poſſent. Hi ex robuſtiori ætate & robore virorum conſtituti vocabantur principes. Tertius ordo maximus omnium totidẽ ferè habebat, quot ambo priores: cujus major pars cõſtabat ex veteranis ſpectatę fidei militibus, qui triarii dicebãtur, majorib. intervallis, quàm bini ordines priores inter ſe diſtantes, ut in ea itidem recipi poſſent, tum haſtati, tum principes, ſi iis fortè cedẽdum eſſet. Ita ordinib. nullo modo perturbatis nova ſubindè acies exſurgebat numeroq; augebatur non ſine maximâ hoſtium conſternatione: quòd priores veluti jam victos inſecuti illos à ſuperveniẽtib. animari juvariq; cernebãt. Sed & ſingulis his trib. ordinib. certꝰ Equitum numerꝰ addebatur, qui ad dextrum

ſiniſtrumque latus conſtitutus alarum ſpeciem præbebat, unde Alæ equitum dicebantur. *Sabellic. l. b. 1. Ennead. 1. ex Liv. dec. 1. lib. 8. Machiav. lib. 2. Diſp. 16. P. Rā. lib. 2. proœm. mathem.* Noſtris temporibus armorum mutationem ordinis mutatio ſubſecuta eſt. Cum enim duobus cornibꝰ dextro & lævo ac jugo ſive medio exercitus conſtet, veluti corpus ſuis partibus, ſic ipſe multis acieb. perficitur. Nā, acies ipſa ſive quadrata, ſive triangularis, vel Scorpionis, vel quâcunque aliâ formâ fuerit, in ejus medio ſpatium relinquitur, in quo Ducis ſignum poni ſolet: circum id equites armati cataphracti, in angulis, & etiam in medio, tormenta, ſæpe etiam in fronte, quæ cum pilas emittunt, milites cedere jubentur ac ſi alam facerent: deinde ad ſua loca ſimul redeuntes impetũ in hoſtes faciunt. Pedites inter haſtatos undique à fronte, & à lateribus, & à tergo ſclopetarii collocantur, ac ſingulis haſtatis ſinguli interſeruntur. Sic quælibet peditum acies inſtruitur. Poſt dextrum ac ſiniſtrum cornu in lateribus equites gravis armaturæ collocantur, veluti

luti murus, & peditum robur, vel ubicunque erunt hoſtium equites illis opponendi ſunt Extra ipſa latera equites levis armaturæ, ad pugnã ineundam & laceſſendum hoſtẽ, & nequis fugiat, locari ſolent. *Hippol. à Collib. in princip. cap. 16.*

Aliter etiam in prælio navali acies inſtruitur, quę potiſſimùm in naviã diſpoſitione eſt: inter quas maximè excellit Thalaſſiarchæ. *vid. Veget. li. 5. c. ult. Leon. Imp. de appar. bell. c. 58. Henr. Ranzov. tot. lib. 5. coment. bellic.*

Conflictus cum hoſte eſt cum viri viris, arma armis committuntur: qui robur fortitudinemq; militis in periculis, ipsâque adeò morte, pro patria intrepidè contemnendis, demonſtrat. Antè omnia verò Ducis hic ſeſe exſeret magnanimitas; cujus tùm officium erit, vultu confidentiæ ac conſtantiæ pleno lætum & alacrem obire aciem, præliantibus ſe oſtendere, rem ſtrenuè gerentes laudare, trepidantibus minari, cunctantes hortari, occurſare paventibus, cedentes retinere, laborantibus opem ferre, ſupplere defectus, copias ubi opus erit deducere, re-

ceptui cani jubere: ubi plurimus labor, unde aliqua ſpes, conſilio, voce, manu, inſignis ſit hoſti, cōſpicuꝰ ſuis. *Tac.3.hiſt.*

Hæc breviter generaliora bellicæ defenſionis præcepta ſunt: ſed & quorum tamen nonnulla fortaſsè ſpecialiora, quàm ut omnium in genere bellorum circumſtantiis convenire poſſint. Quæ nunc quidem indicâſſe placuit: prudentiæ bellatoris ipſorum accommodationem relinquentes.

DE DISCIPLINA MILITARI.

CAPUT XVI.

TAlia eſſe Rerump. fata ſolent, qualis armorum & virorum, cùm in diſcrimen adducuntur, in iis robur ac virtus. Proinde nullum tempus majorem aut animi attentionem, aut corporis contentionem flagitat: quàm cùm Reſp. ſe ſuaſque opes ac fortunas militantiū fidei atque armis, adverſus violentas hoſtium invaſiones, cōmittere cogitur; tādiu ipſa ſtabilis ac incolumis futura: donec ſtrenuè fortiterq; propugnatur atq; defenditur. Qui pacis tempore Reip. negotia adminiſtrant; etſi grande onus ſuſtinēt, ma-

gis tamē circa negotia ſingulorū in Rep. viventiū occupati ſunt, atq; per hoc univerſorum felicitatem procurant, nec unâ actione omnem ſimul omnium ſalutem ita complectuntur, quemadmodū in bellica defenſione fit, cujus eventus, (neq; enim bellū niſi neceſſariū probamus) aut Remp. univerſam ſalvam ab oppreſſione atq; interitu pſtat, aut extremis involvit calamitatibus. Et ſummâ itaq;, tùm eorū, qui bellū dirigunt, tùm militū reliquorū omnium vigilantiâ ac curâ opus eſt: ut cuncta militariter, cordatē, rectiſſimè, ac bono inprimis ordine gerantur. Ordo autem quia in multitudine ægerrimè retinetur: inſoleſcere etiam ac ferocire animis, indomitamq; induere licentiā atq; contumaciam conſuevit, qui ſe armatum conſpicit: ut inter armorū ſtrepitum legum vox difficulter exaudiri, morumque cuſtodiri menſura poſſit. *Caſſiod. li. 1. var. ep. 9.* iſtas ob cauſas admodum ſtricta ac ſevera quædā legum & actionū militariū virtutumque à milite exactio, aſperūq; & abſciſſum caſtigationis genus in belligerantibus requiritur: adeò ut juxta Clearchum imperator militibus potius,

quàm hoſtis metuendus ſit. *Val. max. lib. 2. c. 7.* qui nulli errantium ignoſcere credatur. *Veget. libr. 3. c. 10.* ut ad ipſius non modò ſignum ſed & nutum intenti ſint milites. *Q. Curt. li. 3.* parẽdo potiùs quàm imperia ſciſcitando, virtutisq; ſuæ regimen Duci relinquendo. *Tacit. 1. hiſt.* Lõgè magis ac in pace, ubi remiſſior paulò indulgentia & conniventia magiſtratus non ipſam protinus Remp. totam uno quaſi momento trahit, ſed hoſtium urgẽtium metu ſublato tolerabilior ac tutior utcunq; eſt. Igitur Scipio Major claſſem in Africam educturus cùm interrogaretur, quâ re fretus id auderet? viros armatos ſeſe exercentes turrimq; excelſam mari imminẽtem oſtendit, & Nullus eorum eſt, inquit, qui nõ, ſi juſſero, aſcensâ hac turri ſemet in mare præcipitaturꝰ ſit.

Hæc Diſciplina militaris eſt magiſtratui in milites competens; & verſatur circa leges militares præcipuè verò circa acerrimam eorum, qui in leges haſce delinquunt, Punitionem.

Leges militares aut ſunt in genere de actionibus omnium militum communibus, nempè de militum ordinibus, in nu-

Digitized by Google

meris in itinere & caſtris inque acie ſervandis, de armorum uſu, de excubiis, de invadendo & profligando hoſte: tùm verò etiam de pietate & reverentia Divini numinis, de poſſeſſione & ſufficientia, de frugalitate & ſobrietate, de caſtitate, de fortitudine, de ſtudio concordiæ, de juſtitia, déque omni virtute. Aut ſunt leges certis militum generibus pro armorũ & officiorum varietate diſtinctis propriæ. Sic aliæ peditum, aliæ equitum, aliæ eorum, qui rem armamentariam, tractant, aliæ aliorum in exercitu ſunt leges. officio cujusque quod gerit accommodatæ. Ad obedientiam erga has leges quas hodiè certis articulis comprehenſas militibus prælegere ſolent, jurejurãdo adſtringuntur milites: idque Sacramentum militare nuncupant; jurati verò milites auctorati dicuntur. Athenienſium militum juramentum dignum relatu eſt, quod apud Stobæum *Serm.14. de Rep.* extat tale: Non ignominiâ afficiam arma ſacra: neque deſeram meum adſtitem, quo cum vinctus fuero: dimicabo pro ſacris & profanis, ſive ſolus, ſive cum multis: Pa-

Digitized by Google

triam non relinquam in deteriori ſtatu, ſed ampliori meliorią;, quàm acceperim: ſemper magiſtratui præfecto prudenter obediam, & legibus conſtitutis parebo, & aliis quibuſcunq; plebis conſenſu decretis. Quod ſi quis leges vel irritas facere, vel eis non obtemperare velit, non cõcedam, ſed ulciſcar tàm ſolus, quàm cũ pluribus. Sacra quoq; patria colam. Horũ Dii mihi teſtes & conſcii ſunto. Militaria item jura expreſſit Aurelianus Imp. in præceptis, quæ Tribuno militum propoſuit ejuſmodi: Si vis Tribun, eſſe, imò ſi vivere vis, manus militum contine: nemo pullum alienum rapiat: ovem nemo contingat: uvam nullus auferat: ſegetem nemo deterat: oleum, ſal, lignum, nemo exigat: annonâ ſuâ contentus ſit: de prędâ hoſtis, non de lachrimis provincialiũ habeat: arma terſa ſint: ferramẽta Samiata: calceamenta fortia: veſtis nova veſtẽ veterem excludat: ſtipendium in baltheo nõ in popina habeat: equum ſaginarium ſuum defricet: captum animal non vendat: mulum centuriatum comiter curet:

ret: alter alteri quaſi ſervus obſequatur: à medicis gratis curentur: aruſpicibus nihil dent: in hoſpitiis cautè ſe agant: qui litem fecerit, vapulet. *Vopiſc. in Aurelian.*

Propè incredibilem animadverſionis militaris rigorem in Poſthumio Tiburto & Manlio Torquato Romanis Ducibus licet animadvertere, qui filios ſuâ ſponte ad dimicādum cum hoſte progreſſos, etſi victores rediiſſent, ultimo ſupplicio affecerunt: ſatius judicantes (*ut ſcribit Val. max. lib. 2. c. 7.*) patres fortibus filiis, quàm Patriam militari diſciplinâ carere. Et hæc quidem (*quod idem cap. ſeq. annotat.*) acriter retenta principatum Italiæ Romanis peperit, & multarū urbiū, magnorū Regum, validiſſimarū gentiū regimen largita eſt, fauces Pōtici ſinus patefecit, Alpium Tauriq; mōtis convulſa clauſtra tradidit, ortumq; à parvula Romuli caſa totius terrarum orbis fecit columen. Ut veriſſimè Alex. Severus Imp. & ipſe Romanus, militarem diſciplinam continere Rempub. dixerit: eamque tàm

ſeverè ſervavit: ut, cùm exercitũ in Parthos duceret, non milites, ſed Senatores tranſire dicerentur: quacunq; iter legiones facerent, Tribuni accincti, Centuriones verecundi, milites amabiles, eſſent. *Lamprid. in Sever.* Noſtrâ tēpeſtate Turcæ, cæterùm barbari & impii, in ſervando ordine, diſciplinâq; militari exercendâ, cunctas antecellere nationes, ipſosq; adeò Romanos veteres ſuperare putantur. Apud illos enim delictum vel minimum capite luitur: ideoque mirâ promtitudine Ducibus ſuis, quamvis cum manifeſto vitæ periculo conjuncta imperãtibus obediunt: manus minimâ ſignificatione & nutibus reguntur, profunda tranant flumina, abruptos ſuperant mõtes, vigiliæ inediæq; tolerantiſſimi ſunt: nullam in caſtris mulierem habent: agricolis moleſti ſunt minimè: nullum his damnum, nullam vim inferunt: ſine tumultu & clamore in caſtris verſantur: ſilentium perpetuum & ſtupendum obſervãt: nulla unquam inter ipſos pugna exauditur. *Renat. Luſing. lib. 1. c. 5.*

Hùc faciũt Judicia militaria, quæ præter

Digitized by Google

ter Civilia ſunt etiam Criminalia: & hodiè quidem ita diſtributa: ut Criminalia ſint primò Ordinaria vel Extraordinaria, & deinde Haſtata vel Stataria. Ordinarium judicium eſt, cùm criminalis cauſa coram ordinariis tantùm judicibus caſtrenſibus proponitur & peragitur: Extraordinarium, ſi præter ordinarios judices etiam alii adhibeantur ad judicandũ. Haſtatum criminale judicium exercetur ab haſtatis militibus, id eſt, toto exercitu, cui Dux belli delictorum militarium cognitionem & animadverſionem conceſſit. Statarium judiciũ pręcipuè in cauſis notoriis locum habet, ſine ulla dilationis cõceſſione. *Dn. Præceptor Obrecht. diſp. 1. de bell. th. 1147. & ſeqq.* Judiciorum militarium adminiſtri ſunt Lictores & Carcerum cuſtodes in exercitu.

DE TRIBUTORUM exactione.

CAPUT XVII.

ALterum Civile Magiſtratus officiũ in Tributorum exactione ſuccedit.

Tributa voco omnes ſumtus ad Reip. gubernationẽ neceſſarios, ab omnibus, qui commodis publicæ poteſtatis utuntur, fruuntur, exigendos. Hiſce enim publicorum ſumtuũ nervis reliqua magiſtratus officia quaſi vigorem quendam accipiunt: ut totum Reip. corpus & ſuſtineri validiùs, & moveri prõtiùs queat. Neq; enim Religionis totiusq; Eccleſiaſtici ordinis (quo & Scholaſticus ordo continetur) in Rep. patrociniũ, ſuſtẽtatio, defenſio, fieri, judicia itẽ publica expediri, ſine erogatione poſſunt. Bellũ præterea ſi ingruat, definita non quærit: quod Archidamus in bello Pelopõneſiaco ſociis rogantib9, Quantũ pecuniæ futurũ eſſe ſatis, ac poſtulantibus, ut tributorum certũ modum præſcriberet, reſpondit. *Plut. in Apophth.* Sunt enim tùm impenſę in arma & apparatum bellicum omnis generis, in militum ſtipendia & commeatũ: ad hoſtiũ conſilia, copias evertẽdas, largitiones faciẽdæ: nec poteſt ullum magnum imperiũ ſpeculatorib. carere: ac ſæpius hoſtes corruptis Ducibus, quàm fuſis legionib. vincuntur. Non aliis ferè adjumentis

Perſa-

Perſarũ Reges Græcos ab Aſia, quàm pecuniâ corruptis Ducib. depulerũt. *Plut. in Lyſandr. & Ageſil.* Et Philippus Macedoniæ Rex oraculũ de victoria conſulẽs reſponſum tulit: Haſtis pugna argenteis & omnia vinces. *Eraſm. in adag.* Quo ille edoctus largitionibus ac donis Græciam penè totam ſub imperium ſubegit: dicereque ſolitus fertur: Nullam arcem tantam, tantisq; præſidiis ac propugnaculis obfirmatam ac munitam, quæ non facilè poſſit expugnari, ſi jumentum aureis nummis onuſtum eò penitrârit *Cic. 1. ad Att. ep. 12. & 7. Verrin. Bod. 6. de Rep. 2.* Sic pleræq; belli res conficiuntur conſilio & vi pecuniarum & per ſumtus efficacia arma & utilia fiunt. *Thucid. li 1. & 2.* Quare & Romani in pleriſq; oppidis totius anni in aceto, frumento, larido atq; hordeo & paleis, ad militum equorumq; uſum cõdita habuerũt. *Capit. in Gord.* Perſæ in expeditionib. priuſquam exercitum itineri cõmitterent rei frumentariç & pecuariç copiâ inſtruxerũt. *Xeno. 4. Cyrip. Herod. li. 1.* Helvetios Cęſar cõmemorat *li. 1. de bel Gall.* de occupãda Gallia cogitãtes prius

conſtituiſſe ea, quæ ad proficiſcendum pertinerent, interq; alia ſementes quàm maximas per biennium antè feciſſe, & ſingulos proficiſcentes trium menſium molita cibaria ſecum efferre juſſiſſe. Quã in commeatus curam Iſraëlitas quoque incubuiſſe videmus. *Judic.20.v.10. 1 Reg. 20.v.27. 2 Chron.11.v.11.c.17.v.12.13. 2 Reg. 20.v.13.* Nam & propter ſubitas temporum difficultates, quę ſæpè eveniunt, annonam & alia publicè à magiſtratu reponi oportet: quod Joſephũ in Aegypto *Geneſ.41.* & Romanos feciſſe & in benè cõſtitutis Rebuſp. fieri conſtat: qualis Argentinenſium frumenti, farinæ, vini, ſalis, lignorum, carbonum, aliorumq; copiâ ad omnem uſum inſtructiſſima eſt. Quid de publicis ædificiorum, murorũ, arcium, propugnaculorum, templorum, ſcholarum, fororum & curiarum, aquæductuum, balneorum, viarum, pontium, portuum, & aliorum ſubſtructionibus aut reparationibus, de ſecuritate, de tenuiorum & pauperum ſublevatione, de ſecuritate, de præmiis, de infinitis aliis, quæ publicè curari præſtarique à magiſtra-

ſtratu debent, deque eorum omnium administris, quorum operâ magiſtratus in administratione uti neceſſe habet, quibuſque ex publico ſalaria perſolvenda ſunt, dicam? Juſtinianus Imp. tributis nõ illatis Remp. cõſervari poſſe negat: quòd militaribus copiis quæ à barbarorum incurſionibus & truculentiâ cives vindicant, atque civitates à latronum alioque modo incompoſitam vitam ſectantium vi & irruptionibus, agendis excubiis defendunt & reliquis ordinibus aſſignata ſalaria numeranda ſint: muri atque civitates indidem inſtaurentur: publicarum balnearum hinc calefactiones procedãt: ſpectacula, aliaq; omnia, quæ ad delectationem ſubditorum inventa ſunt, ex iiſdem curentur: poſtremò omnia alia proveniant, quæ communem ſubditorum utilitatem concernunt. Atque ita fieri aſſerit: ut quæ contribuũtur à ſubditis partim in ipſos, partim propter ipſos inſumantur & impendãtur: ſibi autem prorſus nihil inde, præter iſtarum rerum curas, contingere, *Novel. 149. c. 2. & 161. c. 2.* Hoc modo tributa ornamenta pacis &

ſubſidia belli *Cicer pro L. Manil.* nervi Reipub. vocantur. *l.1.§.in cauſa 20. D. de quæſt.* quorũ vi Reſp. ſtabilitur. *Leo Imp. Nov.52. Cujac.6.obſ.19.* & ſoliditatem accipit. *Caſſiod.9.ep.9.*

Ut ergo tributorum exactione carere Reip. gubernatio nequit: ita omnis eorũ ratio & modus ex neceſſitate expendendus: quam negotia Reip. demonſtrant. Hincq; adeò diſtinctio tributorum ordinariorum & extraordinariorum oritur: quorum illa regulariter & perpetuò, hęc nonniſi incidenter & pro re nata colliguntur: illa ſemper certa, hæc incerta ſunt, nempè incertis negotiorum incidẽtium momẽtis accommodata. His apud nos Collectas in imperio accẽſendas dixeris: quæ ob publicam utilitatem pacẽ & tranquillitatem, contra hoſtem Chriſtiani nominis conſervãdam, aut alia neceſſitate poſtulante, à Cæſare ex placitis Imperii & ſtatuum voluntate atq; conſenſu indicuntur: ut factum anno à C. N. 1494. 1500. 1542. 1545. 1548. 1551. & poſthac aliquoties. *Receſſ. imp. Gail.2.obſ.52. & ſeq. VVaremund. ab Erenb. de regn. ſubſid.*

Cæte-

Cęterùm non tàm intereſt quarum rerum tributa, quibuſve exigãtur artibus: quàm ut in his moderatio obſervetur, ut tolerabilia ſint. Idque eò magis, ſi alia publicæ neceſſitatis remedia ſuperſint, ex bonis fiſcalibus, & agris publicis, ex mulctis & bonis publicatis, caducis, vacantibus, ex hoſtium ſpoliis, ex amicorum liberalitate & ſociorum contributione, ex mercatura & negotiationibus publicis, aliiſve. *Bodin. 6. de Rep. 2.* Quod juſti & æqui Principes ſemper operam dederunt. M. Antoninus Philoſophus Imper. ne civitatibus & provinciis, aliàs ſatis exhauſtis, tributum extra ordinem imperando, gravis eſſet: in foro D. Trajani auctionem ornamentorum imperialium fecit: tantumque auri indè redegit: ut reliquias belli Marcomannici ex ſententia fuerit perſecutus. *Capitol. in in ejus vit. Sabellic. 4. Enn. 7.* Darius Rex, Xerxis pater, cùm tributũ indixiſſet ſubditis, accerſitos Provinciarum Pręfectos inter alia percontatus eſt: An etiam gravia eſſent populo tributa? cùm illi, mediocria eſſe, reſpondiſſent: juſſit, ut ſinguli

guli dimidiam tantùm partem exigeret. Quâ benevolentiâ & clementiâ admodum cõciliavit ſibi ſubditorum animos, ut meritò ab omnibus diligeretur. *Plut. in apophth.* Alexander Magnus, cum quidam admoneret, Longè plus vectigalium à civitatibus auferri poſſe, reſpondit: Olitorem odi, qui ab radice olera exſcindit. *Plut. ibid.* Cui ſimile eſt illud Tiberii: Boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere. *Sueton. in eod.* Conſtantius Chlorus, amicis admonentibus, Quod in augendo fiſco videretur indiligentior, reſpondit: Publicas opes rectius à privatis haberi: quàm intra unum clauſtrum reſervari. *Eraſm. 8. apophth.* M. Antoninus Pius procuratores ſuos modeſtè ſuſcipere tributa juſſit: excedentes modum rationem factorum reddere præcepit: nec unquam lætatus eſt lucro, quo provincialis oppreſſus eſt. De Procuratoribus ſuis conquerentes libenter audivit. *Capitol. in eod.*

Hiſce finib. magiſtratus in bona ſubditorum jus extenditur: de quo ita Seneca: Jure civili omnia regis ſunt, & tamen

illa,

illa, quorum ad regem pertinet univerſa poſſeſſio, in ſingulos dominos deſcripta ſunt, & unaquæque res habet poſſeſſorem ſuum. Itaque dare regi & domum & mancipia poſſumus, nec donare illi de ſuo dicimur. *6. de benefic. c. 4. & 6.* Planius aliquantò & plenius P. Greg. Omnia, inquit, ſunt Principis, ut & omnia communia, ſed in tẽpore neceſſitatis, in qua Principis dicuntur, ut Principis, id eſt, rectoris & diſpẽſatoris & patris Reip. quæ eſt Domina propriorum, non Princeps, & quæ pro ſuis negotiis, non principis privati, tunc pro ſalute ſuâ contribuere ſupra morem conſuetum & tributa dare dicitur. *9. de Rep. 1. n. 11. Alth. pol. 19. Jun. Brut. quæſt. 3.*

Atque iis, quæ hactenꝰ de officio Magiſtratꝰ in genere, tùm Eccleſiaſtico, tùm Civili in legum ſanctione & exſecutione, gerendoq; bello, deniq; in tributorum exactione poſito, dicta ſunt, includuntur & continentur omnia, quæ Politicis dicuntur, Majeſtatis jura, in conſuetudinibus verò Lõgobardicis, Regalia: & numerantur potiſſimum iſta: Jus legum & Judi-

Judiciorum: jus privilegiorum: jus magiſtratuum creandorum: jus dignitatum & honorum: jus cognoſcendi de crimine læſæ majeſtatis: jus abſolvendi à juramẽto ad effectum agendi: jus dandi veniam ætatis: jus mulctandi: jus bona proſcriptorum & damnatorum occupandi; jus famam reſtituendi: jus legitimandi ſpurios: jus præſtandi auctoritatem in arrogationibus; jus ſupremæ provocationis ſeu appellationis: jus comitiorũ: jus belli: jus armandiarum: jus tributorum: jus monetæ: jus argentariarum: jus vectigalium: jus portoriorum: jus ripaticorum: jus redituum ex piſcationibus: jus ſalinarum: jus angariarum & parangariarum, plauſtrorum & navium: jus bonorũ vacantium; jus tribuendi jus civitatis: jus fluminum & navigationum, & molarũ: jus portus: jus palatiorum: jus nundinarum. *Bod. 1. de Repub. 8. 9. 10. P. Gregor. 9. de Rep. 1. Althuſ. polit. 6. & ſeqq. & rurſus c. 23. & ſeqq. Vult. 1. Feud. 5. n. 7. Obrecht. in tract. & diſp. de Regalibus.*

DE

DE SPECIEBUS MAGIſtratus.

CAPUT XVIII.

AT enim, cùm neq; omnes ſimul cõmuni voto homines, qui in vnam Remp. coiiſſent, neq; pauci ſatis omniũ nomine, multò minus unic9, ſingulis ita conſulere Reip. partibus poſſet: ut nulla vel confuſio, ſi eodem modo omnes, vel defectus, ſi pauciores, aut unus, negotiis ſingulis præeſſent, oriretur: jubendi illa ac prohibendi poteſtas in gradus quoſdam diſtribui cepit: qui ut in Rebuſp. etiam minimis, ita in magnis illis atq; amplis etiam magis conſpicũtur: ubi negotia neq; unius generis, neq; numero pauca: ſed & varia ſunt, & plurima. Quippè creſcentibus Politiis publicis, & ipſa hominum unà crevit improbitas & avaritia, exemplis excita, indiesq; audacior facta, adhæc familiarum multiplicatione ac diviſione dominia rerum in anguſtum paulatim redigi ægrè paſſa: quæ fertiliſſima ac celeberrima litium in Rep. materia ſemper extitit. Unus Demodoces (*ſcribit notiſſimus Politicus P. Gregor.*

4. de

4 de Rep.5 n 46.) propter inſignem juſticiam rex à Medis electus ſufficiebat pro jure reddundo. & manu & poteſtate ejus immediatè omnia regebantur: dilatato imperio, plures magiſtratus orti neceſſariò. Naſcente Romanorum regno Romulus ſolus ſufficiebat, ſed poſtea judicia quædam aliis commiſit: neque alium tunc adfuiſſe magiſtratum Regib. quidam putant, quàm Tribunum Celerum, qui rem militarem curaret, aut ad ſummum etiam Quæſtores, qui pecuniã publicam tractarẽt. Ubi autem Rex Urbe abſuturus erat, creatus Præfectus urbi: rege mortuo, erant interreges: pulſis regibus, duo Conſules creati: qui & jus primùm dixerunt, & bella geſſerũt. Horum tamen imperium poſtea deminutum, lege provocationis ád populum latâ. Subinde diſſidente plebe, Tribuni plebis introducti: qui injuriis Conſulum plebi illatis ſe interceſſionibus objiciebant; quemadmodum apud Lacedæmonios Ephori optimatibus oppoſiti fuerunt: ut & magiſtratus alios & ipſos reges corrigerent: contraque nimium arbitrium

bitrium Conſulum, qui Senatuſconſulta ſupprimebant & Aediles cõſtituti. Item Conſulibus bellis impeditis Cenſores pro cenſu, Prætores in Urbe pro jure de diverſis rebus dicundo: unde diverſa ſortiti nomina: & provinciis additis, Prætores provinciales, Præſides, Proconſules, aliique id genus ex neceſſitate additi magiſtratus, & majores, & minores, cum poteſtate civili, aut militari, aut utraque: & ex eadem neceſſitate alicubi magiſtratus Curatores præpoſiti mulieribus, obſoniis, rebus venalibus, viis, fluminibus, & aliis ſimilibus. Hujus quoque diſtributionis luculentum exemplum Politia Judaica ſuppeditat: cujus negotiis cùm tandem ſolus ſufficere Moiſes nequiret: cõſilium Iethronis ſoceri ſui planè divinum ſecutus Juriſdictionis partes inter idoneos ex populo ita diſtribuit, ut omnium ſupremam ſoli ſibi reſervàrit. *Exod. 18.*

Hinc utique magiſtratuum in Rep. gradus ſunt diſtinctis jubendi ac prohibendi limitibus deſcripti. Sicuti enim omnis magiſtratus (qualis quidem Politicè &

cè & generaliter conſideratur) publicâ jubendi prohibendique poteſtate definitur: ſic ex diverſo iſtius poteſtatis jure, quod cuiq; magiſtratui competit idem dividitur in Supremum vel Inferiorem.

Supremus magiſtratus eſt, qui ſupremam ac ſummam jubendi prohibendiq; poteſtatem habet. Ut enim ſuprema & ſumma illa poteſtas ſit, ita ut nullam in ſuo genere ſuperiorem agnoſcat, ad ſupremum & ſummum magiſtratum conſtituendum ſufficit: licet nō ſit etiam abſoluta, hoc eſt omnimoda libera & indefinita; quòd jura majeſtatis, quæ ſupra diximus, exerceri ſummâ poteſtate omniumq; ſupremâ poſſint, etiamſi nō ſit abſoluta. Quæ etiam Reip. ratio omnium maximè ſtabilis habetur: quòd in ſumma faciendi licentia modū tenere humana natura neutiquā poſſit: & ſalubre admodum ad animos ſubditorū & magiſtratus in mutuo amore & concordia cōglutinādos illud temperamentū: quo & magiſtratui eripitur peccandi occaſio, & abjectiſſimæ ac ſervili ſubditorum ſorti conſulitur. Notæ ſunt invidioſiſſimæ illę

voces.

voces:Si libet,licet:Leges dat imperator, non accipit. Et, Regi Perſarum omnia licent:quib.& Caracalla in novercalem amorem, & Cābyſes in ſororum nuptias, cōtra naturam adducti ſunt. *Sext. Aurel. Ael. Spartiā. Herod. li.3.* uti & illud, quod Tiberius jactare ſolitus: Non aliter conſtat ratio, quàm ſi nulli reddatur: quodq; apud Saluſtium in Jugurth. legitur: Impune quidvis facere, id demum eſt, regē eſſe. Quid? quòd omnes Reſp. hoc abſoluto imperandi genere non adminiſtrantur: quarum tamen nulla ſuo magiſtratu ſummo deſtituitur. Adeò indefinitā nemo habuerit poteſtatem, qui idem ſummus ſit magiſtratus: at non contrà ſummi magiſtratus perpetuum & neceſſariū conſequens, eſt poteſtas omnib. legib. ſoluta. Quanquā non deſunt magni nominis Politici, qui nullam unquam poteſtatem ejuſmodi repertam, adſirmare audent. Illud negari non poteſt: quamplurimas Reſp. hoc abſolutæ poteſtatis genus ignorare. Quomodo nunc poteſtate abſolutâ ſummus magiſtratus definietur, quâ is præditus omnis non ſit? aut ple-

pleræque & multò ampliſſimæ in mundo Reſp. ſummo carere magiſtratu exiſtimandæ. Ad formam Reip. diſcernendam ſummus ejuſdem magiſtratus ante omnia inſpiciendus: quem ſi in abſoluta poteſtate quæras, nõne plurimarum Rerump. formæ informes erunt, aut etiam planè ignorabuntur? Nec verò ad mixtas formas confugere neceſſitas cogit: nec, ſi velis, poſſis: quòd ſummus cujusque Reipub. magiſtratus ſemper ſit ſimplex: nec ejus poteſtas ſumma cum inferiori commiſceatur. Etenim majeſtatis jura cùm in Rep. etiam communicantur aliis, quàm qui magiſtratus ſummi locum tenent: id quidem nũquam facit; ut qui inferior eſt hoc modo in ęquali gradu cum ſummo magiſtratu, qui jam eſt, cõſtituatur: cùm nihilominus ſummus magiſtratus exercitium jurium majeſtatis ſummum, inferior nonniſi inferius retineat, nec ulla commixtio fiat. Neque enim fieri per naturam poteſt, ut in una eademq; re duo pariter ſumma concurrant, & ſe mutuò tolerent. Quin potiùs dicamus: quamprimum ſummo in Rep. magiſtra-

tui

tùi alter pari poteſtate inſtructus ad latus collocatur: aut illum ſummum eſſe deſinere, aut duos ſummos Remp. dividere, aut in unum coaleſcere. Quare, ut ſummus magiſtratus ex ſumma jubendi prohibendique poteſtate dijudicandus: ita cavendum, ne cùm ſummâ aliquem in Rep dignitate inſignem præ cæteris magiſtratibus omnibus videmus: eundem illicò ſummum etiam eſſe magiſtratum opinemur: cùm veriſſimè ſummus magiſtratus non tàm ſit dignitatis quàm poteſtatis nomen in jurium majeſtatis uſu ſupremo poſitum. Sed nec in partē impingendum alteram eſt: ne protinus è ſummi magiſtratus ſolio deturbemus: quorum poteſtatem legibus Reip. fundamentalibus acciſam valdè contractamque agnoſcimus. Multùm ſiquidem intereſt, jura ſuprema majeſtatis contrahantur, an detrahantur: quorum illud abſolutam quidem poteſtatem imminuit, ſummum magiſtratum non ſemper tollit: hoc verò, ne magiſtratum quidem ipſum relinquit: quòd majeſtatis juribus (ita enim majeſtatem hic in gene-

Digitized by Google

re accipimus pro jubendi prohibendiq; poteſtate, quantacunque illa ſit) nullus carere magiſtratus poſſit. Quod etiam manifeſtius hinc evadit, ſi illa ſummæ poteſtatis jura, eo animo, ut ſumma ſint, in magiſtratum conferantur ab iis, qui hoc jus habent: & ipſa quoque talia ſint, ut ſuperiorem omnibus aliis poteſtatem non obſcurè coarguant. In Romano Germanorum imperio ſummum magiſtratum Imperatorem conſtituunt Septem Electores Germaniæ: quos extra Imperatorem, ut cùm imperium vacat, conſideratos etſi non malè Optimates eſſe ſummumque repræſentare magiſtratum tum dixeris: quia tamen ejuſmodi jura, quæ ſupremam poteſtatem continent, in Imperatorem electione conferunt, qualia nemo ipſorum, vel etiam univerſi, ſibi poſt electionem imperatoris factam (legibus ſcilicet imperii obſtantibus) arrogent: liquidum eſt, ſummum in Imperio magiſtratum & monarcham Imperatorem eſſe: utut poteſtas ipſius non ſit uſquequaque libera & abſoluta. Quod quantum ſit in Academiarum in-

ſtitu-

Digitized by Google

ſtitutione, maximarum in Imperio dignitatum, nobilitatis, honorum publicorum, ac privilegiorum collatione ac conceſſione, in Juriſdictionis Aulæ Cæſariæ Cameræque Imperialis concurſu ac præventione, in fiſci jure, in mulctarum ac pœnarum modo, in legitimationibus, in bellorum & exercituum conſcribendorum ratione, & aliis, quæ Imperatoria Majeſtas ſibi quaſi jure quodam proprio vendicat: ſatis intelligunt ii, quibus domeſtica Imperii & Imperatorum jura paulò cognita penitiùs perſpectaque ſunt. Aut qua ratione aliâ Gallorum Regem ſummum eſſe magiſtratum obtineri poterit? Fran. Hotomanus, autor graviſſimus, Gallus, in libris de antiquo jure regni Gallici, Literas Regis niſi à Secretario regni ſubſcribantur & reſcripta à Cancellario obſignentur nullam habere autoritatem, negotia item concernentia regni ſtatum, nonniſi conſultis regni Optimatibus & approbantibus, geſta valere, ſcribit: additque ſpeciatim de rebus regni

non alienandis, de criminibus non abolendis, aut pænâ capitali non remittendâ, de moneta non mutanda ſine Parlamenti publicique conſilii autoritate, de magiſtratu aliquo regni non exauctorando, niſi cauſâ in parium concilio cognitâ & probatâ: aliisque momenti haudquaquam levioris. Deindè reges benè multos recenſet, quibus à Statibus & Proceribus Galliæ regnum abrogatum fuit: Childericum I. Eudonem, Childericum II. Theodoricum, Chilpericum, Carolũ Craſſum, Odonem, Carolum Simplicẽ, Sigebertum, Dagobertum, Ludovicum XI. & noſtro ſeculo Henricum III. ut tãti non ſit, Adolphum & VVenceslaum à Germanis Principibus imperio motos. *add. P. Gregor. 7. de Rep. 11. n. 96. 97. & c. 16. n. 8. 9. Jun. Brut. quæſt. 3. Antimach. 1. theor. 1.* Et quid fiet tot aliis nominis Chriſtiani regnis Angliâ, Hiſpaniâ, Daniâ, Suediâ, Poloniâ? quæ gubernantur à Regibus, legesque ſuas peculiares habent, quas reges obſervent, & ad quas gubernatio fiat, nec paucis abundant exemplis regum ob tyrannidem & abuſum poteſtatis ab officio

officio depoſitorum. Horumnè ergo Reges ſummũ inter ſuos magiſtratum eſſe negabimus? Ratio certè nulla perſuadet, quæ docet, hanc naturam regni inprimis Monarchici eſſe: ut quantò magis potẽtia ſummi magiſtrat9 ſolitaria, & in Rep. ampliſſima futura eſt major: tantò arctioribus frenis indigeat: ne actiones Nauarchæ multorum oculis obſervatæ aut incuriâ negligantur, aut nimiâ licentiâ in temeritatem & Reip. oppreſſionẽ ſe convertant: ſed Reip. navis communibus plurium conſiliis ac opibus adſpirata in tranquillitatis portum felicius perducatur. Quare non inficior, ſummi magiſtratus poteſtatem aliàs anguſtiorib. terminis ac legibus coarctari: interdum liberiori arbitrio relinqui: ſed propterea ſummum magiſtratum non tolli contẽdo, quãdiu ejus, quem ſummum eſſe volumus, magiſtratus poteſtas nõ planè ita circumciditur & attenuatur: ut inter ipſum & quemvis magiſtratum in eadem Rep. alium inferiorem nullum poteſtatis diſcrimen maneat reliquum. Hæc diverſitas, quæ in natura, legibus ac circũ-

ſtantiis cujusque Reip. poſita eſt, facit: ut inter ipſum Reip. ſtatum & gubernationis modum nonnulli diſtinguant: dicaturq; ipſis Democratia, interdum Ariſtocraticè, aut Ariſtocratia Democraticè, aut etiã Monarchia Ariſtocraticè &c. gubernari. Quod ad rei quidem ſubſtantiã parùm aut nihil intereſt, modò de ſummo in quavis Rep. magiſtratu conſtet: ex quo de Reip. ſtatu judicium faciendum: ut ſuo loco patebit.

Inferior magiſtratus eſt, qui jubendi prohibendiq; poteſtatem inferiorem habet: qualis eſt magiſtratus præter ſummũ omnis. Sed & hujus certi rurſus gradus deprehenduntur: aliusque alio ſuperior aut inferior eſt, pro ea poteſtate, quã ſupremæ proximam, aut inferiorem, infimamvè obtinet. Qui quidẽ magiſtratus, relatione ad ſummum, ſubditi ſunt: quomodo principes ac reliqui Germanię ſtatꝰ Imperatoris & Imperii Fideles ſe profitentur. Licet & ipſi ſuos inter ſubditos, & in ea, quam occupant Reipub. parte ſummæ poteſtatis jura exerceant: eoque reſpectu ſua in ditione poſſe id dicuntur,

quod

Digitized by Google

quod Imperator in Imperio. Sunt autem horum magiſtratuum inferiorum, interdum pauciores, interdum plures, pro ut Reip. magnitudo & neceſſitas poſtulat.

Quæ cùm ita ſint: ad proprium magiſtratus officium tùm religioſum tùm civile ut magiſtratus ſummus ſummè, ſic inferior quicunque, etiam infimus, pro ea, quâ quiſque eſt conditione, quâq; ſecundũ leges Reip. pollet poteſtate, obligatus obſtrictusq; tenetur: ut ſuam, quam in Rep. ſuſcepit ac ſuſtinet, perſonam ita gerat: ut Dei gloria ac publica ſubditorum felicitas unicè quæratur.

DE PRUDENTIA MAGIſtratus: & in ſpecie de Stratagematis: itemq; de Conſilio & Conſiliariis.

Caput XIX.

Abſoluto proprio Magiſtratus officio, nùnc protinus erat alterum Politiæ publicæ membrũ explicandũ, nẽpè ſubditi: quãdoquidẽ Politica magiſtrat9 conſideratio nulla alia reſtat, quàm quæ

tradita hucuſque fuit. Attamen cùm Politici ſcriptores, quos equidem vidi, ad unum omnes præter haſce, quas diximus, proprias officii partes, omnis generis in magiſtratu, uti & in ſubditis, requirāt ac deſcribant virtutes, id quod Ethicæ nativum erat & genuinū ad Politicam transferentes: & verò pleriſque pervulgatâ opinione hæc de virtutibus doctrina non minima Politicę tractationis pars videatur: liceat nunc quoque nobis communem hunc errare errorem, & quandam Ethicarum virtutum ad proprium Magiſtratus (& deinceps ſubditorum) officium applicationē inſtituere. Nam prudentiam, pietatem, ſobrietatem, caſtitatem, conſtantiam, humilitatem & virtutes cæteras cùm in Magiſtratu deſideramus: nonnè id, quod præſtare hominem quemvis alium, cujuſcunque ſit conditionis, ex Ethices præſcripto (Theologi vocant communem Charitatem) oportet, à magiſtratu poſtulamus? Et ſanè quidem non immeritò poſtulamus. Nec enim quicquam difficilius, quàm aliis benè præeſſe: opus magnum & arduum impe-

Digitized by Google

imperare. *Plat. ep. 7.* in magiſtratu non res tantum publicæ adminiſtratę, ſed & verba notari ſingula, victus quoq;, joci, domus, ipſa familia, uxor, cubile, curioſius exquiri ſolent: quemadmodum in Cn. Pompeio unico digito caput quòd ſcalperet, in Scipione ſomnus longior, in Cimone pocula largiora, in aliis notata reprehenſaque alia fuerunt. *Plut. in prac. Reip. benè gerend.* Ut enim arces excelſis in mōtibus poſitæ illuſtriori ſitu ſuo hominum oculis & occurrunt longius, & obſervantur acrius, quàm quæ in plano ſunt: & macula ſi qua in facie eſt, ſtatim videtur: ita conſpectiores illius actiones totaque vita eſt, qui rerum aſſidet gubernaculis, in publica luce, in hominū quotidiè oculis verſatur. Adhæc quis non illud Poëtæ veriſſimum experitur?

Regis ad exemplum totius componitur orbis:
Utq; Ducum lituos, ſic mores, caſtra ſequuntur.

Sunt enim Principes inſtar ęnearum literarum in typographiis, quarum una infinitas ſui imitationes in chartis exprimit.

Quamobrē Epictetus, Quos, inquit vulgus imitari præter vos Proceres poteſt? qui ingredimini quaſi regula & exemplū cæterorum, quo vivere pacto debeant. *li. 3. c. 4.* nec rurſus abs re Poëta;

non ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.

Publicam enim virtutum ac morum cēſuram quomodo exercebit magiſtratus, niſi prius animo imperare proprio virtutum dominatu privato didicerit? à ſemet antè impetret oportet, ab aliis quod impetraturus eſt.

Inter virtutes familiam Prudentia ducit, tanquam regina & moderatrix omnium actionum humanarū: utpote quæ non ſolùm in communi Ethicarum virtutum exercitio, ſed in his etiā, quæ proprio magiſtrat9 officio ſubjiciūtur, quid deceat, ſapiēter proſpicit, & accuratâ generaliū ad ſpecialia accōmodatione, optimum quodq; in ſingularibus, pro circūſtantiarum, loci, temporis, ac perſonarū varietate eligit. *Ariſt. 4. Eth. 5.* Hanc Cicero in præteritorū memoria, præſentiū ordi-

ordinatione, futurorum proſpiciẽtiâ ponit. *li.2 Rhet. Senec. de quat. virtut. & ep. fin. lib. ult.* Ariſtoteles propriam imperantis & unicam virtutem indigetat. *6. Eth. 6.3. polit. 3. & 4. pol. 1.* felicitatis illa primas tenere *Sophocl.* per ſenſum prudentũ inhabitari civitates, *Eccleſ. 10.* & ſapientẽ ſtabilimẽtum populi eſſe, *Sap. 6.* dicitur. Unde & quidam univerſum magiſtratus officium in prudentia conſtituerunt, exque ea diſtinxerunt. *Lipſ. 4. polit. Hippol. à Collib in Princ. c. 6. & ſeqq.*

Diffunditur ergo prudẽtiæ vis per ſingulas officii magiſtratus partes, etiã minutiſſimas: ſuoque ambitu tam latè patet, quàm latè infinita negotiorum politicorum varietas, & in iis rationis ac judicii humani uſus & acumẽ, extenditur: ut nulla quęſtio incidere, nulla conſultatio inſtitui, nulla ſuſcipi actio à magiſtratu poſſit: in qua non illa primas ſibi vendicet.

Præcipuum verò quoddã & generale prudentiæ caput in omnib. officii magiſtratus mẽbris maximè conſpicuum, eſt Naturã Regni & deinde Subditorũ ſuorum intelligere.

Digitized by Google

Regni ſui naturam ſciat & conſideret magiſtratus, & Quale videlicet illud ſit, & Quantũ: novumnè, an antiquum, hereditate, an electione, & hâc liberânè, an coactâ, quæſitum; pacatum illud, an diſſidiis, odiis, ſimultatibus turbatum, & difficultatibus implicatum aliis ſit: quæ gubernationis forma, quanta potentia armorum virorumque ac redituum, itemque amicorum & confœderatorum: qualis regio montana & ſylvoſa, an plana & campeſtris, paludoſa, an ſicca, ſterilis an fertilis: quibus & quot urbibus, naturâ an arte munitis, inhabitetur, & ſi quæ ſunt ſimilia.

Subditi quoque, non tantùm in genere, quales plerunque eſſe vulgi mores ſoleãt: ſed etiam in ſpecie à magiſtratu cognoſcendi: ut voluntates, ſenſus, inclinationes ſingulorum, quantum fieri poteſt, perſpectas habeat: verba, actiones, noſcat & notet: præſertim eorum, qui præcipui inter ſubditos plurimumque poſſe putantur. *Ariſtot.5.polit.11. Alex. ab Alexan.lib.4.c.13. Lipſ.4.pol.5. 6. Bod.5. de Rep.1.P.Greg.4.de Rep. 4.lib.10.c.3.lib.11.c. 2.Hipp.*

2. *Hipp. à coll. de Princ. 8. Althuſ. pol. 16. & ſeqq.*

Nec minori ferè ſollicitudine circa vicinarum gentium ac Rerump. noticiam verſari magiſtratus debet: inprimis queis cum plurimum negotii futurum, quique nocere admodum propter vicinitatem poſſunt: interque cætera teneat, quomodo erga noſtram Remp. affecti ſint vicini, quales ſeſe antehæc geſſerint erga alios, & quid ſperari porrò ab illis poſſit: quibus legibus, ac ſtatutis vivant.

Quod Prudentiæ inſtrumentum belli maximè tempore perutile: ut, quod in alio Tacitus commendat, nihil ex hoſtium rebus ſit magiſtratui ac belli duci incognitum: conſilia, locos, promta, occulta nôrit: aſtusq; hoſtium in perniciem ipſis vertat. Errat, inquit alius qui putat, aliquid magis proprium optimi Ducis officium eſſe, quàm conſilia & naturam hoſtis intelligere. *Polyb. lib. 3.*

Horum omnium noticiam duobus ferè modis adſequimur: Explorationibus & Actorum publicorum diligenti adnotatione.

Ferdinandus Davalus Piſcarius affirmabat: nuſquàm à ſano Duce utilius & melius poni ſumtũ, quàm quo certi ſpeculatores pace & bello pararẽtur. *Jovius in Piſcar. lib. 6.* Similiter Conſalvus Magnus in ſpeculatores immenſam vim pecuniæ ad ſexcenta millia ſupra quadringentos & nonaginta quatuor aureos abſumſit. *Idem in Conſalv.* Hujus inſtituti ſunt Paraſangæ, quas noſtri vocãt Poſtas, quæ conſtant veredariis, curſoribus & equis publicis per certas ſtationes diſpoſitis. Tales fuerunt Atilæ Hunnorum regis, qui ut, quid cæteri in ſe molirentur cautiùs experiretur, ad quatuor ferè imperii ſui limites exploratores, tanquam in ſpecula, collocâſſe fertur: item è ſpeculatoribus quemque continuatos curſores habuiſſe, qui celerrimè ad eum cuncta nova perferrent: alterum in Colonia Agrippina, qui Occidentis, ad Tanaim alterum, qui Orientis: cæteros partim ad Livoniam, partim Iaderæ ſtatuiſſe, qui Septentrionis ac Meridiei res novas explorarent. *Bonfin. lib. 5. dec. 1.* Occultiſſimo quodam explorandi genere Græcorum

rum

rum Imperator Manuel Comnenus uſus eſt;qui ut omnia reſciſceret, quæ in conclavib. Romanorum adverſarii clàm conſultabāt, operam dedit; ut nulla eſſet urbs Italiæ,aut etiam ab Italia remotior: in qua non unum aliquem conjuratum & hominem ſibi fidelem haberet. *Nicet. lib.7.* Perinde atq; Judæorum rex David à filio regno pulſus, amici ſui Chuſai cōſilia adverſariorum explorantis & ad Davidem perferentis ſtudio, ſervatus eſt, ne improvisò opprimeretur. *2 Sam.15.v.32. & ſeqq.* Ejuſcemodi namque proditores ut injuſtè agentium molitiones & fraudes juſtè detegunt, citra perfidiam: ita illis magiſtratus licitè utitur. *Joſ.2. v.1,2. & ſeqq.* Explorationibus adnumerantur, quas vocāt Relationes Politicas: quo prudentiæ comparandæ modo Veneti gaudent: quorum Legati, qui apud exteros magiſtratus verſantur, cuncta ea notare & referre jubentur, quæ ad cujusq; Reip. naturam intelligendam facere poſſunt. *Bornit. de prud. polit. comp.*

Actorum quoq; publicorum diligens adnotatio non parùm prudentię inſervit: nempè

nempè ut ſingula perſcripta magiſtratus habeat, quæ publicè geſta, ſive inter ſubditos & magiſtratus anteriores, ſive cum aliis Rebuſp. fuerint: quantæ opes publicæ, quantum civium, ſociorumq; in armis, quot claſſes, regna, tributa, provinciæ, aut vectigalia, & neceſſitas *&c.* qualem librum Auguſtus Cæſar habuiſſe à Tacito *1. Annal.* ſcribitur: & hodiè Archivum locus iſte dicitur, ubi ejuſmodi ſcripta & inſtrumenta publica aſſervantur.

Et quia maximum momentum iſthęc omnia continent, talibus hominib. committenda ſunt, qui & ipſi prudentiſſimi, & veritatis ſtudioſiſſimi.

Hiſce igitur adminiculis adjutus magiſtratus non tantum ad ſubditorum naturam & indolem regni, ſed etiam ad aliorum, præcipuè vicinorum ingenium ſua conformare conſilia & actiones argutà diſcretione, & prudentiâ poteſt. Eaque ſunt tantoperè commēdata illa, quæ Ariſtoteles Principũ σοφίσματα ſeu κρύφια, Tacitus Imperii arcana appellat: quę propriè ſunt Prudentia magiſtratus, in actionibus virtutum, & officii ſui propriis, inſtitu-

ſtituendis. Niſi quod interdum accipiantur pro ipſis etiam officii proprii magiſtratus præceptis; eodē planè ſenſu quo & prudentiam in Politica à nonnullis accipi, paulò antè oſtendi. Ad hanc ergo Prudentiæ regulam, quæ eſt in noticia ſubditorum, Regni, Vicinorum, amicorum, hoſtium (de cōmuni enim illa prudentia in ſingularum virtutum actionibus nunc dicere ſuperſedeo & erūt fortaſſè in ſequentibus aliqua) cętera omnis adminiſtratio dirigenda, ſecundum hāc ferendæ leges, judicia ordinanda, bella gerenda, tributum exigendum.

In bellis inprimis, tanquam periculoſiſſimo Reip. agone, hæc prudentiæ exercitatio ſummè illuſtris: ubi & ſingulare nomen Stratagematum nāciſcitur: quorum tractatio hìc homogenea. Sunt enim Stratagemata prudentia in ſingulis defenſionis bellicæ actionibus adhibita. Hæc boni Imperatoris propria eſt: ut nō minus ſapiēter, quàm fortiter agat. *Guicciard. 2. hiſtor.* neque quicquam tàm pulcrum, tamvè poſteritatis memoriæ juſtâ ratione mandandum: quàm ut Ductor pruden-

prudenter cõſultis exultet. *Amm. Marcell. lib. 17.* Hoſtium verò circumventio non cum juſticia modò, ſed cum magna laude, & jucundo conjuncta eſt cõpendio. *Plut. in Ageſil.* quia ratione & mente vincere, plus eſt quam vi & corporis robore: quod illud magis ſit hominum, hoc beluarum. *Xenoph. de Spart. Rep. Plut. in Marcell.* & juſtum bellum cum ſuſcipitur, ad juſticiam nihil intereſt, apertè pugnes, an ex inſidiis. *Auguſtin. quaeſt. 10. ſuper Joſue.* Dolus, an virtus, quis in hoſte requirat? *Virgil. 11. Aen.* Dum tamen hic dolum pro ſolertia cum veteribus Romanis accipias, maximè adverſus hoſtem latronemvè. *l. 1. §. 3. D. de dolo.*

Et itaque ex variis, tum perſonarum, tum locorum ac temporum circumſtãtiis Stratagemata ſumuntur. Nam in ſuſcipiendo, gerendoque bello, & noſtra, & hoſtis comparatio quædam inſtituenda: quibus copiis auxiliisque & nos ad defendendum, & iſte ad lædendum inſtructus, veniat: pacemnè petere, aut etiam redimere, an vim vi opponere

nere, *monente Chriſto Luc.14.v.31.32.* iisnè propugnaculis munita noſtra ditio, reique militaris peritis ac fortibus viris referta, ut hoſtem domi præſtolari, an eidē occurrere, & bellum extra fines noſtros ducere. *Machiavel. 2. diſput. 12. M. Jun. quæſt. polit. 73.* ea belli, aut loci ratio, ut conſultius ſit equitatu, an peditatu præſtare: quòd equitum ferè in præliis campisque apertis, peditum verò ad omnem belli actum, locisque montoſis & impeditis pręcipuus eſſe uſus ſoleat. *Ariſtot. 4. pol. 13. Polyb. lib. 3. Veget li. 2. c. 2. Lipſ. 5. pol. 7. Machiav. 2. diſp. 18.* Prudentiæ itidem bellicæ eſt, omnes rei benè gerendæ occaſiones & nervos ſibi cōfirmare, hoſti adimere & incidere: arma, militē, auxilia, cōmeatum, pecuniā intercipiendo: itinera, portus, aditus præoccupādo: duces ipſorum ac milites donis tentando ac corrūpendo: diſcordiis ac diſſenſionibus diſtrahēdo, ac ſejungendo: vel etiam terrendo: aut ſecuros efficiēdo: inſidias collocādo & circūveniēdo: errore aliquo objecto in ſua cōmoda inducendo: flumina avertēdo vel inūdādo: cuniculis & meatibus

tibus ſubterraneis propugnacula ſuffodiẽdo, & pulvere pyrio ſubjecto, aut petardis affixis portas & muros diſſipando & penitrando: hoſtes nil tale opinantes, vel imparatos adoriendo; locum pugnæ talem eligendo, qui hoſtium exercitui incommodus, & aut anguſtus, aut vepribus, arboribus, paludibus, ſcopulis, breviis, impeditus, aut certè talis, ut hoſtis pulverem, ventum, ſolemvè ante faciem habeat; ut ſol intuenti viſum eripiat, vẽtus contrarius aciem̃ inflectat, telaque adjuvet, pulvis denique à fronte congeſtus oculos impleat & claudat: poſtremò præſidia in loca occupata collocãdo, coloniasque deducendo. *Bod. 6. de Rep. 2.* & multa innumerabilia alia faciendo: quæ, quòd ſingularia ſint in circũſtantiarum varietate poſita, propter infinitam ſui naturam, nullis neque verbis exprimi, neq; præceptis comprehendi poſſunt: ſed pro vertentium rerum momentis verſatili mentis acie ac judicio aliter atque aliter innumeris modis formanda atque reformanda ſunt.

Hujus loci ſunt Deliberationes & cõſulta-

ſultationes magiſtratus cum Cōſiliariis. Conſiliarii ſunt prudentes, qui magiſtratum in Rep. gubernanda conſilio adjuvant. Magna enim negotia magnis adjutoribus, graviſſimique principis labores, queis orbem terræ capeſſit, egent adminiculis. *Vellej. lib. 2. Tacit. 12. annal.* ſiquidem pauca aliqua unus videat, unus audiat: at multi ſint regis oculi multæ aures neceſſe eſt. *Xenoph. 8. Cyrip.* Quare omnia regna, civitates, uſq; eò proſperum habuiſſe imperium compertum eſt: dū apud eos vera conſilia valuerunt. *Saluſt. in fragm.* melius quippè curantur, quæ conſilio geruntur, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur. *Cic. 1. de invent.* pluraque in ſumma fortuna auſpiciis & conſiliis, quàm telis & manibus geruntur. *Tacit. 13. annal.* ut divinius nihil ſit, quo de quis cōſulere queat, quàm de inſtitutione ſui atque ſuorum in arte imperatoria. *Plut. in Theag.* quòd hâc inſtructi ſedendo cum Romanis vincant. *Cato de re ruſt.* &, quod Edvvardus Angliæ rex de Carolo Sapiente confeſſus eſt, domi epiſtolas dictando, gravius ac moleſtius fatigent, quàm

quàm armis copiiſque. *Froſſard. li. 1. c. 132.* Nec inepte tutiorem eſſe ſtatum publicum cenſet Lampridius *in Alex. Sever.* ſub malo principe, cui boni cõſiliarii aſſident, quàm ſub bono principe, cui illi mali: quòd unus malus facilius poſſit emendari per plures bonos, quàm pluriũ improbitas unius probitate ſuperari. Alexandro ita Cæſari erat conſilium numeroſiſſimum, in quo Juriſconſulti non pauciores erant viginti, aliiq; doctiſſimi ac ſapientiſſimi viri non minus quinquaginta: ſine quibus nec legem ullam ſancivit, nec de ulla re graviore ſtatuit; ſic ut iretur per ſententias ſingulorum, ac ſcriberetur, quid quiſque dixiſſet: dato conceſſoque ſpacio ad inquirendum & cogitandum, ne ex tempore dicere cogerẽtur de rebus ingẽtibus. Fuit præterea illi conſuetudo, ut ſi de jure, aut de judiciis tractaret, ſolos doctos ac diſertos adhiberet: ſi de re militari, milites veteres, locorum ac bellorum, caſtrorumq; peritos & omnes literatos: & maximè eos, qui hiſtorias norant: requirẽs, quid in talib. negotiis, quales tùm in diſceptatione ver-

ne verſabantur, veteres Imperatores, vel Romani, vel exterarum gentiū feciſſent. *Id. ibid. Herodiā. l. 6.* M. Antoninus quoque Philoſophus Imp. ſemper adhibuit conſiliis Scęvolam, Martianum Voluſianum, & aliqs peritiſſimos Juriſcōſultos. *Jul. Capitol. in eod.*

Quibus ergo artibus, quantâ ſcientiâ, quo rerum uſu ornatum, inſtructumq;, hoc dignum faſtigio, oneriq; ferūdo parem, putabimus? De religione, de legibus de judiciis, de bello, de fœderibus, de omni Repub. diſceptatio oritur: Conſiliario dicenda ſententia eſt. Maxima legerit, viderit, audierit, didicerit, cognôrit, regium gerat animū neceſſe eſt: qui conſulere in maximis, qui regales ſuſtinere curas ſatagit. Ad conſilium de Repub. dandum caput eſt, noſſe Remp. *Cic. 2. de orat.* Et Senatori neceſſarium, noſſe Rēp. quid habeat militum, quid valeat ærario, quos ſocios Reſp. habeat, quos amicos, quos ſtipendiarios, quâ quisque conditione, lege, fœdere, *3. de LL.* Inſignē quēdam Senatorē & Conſiliariū deſcribere volu-

voluiſſe Livius videtur, cùm de M. Porcio Catone inquit: In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit: ut, quocunque loco natus eſſet, fortunam ſibi ipſe facturus fuiſſe videretur. Nulla ars neque privatæ neque publicæ rei gerendæ ei defuit: urbanas rusticasque res pariter callebat. Ad ſummos honores alios ſcientia juris, alios eloquentia, alios gloria militaris, provexit. Huic verſatile ingenium ſic pariter ad omnia fuit: ut natum ad id unum diceres, quodcunq; ageret. In bello manu fortiſſimus, multisque inſignib. clarus pugnis: idem poſteaquam ad magnos honores pervenit, ſummus Imperator: idem in pace, ſi jus conſuleres, peritiſſimus, ſi cauſa oranda eſſet, eloquentiſſimus. *lib. 49.* Alexandri Severi Imp. cõſiliarios Lampridius dicit fuiſſe viros ſanctos, venerabiles, continentes, religioſos, amantes Principis ſui: non malitioſos, non factioſos, non callidos, non bonorum inimicos, non crudeles, non qui principem tanquam fatuum circũducerent, & quem nec ipſi riderent, nec riſui eſſe vellent: qui nihil venderent,

nihil

nihil mentirentur, nunquam deciperent exiſtimationem Principis ſui, ſed amarent.

Conſiliarii quaſi propria quędam virtus eſt Candor, hoc eſt, perſpicua & aperta veritas, per quam ſine involucris & ambagibus ſimpliciter, ingenuè & ſincere animi ſenſa, & quod optimum videtur, profert: aliorum dicta & facta ambigua (modò probabili ratione ſuffulta ſint) in meliorem partem interpretatur: παῤῥησίαν & libertatem in admonendo magiſtratu, ejusque erratis corrigendis adhibet. Solonis lex fuit: Principi conſule, non quæ dulciora, ſed optima. *Laërt. in Solon.* Ut enim boni Senatoris eſſe Cicero *pro domo* aſſerit, ſemper in ſenatum venire: ita unumquemque rectiſſimam ſententiam dicere vult; tametſi ſolus in ea ſingularisque futurus ſit: quòd ad eum non rei exitus, ſed conſilium, & ſuffragium optimum pertineat. *2. Philip.* Cornelianum Piſonem Tacitus laudat: quòd nunquam ſervilis ſententiæ ſpontè autor fuerit, ſed quoties neceſſitas ingrueret prudenter moderans. *6. Annal.* Ad

I Priſcum

Priſcum Helvidium cùm Veſpaſianus Imp. miſiſſet, ne in ſenatum veniret: Penes te, inquit ille, eſt, ne me ſenatorem eſſe patiaris: quamdiu autem me loco non moves, eſt in Curiam mihi veniundum. Age, at ingreſſus taceto, inquit. Ne me roga, & tacebo. At eſt mihi rogandum. Et mihi dicendum, quod rectum putavero. Verùm ſi dixeris occidam te. Quando ego tibi dixi me immortalem? tu tuum facies, ego meum. Tuũ eſt, occidere: meũ mori nõ trementem. *Arian. ep. 1. lib. 1. c. 2.* Scævola minitanti Syllæ, Licet, inquit, mihi agmina militum, quibus curiam circumſediſti, oſtentes; licet mortem idemidem miniteris: nunquam tamen efficies: ut propter exiguum ſenilemq; ſanguinem meum, Mariũ, à quo Urbs & Italia conſervata eſt, hoſtem judicem. *Val. max. lib. 3. c. 8.* Quamvis enim fides in præſentia quib. reſiſtit offendit: deindè tamen illis ipſis ſuſpicitur, laudaturq;. *Plin. lib. 3. ep. 9.*

Conſultationum Politicarum ſpecies quædam ſunt Conventus publici Reip. ordinum ad hoc delectorum, communi

conſen-

conſenſu,& approbatione ſummi magiſtratus indicti vel permiſſi, ad deliberandum& ſtatuendum ea, quæ ad publicam rem prudenter promovendam ſecundũ leges, pertinent. Suntq; aut Particulares certæ alicujus partis, aut Univerſales totius Reip. ordinum: quæ ferè Comitia dicuntur. *A. Gell. lib. 13, c. 13, lib. 25, c. 27. Alexand. lib. 1. c. 17, lib. 4. c 10. Sigon. 6 & 7 de Re. Jud. Hotoman. de antiq. jur. Gall. aur. bull. Caroli IV. P. Gregor. 24. de Rep. 4.*

Uterq; igitur, & Conſiliarius, & Magiſtratus, Remp. regit: ille quidem prudenter conſulendo, hic verò prudenter conſulta exſequendo.

Omnis prudentiæ, omnisq; conſilii cõmune conſequens eſt Celeritas vel Cunctatio in actionibus. Quales enim negotii oblati circumſtantiæ cognoſcuntur: talis ad has actio erit: ut, ſi re probè excuſsâ, certum in morâ periculum appareat, quod factu optimũ primâ occaſione præcipitetur: aut ſi res diverſum requirat, & vel ambigua ſit, & anceps, & nondum ſatis liquida, vel occaſio deſit, cum tractu quodam expediatur. Siquidem

oportuna quando eſt eap anda celeritas, nihil cunctandũ. *Sophocl. in Philocl.* Exẽpli gratiâ, ſi pugnandũ adverſus hoſtes nõ in procinctu & in caſtris habitos, ſed per opimæ regionis municipia deſides, tantùm hoſpitibus metuendos: tunc feſtinatio inprimis eſt utilis. Nam ſi iis additur ſpacium, redit & his robur meditatione belli. *Tacit. 3. hiſtor.* Habet occaſio apud homines breve momentum, & qui ejus oportunitatem animadvertit, & ut ſervus non fugitivus eam impigrè obſervat, is ſapiens eſt. *Pyndar. in Pyth. od. 4.* nec tantùm præſentis ſed & vigilantis eſt occaſionem obſervare properantem. *Senec. ep. 22.* Quò referendum illud apud Herodotum: Vir ea ratione fiet optimus ſi in deliberando quidem cunctetur & prætimeat quidquid pote contingere: in agendo autem confidat. *lib. 7.* nec non, quod deliberata celeriter peragenda eſſe philoſophus monet: deliberandum autem tardè. *Ariſtot. 6. Ethic. 9.* Sed & rurſus bona conſilia morâ valeſcunt, *Tacit. 1. hiſt.* multaque bella impetu valida per tædia ac moras ſæpè evanuere.

aucere. *Idem 2. hiſt.* laudantur cauti cunctanteſq; duces, qui nullo loco, niſi quantum neceſſitas cogit, ſe committunt fortunæ. *Liv. lib. 22.* ut nil minus in perfecto duce, quàm feſtinationem temeritátemque convenire, cum Auguſto arbitrandum ſit. *Sueton. in Aug.* Hoc modo Fabius Max. Annibalis exercitum, ab anteceſſorum ſuorum inconſultâ ferociâ victorem, morâ & fame fatigatum fregit. Hoſtem enim in terra aliena tempus, & locis alienis faciunt in dies deteriorem, inter omnia inimica & infeſta quem nullæ urbes excipiunt, nulla mœnia. In quam ſententiam rectè Fabius; Boni Imperatoris haud magni momenti fortunam eſſe, dixit, mentem rationemque dominari. *vide Livium lib. 7. & 22.*

DE PIETATE MAGIſtratus.

Caput XX.

Et quia ſemel hunc virtutum campũ ingreſſi ſumus, proximè poſt prudentiam meritò ſequitur Pietas, per quã

Magiſtratus propensâ animi inclinatione DEO ejusque verbo unicè delectatur & adhæret, ſanctaſq; actiones ad DEUM relatas exſequitur.

Hac virtute prædítus Magiſtratus ſcit & veriſſima credit, quicquid ſacra Scriptura tradit & in hac credẽdum ac faciẽdum DEUS proponit: humiliter ſe totum coram divina Majeſtate & animo & corpore proſternit ac promptâ obedientiâ ſubjicit: iram DEI filiali metu exhorret: ſpes ſuas fixas locataſq; in ſolo DEO habet: adſiduis & ardentibus precibus apud DEUM pro neceſſariis animi & corporis bonis impetrandis & malis avertendis, ſingulariter verò pro imperandi prudentia totaq; Rep. ſupplicat: juramento etiã, cùm opus eſt, DEUM invocare veritatis teſtem non dubitat: ſemper DEO gratias agit immortales pro omnibus: in ſtudio & exercitio verbi Divini frequens verſatur, cœleſtẽq; veritatẽ è ſacris literis hauſtũ minimè occultat, ſed neceſſitate poſtulãte intrepidè profitetur: publicis Chriſtianorũ congreſſib. & Eccleſiæ ceremoniis ac ſolennitatib. ſe adjungit: miſerias & cala-

& calamitates divinitus immiſſas placidè & invicto animo fert; nec ullas res, ſive proſperas, ſive adverſas, à veritate divina ſemel agnitâ ſeſe dimoveri patitur.

Hunc pietatis veræ affectũ & effectũ Rex ſimul & Propheta David in pſalmis & actionibus ſuis luculenter expreſſit. Amorem & zelum ſuũ erga DEUM flagrantiſſimum oſtendit. *Pſalm. 69. v.* 11. *pſ.* 119. *v.* 53. 136. 139. & 158. legis divinæ ſcientiam & obſervationem omnibus aliis in mundo rebus longè antefert: DEI verba ſuos conſiliarios, ſuorum pedum lucernam, ſuum theſaurum, hereditatem omni auro omnibuſq; gemmis precioſiorem melle ac favo dulciorem, celebrat, *tot. pſ.* 119. & 19. verâ animi humilitate ſe indignum cunctis DEI beneficiis agnoſcit. *2. Sam. 7. v. 18.* à Domini timore ſuam horruiſſe carnem & à judiciis DEI timuiſſe ſcribit *d. pſ* 119. *v. 120.* contra Goliathũ Philiſtæum pugnaturus eximiam animi fiduciã in ſolo DEO recumbentẽ demonſtrat. *2. Sam.* 17. *v* 37. & 45. de diurnis ſuis nocturniſq; ad Deũ clamorib. de matutinis, meridianis ac veſpertinis gemitib. &

ejulationibus querelam texit *pſ. 6. v. 7. pſ. 55. v. 17. pſ. 88. v* 1. quin imò ſe noctu ad laudandum Deum ſurgere, ſepties in die laudes Deo dicere affirmat *pſ. 119. v. 46. 62. 164.* loquor, inquit, de teſtimoniis tuis in cõſpectu Regũ, nec pudore ſuffundor *d. pſ. 119. d. v. 46.* verba juſtificationis tuæ, ſũt cantio mea domì meæ *ib. v. 54.* loquor de mandatis tuis *v. 48, 78.* manè evigilo, ut loquar de verbo tuo, *v. 148.* quotidiè loquor de lege tua *v. 97.* unicum hoc petit à Domino & requirit *pſ. 27. v. 4.* ut inhabitet in Domo Domini omnibus diebus vitæ ſuæ, ut videat ceremonias Domini & templum ejus viſitet. Arcam Domini in ſuam civitatem reducens in publica ſolemnitate totis viribus exultavit corã Domino. *2 Samuel. 6. v. 14. 16.* certos Levitarum ordines conſtituit cantores publicos in organis muſicorum, ut in tabernaculo Domini reſonarent ad exaltandũ in voce cum gaudio, eiſque pſalmos cum melodiis præſcripſit, *1. Chron. 16. & 17.* Patientiam ſuam indicat, cùm ſaluberrimũ adflictionis calicem ſeſe accepturum & nomen Domini celebraturum pollicetur

tur *Pſ.116.v.13.* bonum ſibi eſſe prædicat, quòd à Deo humiliatus ſit *pſ.119.v.71.75.* exilium placidè tulit, ſuamq́; fortunam totam Dei voluntati atque arbitrio commiſit. *2.Samuel.15.v.25.& cap.ſeq.v.10.11.* Suam in Religionis veritate conſtantiã, inter omnis generis calamitates, tentationes, pericula, hoſtium potentiſſimorum minas ac perſecutiones, ingenuè profitetur *d.pſ.119.v.23.31.44.51.61.69.78.87.93.95.95.102.106.109.110.112.115.128.143.153.157.161.163.166.& ſeqq.* Ac quamvis adulterio & homicidio ſe pollueret, ſeriâ tamen ſummâq; pœnitentis animi conſternatione atq; anxietate lapſum agnovit, fideque in mundi Salvatorem ſe erexit. *pſ.6.32.38.51.88.130.143.* Proinde nomẽ viri meruit, qui ſecundum cor Dei fecerit omnem voluntatem Dei. *1.Sam.13.v.14. Actor.13.v.22.* Tandẽ paulò ante mortem ſuam filio Salomoni in Regno ſucceſſori ad ſimile pietatis ſtudium hortator ſuaſorque ex titit. *1.Chron.29.v.9.1.Reg.2.v.1.* quam patris voluntatem ſecutus Salomon, rogandorum ſibi à Deo datâ optione, nihil petiit aliud, quàm intellectum

& ſapientiam ad Regnum prudenter adminiſtrandum, *1. Reg. 3. v. 5. 1. Chroni. 1. v. 7.* templum Domini magnifico ſplendore conſtruxit & publicis precibus ac ſacrificiis conſecravit ipſemet, *d. lib. Chron. & 1. Reg. 6. 7.* Primus Germanorum Imp. Carolus Magnus præcipuam pietatis curam & ardorem exſeruit in eo, quòd univerſos veteris ac novi Teſtamenti libros librariorum imperitiâ, lectorũ oſcitantiâ, interpretum inſcitiâ, & injuriâ temporũ depravatos ad amuſſim & veritatẽ fontiũ correxit: in divinis lectionibus templisq; inter ſacra officia incõditos ſolæciſmos, ac barbariſmos incòncinnos obſtrepere publico edicto prohibuit: pſallendi legẽdiq; vices in Eccleſia diſcrevit, chorisque pſallentium frequẽter ſe immiſcuit: ſermones Patrum, homilias Sanctorũ, nec minus martyrologia diligenter conquiri & cõſcribi juſſit. *Avẽtin. 4. Annal. Crãtz. 2. Saxon. 9.* Theodoſius poſterior, Avi ſui & nomen & pietatem referens, inſtituit aulam ſuã, veluti ſcholam, in qua ad pietatem ſe ſuosq; exercuit, habens ordine diſtributa tempora lectionũ, Pſalmorũ,

jejunio-

jejuniorum, imò & vigiliarum. Nam frequenter noctu ſacrarum literarum lectioni vacaſſe ſcribitur; in quē uſum quoddam opus αὐτόματον habuit lucernam ſuâ ſponte oleum infundentem: cum Eccleſiæ miniſtris crebrò congreſſus de ſacris ſcripturis conferebat: ſingulare ſtudium in Bibliotheca ſacrorum librorū eorundemq; interpretum inſtruenda adhibuit. *Socrat. lib. 7. c. 22. Theodoret. lib. 5. c. 36. Niceph. lib. 14. c. 3* In Conſalvo Magno, Duce clariſſimo, ſupra reliquarum virtutum admirabilē concentū veræ pietatis ſpecimen eminebat. Nihil enim ei erat antiquiùs, q̄ in omni bellica civiliq; actione religionis decus omnib. commodis anteferre, templorū jura tueri, punire impioſq; & deniq; enixè dare operā, ut milites ſuo exemplo rerū omniū proventus atq; victorias ex diſciplina Chriſtiana exſpectādas exiſtimarēt. *Jovius in Conſalv.* Laudabilis ille, quem Ludovicus Imperator à puero optimè ſervavit, mos fuit: ut mox electo ſurgens ingenua procideret veniā peccatorū poſtulans Deoq; gratias agens pro nocturna ſui cuſtodia, & orans

ut porrò in ſancta hac cuſtodia pergat. Quo facto, ex Bibliis, dum ſe veſtiebat Rex, legebatur. *Bod. lib 3. de Dæmonom. c. 1.* Nec minus religiosè Carolus V. Imp. novas preces in ſingulas expeditiones concipiebat, ſuâque manu conſcribebat ſeptē ferè pſalmorum longitudine productas, & has à ſuis Theologis approbatas in exercitu & acie verſans quotidiè pronunciabat. Nonnunquam cùm oratione incaleſceret, ab exercitu, quaſi aliud acturus, divertebat, ut prolixiùs ferventiùsque oraret. Idcircò quidam de eo dicere ſolebant; ſæpius illum cum DEO, quàm cum hominibus, loqui. *Gulielm. Zenoccar. lib. 5. de vita Caroli* Henricus Sanctus Imp. exercitum ſuum acie decertare antè non permiſit, quàm Euchariſtiâ ſacræ Cœnæ munitus eſſet, ratus animâ cœleſti cibo refocillatâ ipſi quoque corpori vigorem quendam accedere, mortemque minùs timere eos, qui vivificum Chriſti corpus participaſſent. *Bonfin. lib. 2. dec. 2.* certè Iſraelitæ ad pugnam exituri prius JEHOVÆ placere numen & explorare voluntatē ſolebant.

Jud. 20.1. Samuel. 14.v.37.c.23.v.2. Aſſa Rex hoſtes Æthiopes, Joſaphat Idumæos, Moabitas, Ammonitas, Ezechias Aſſyrios, precibus adorti ſunt. *2. Chron. 14. v.11.c.20.v.6.21.c.32.v.20.2.Reg.19.v.15. Jeſa.37.* Cum enim Diabolus ſit Eccleſiæ hoſtis infenſiſſimus, Reſp. quæ Eccleſiæ ſedes ſunt, earumque præſides ac Magiſtratus acerbiſſimo odio perſequitur, omnibuſque modis turbare atque evertere conatur: ſicuti in Scriptura Sacra mentio fit Diaboli in aula Perſica & Græca ſana conſilia impedientis, *Daniel.10.v.13. & 20.* & Davidem Regem ad ſubditorum arrogantem numerationem incitantis. *1. Chron. 22.v.1.* Ahabum Regem per mendacia prophetarum vaticinia fallentis ac perdentis. *1 Reg.22.v 21. 1.Chron.18. v.20.* ut graviſſima cauſa ſit, cur Magiſtratus divinum auxilium & gubernationẽ pietate ac precibus ſibi adjũgere ſeduló debeat: inprimis in belli motu, quo in Rep. nihil poteſt triſtius cogitari, nihil eſt cum majori conjunctum diſcrimine: ubi paucis momentis maximæ rerum converſiones fieri ſolent: nec veró armorum vis

ſine Deo efficax,aut diuturna victoria.
Ipſi Ethnici,qui veritatẽ in incredulitate detinuerũt,& ex his potiſſimùm Romani gravioris belli terrore perculſi,vix ſine auſpiciis ſineq; publicis ſupplicationibus circa pulvinaria ſuorum Deorum queis vovebant & ludos inſtituebant, ad arma progrediebantur *Liv. lib.* 19. 31. 37. *Valer. Max. lib.* 1. *c.* 1. Iidẽ etiã reb. proſperè geſtis nihil intermittebant, quo ſuã Dis gratitudinẽ probarent. Ob pugnas præclaras Julio Cęſari quindecim, C. Octavio quinquagiata dierũ ſupplicationes, totidem Bruto ob profligatũ Antoniũ bello Mutinenſi, Romæ à Senatu decretæ: quibus concurſus ad tẽpla & Deorũ aras fiebant, *Alex. ab Alex. lib.* 5. *c.* 30. Quod gratiarum debitũ verè pii Magiſtratus tùm Judaici, tùm Chriſtiani nunquã omiſerũt, ſed difficillimis defuncti bellis exſolverũt publicè, 2. *Sam.* 8. *v.* 7. 11. 12. 2. *Chron.* 15. *v.* 11. *c.* 20. *v.* 27. 28. *Judic.* 5. *Judith.* 15. 2. *Mac.* 10. *Syrach.* 47. *v.* 9. Alphonſus Aragoniꝰ inſigni victoria ad Trojã matutino tempore potitus, non prius arma deponere & corporis habere curam voluit, ꝗ Deo pro felici ſucceſſu

ſucceſſu gratias egiſſet. *Lud. Dominic. li. 1. var. hiſt.* Heinricus V. Anglorum Rex nobili illâ ad Dagnicurtum pugnâ victis Gallis, flexis genibus immortales gratias Deo egit, eamq; diem ſolennẽ perpetuò habuit. Inde per totũ Regnum ſupplicationes multorũ dierum ad omnia templa inſtituit. *Polydor. lib. 22.* Theodoſius Junior Imp. cùm ei ludis Circenſibus nunciata victoria eſſet, quam de Johanne, homine ſeditio & potente, Ravennæ capto per Aſparẽ Ducem ſuum obtinuerat, intermiſſo ſpectaculo, è veſtigio ad ædem ſacram gratias Deo acturus properavit. *Sigon. li. 11. Imp. occid. Niceph. li. 14 c. 7.* Confeſſionis publicæ & conſtantię in religione exemplum perquàm illuſtre noſtrum ſeculum in Johanne Friderico Electore Saxoniæ, Georgio Brandeburgico, Erneſto Duce Lunæburgenſi, Philippo Landgravio Haſſiæ, Guolfgango Principe Anhaldino, & aliis, vidit: qui cum à Romana Pontificum religione ſeceſſionem feciſſent, rebus ita exigentibus, doctrinę ac fidei ſuæ capita ex Dei verbo certis articulis comprehenſa potentiſſimo Imp.

Carolo

Carolo V. in auguſtiſſimo omnium Imperii ordinum conſeſſu Auguſtæ Vindelicorum Anno à C.N. 1530. 25. Junii latinè & Germanicè conſcripta exhibuerũt ac recitârunt: quæ poſtmodùm in Italicam, Hiſpanicam, Gallicam, Anglicam, & alias linguas converſa, ac longè lateq; per omnes orbis Chriſtiani angulos diſperſa fuere. Præ cæteris verò Iohannis Friderici Electoris Saxonici, illius, quem modò dixi, filii & ſucceſſoris, ejuſdem cum patre nominis, incredibilis hic emicuit conſtantia, qui nullis precibus abduci, nullis minis abſterreri, nullis abſtrahi periculis à veritatis cõfeſſione potuit: etiamſi odia ipſi propterea ſubeunda longè graviſſima, caput & vita præliorum diſcriminibus objectanda, captivitatis quinquennalis perferenda moleſtia, opum denique ac dignitatis facienda jactura eſſet. *Sleidan. li. 7. 19. 20. 21. 24.*

Hujuſmodi Pietatis in Magiſtratu fructus ampliſſimos cum ſacris autoribus Ethnici quoque adnotârunt. Livii ſententia eſt: *Inter omnes virtutes pietas maximè verendos principes facit, ſi illi*

res divinas, & ſeriò, & ritè omnes tractare videantur *lib.5.Iſocrat.in Buſirid.* ſecúdum Ariſtotelem principi etiam aliàs Tyranno ſubditi minus adverſantur inſidianturq́;, quem præ cæteris & religioſum & DEI amantem vident, ac propter hoc à Divino numine protectum defenſumq́; iri credunt, 5. *Polit.* 11. cauſam affert Valerius Maximus cur Romana civitas omnia poſt religionem ponenda ſemper duxerit, etiam in quibus ſummæ majeſtatis conſpici decus voluit: Ita namq́; ſe humanarum rerum, inquit, futura regimen imperia exiſtimârunt, ſi divinæ potentiæ benè atque conſtanter fuiſſent famulata *lib.1.c.1.* Quantò verò illa limpidiora & ſaniora, quæ ex ipſo pietatis vero fonte fluxerunt? Epiſtola ad Hebræos, Sanctos Reges & Magiſtratus per fidẽ viciſſe regna, operatos juſtitiam, adeptos repromiſſiones, obturaſſe ora Leonum, exſtinxiſſe impetum ignis, effugiſſe aciẽ gladii, convaluiſſe de infirmitate, fortes in bello factos, caſtra vertiſſe, & avertiſſe incurſiones exterorum, prædicat. *c.11. v. 32. & ſeqq.* Theodoſius Imp. jam morti vicinus

vicinus Arcadium & Honorium filios per ſalutem ipſorum & Reip. obteſtatus eſt: ut hoc ſibi unicè curæ eſſe paterētur, quò fidei & pietatis doctrina pura & incorrupta conſervaretur & ad poſteros propagaretur, inq́; eo nullis laboribus ac ſumptibus parcerent. Nam in hoc uno, inquit, & ſolo, omnis felicitatis ſumma verè eſt poſita: hâc ratione unicâ, nec ullâ aliâ, rectè firmatur pax, conficiuntur bella, eriguntur trophæa, & parantur victoriæ. *Theodoret. lib. 5. c. 25.* Alfonſi Aragonū & Siciliæ Regis ad Ferdinandum filium in bellum abeuntem pietatis Chriſtianæ plena vox fuit: Nunc maximè te admoneo, Fili, ne tantum aut tuæ, aut commilitonum audaciæ tribuas, ut putes abſq́; DEI auxilio victoriā parari ullam poſſe: quę non ex hominū conſiliis, ſed ex ſummi DEI voluntate ac poteſtate proficiſcitur. Scientia rei militaris ita demum profutura eſt, ſi DEUM nobis pietate atq; innocentiâ pacatum propitiumq; habuerimus. Eum igitur, ſi vincere expetis, purâ mente colito, ſpemq́; omnem victoriæ in eo reponito. Et ſi quando, quod ſolet in

bello

bello contingere, tibi quidquam adverſi acciderit, quo exiſtimare poſſis Deũ tibi iratum eſſe; cave ab eo per impatientiam aut animi perturbationẽ diſcedas, ſed potius ei pœnitentiâ & patientiâ reconciliari ſtude. Solet enim Deus quos diligit interdum malis afficere, & quos conſtãtes in adverſis videt, rurſus in meliorem fortunam reſtituere. *Panormit. li. 3. de geſt. Alphonſ. Marin. lib. 11. rer. Hiſpan.* Ut compẽdio dicam cum Agapeto, magno illo Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Antiſtite, Super omnia præclara, quę Regnum habet, pietas cultus divini corona Regem exornat: divitiæ namque evaneſcunt, vulgi favor & aura tranſit: ſola vitæ Deo placentis gloria immortalibus ſeculis extenditur, & trans oblivionis tenebras collocat poſſidentes.

DE

DE LABORE ET DILIGENTIA, Poſſeſſione, Sufficientia, Frugalitate, Magiſtratus.

Cap. XXI.

Magiſtratus virtutes ad Deum, tanquam ſummum finem & extremũ vitæ Chriſtianæ ſcopum, relatas, Pietatis nomine ita complexi ſumus. Cùm autem virtutis vis& natura in hominum actionibus conformandis tota ſit: hominum verò actiones ſemper referantur ad aliquid: & poſt Deum etiam diligere homines jubeamur *Matth. 22. v. 37. & ſeqq. Luc. 10. v. 27.* conſequens eſt, ut porrò humanas illas Magiſtratus virtutes diſpiciamus.

Quemadmodum verò ſinguli homines naturâ priores ſunt antequam collationem ad alios recipiant: naturæ conſentanea via erit, illas hoc in loco percurrere virtutum ſemitas, quę ad ipſum proximè hominem in ſe conſideratum ducunt: quòd nemo, juxta præceptum divinum, diligere alios, ut ſeipſum, poſſit, niſi ſeipſum antè dilexerit *dd. ll. & Rom. 13. v. 14.*

13. v. 10. ex quo ordinata charitas à ſemet incipere ipſa dicitur. Quamvis enim virtutes, quas hominis erga ſe ipſum eſſe dicimus, effectu etiam ad alios porrigantur homines: primam tamen & potiſſimam dilectionis flammam in ſuum auctorem & poſſeſſorem reflectunt, nec calore ſuo ad proximum pertingunt, niſi circumductione quadam, & in conſequentiam. In his virtutibus primus aſſignatur locus Labori, Poſſeſſioni, Sufficientiæ, Frugalitati.

Cùm enim homo à DEO rerum omnium conditore non ad otium, ſed negotium, non ad ignaviam, ſed laborem, hunc in mundum collocatus ſit: ſed quo is citra moleſtiam citraque tædium magnâ delectatione cùm corpus tùm animum exercuiſſet, ſi inſitam ſibi divinitùs cœleſtis ſapientiæ atque ſanctimoniæ integritatem retinuiſſet *Geneſ. 2. v. 15.* nunc verò etiam poſt lapſum eidem ſubjectũ eſſe omne hominum genus, quamvis non ſine difficultate, ſudore & laſſitudine, cogatur, *Geneſ. 3. v. 17. 18.* adverſus hoc commune laborandi officium ſe nullo tueri

Digitized by Google

tueri jure Magiſtratus poterit, quò minus ſe cum cæteris hominibus ejus imperio æqualibus naturæ legibus adſtrictum eſſe, fateri neceſſe habeat. Et quidni? hoc enim ipſo, quòd Magiſtratus eſt, ſimul ad omnia, quæ Magiſtratus officium continet, negotia ſedulò perficienda fidem ſuam Reip. oppignoravit. Etenim, ut officium peculiaris laboris nomen eſt, cui ad Dei gloriam hominumq; utilitatẽ ſuâ quilibet in vocatione incumbit: unde tot vitæ in mundo genera, & hic ipſe Politicus Magiſtratus ordo, extitit: ita unicuique officio perpetuâ connexione Diligentia cohæret & Sedulitas, per quã ſemel honeſtè ſuſceptos officii labores quisq; pro virib. urgere & exeq, talentũq; ſibi à Deo commiſſum utiliter collocare ſatagat, *Mat. 25.* Nihil magis Regiũ eſſe, quàm labores ſuſcipere, Alexander Magnus cenſuit *Plut. in ejus vita*: & virũ demonſtrare Magiſtratus, proverbio dicitur: non tantum, quòd nobiliores illi & puriore cœli ſemine oriundi animi perpetuo motu gaudent, & acrioribus honeſtatis ſtimulis majoriq; ſpiritu agitantur,

tantur, pulchrumq; & laudabile ducunt, non niſi quod arduũ & ſupra vulgus poſitũ: ſed inprimis, quod Regum & Magiſtrat⁹ officiũ in reb. humanis longè omnium maximã diligẽtiã, laborẽ & induſtriã deſideret: utpote quorũ ſub tutela & vigilantia reliqua vitæ genera omnia & tot millium in Rep. ſalus ac tranquillitas ſecurè conquieſcit: ſicuti Epaminondas, potantib. cæteris Thebanis feſtosq; dies ſummâ læticiâ celebrantib. ſolus ipſe curis publicis occupatus magnaq; in cogitatione defixus mœnia obibat, arma luſtrabat: cauſſam ſciſcitantib. reſpondit: ut liceat vobis omnib. hilarib. eſſe atq; omni curâ ſolutis. *Plut. adv. duc. imperit.*

Labor Magiſtratus conſideratur primùm in generè in exercitationibus, quib. corporis atq; animi vires adverſus otii ac ignaviæ torporem defenduntur, & ſimul ad actiones officii proprias alacriùs ac firmiùs ſuſtinendas excitantur & conſolidantur. Cyrus Perſarũ Rex, niſi poſt multã corporis exercitationẽ & ſudorem, ad prandiũ aut cœnã nõ acceſſit: milites etiã ſuos ſemper op⁹ in caſtris facere, nec antè

capere

capere cibum voluit. *Xenoph. in Pæd.* Aurelianus Cæſar nullum diem reliquit vacuum, quin ſe pilo, ſagittis, & armis exerceret. *Alex lib.1.c.20.* Quò vetuſtiſſimus haſtiludiorum & torneamentorũ mos reſpicit, quem inter alios Maximilianus. I. Imp. excoluit. *Cuſpin.* & à noſtri ſeculi principibus retinetur, ut militari equorum armorumque concurſu belli ſimulacra ſub armis ludant, & forti ac certâ manu vibrare haſtam, & in ſcopum adigere præfixum certent: hõneſtiſſimoque exercitii genere, corpus ad robur, victoriæq; & acclamationis equeſtris gloriâ, mentem ad virtutem, conſuefaciant & erigant. Cujuſmodi ſunt etiam Venationum exercitia roboris & fortitudinis acuendæ cauſsâ ſuſcepta: qualia in Perſarum Regibus commendantur à *Xenophont. lib. 1. Cyripæd.* qui, ſingulis menſibus aliquoties epheborum dimidiã partem ſecum educentes, venationi operã dederunt publicè: in qua Rex Ducis officio, perindè ac belli tempore, functus, & ipſe venabatur, &, ut alii venarentur, curam adhibuit: quòd bellicarum rerum veriſſima

veriſſima hæc meditatio. Conſuefacit enim ad ſurgendum diluculò, & ad frigora, caloresq; perferendum, atque etiam ad itinera & curſus exercet. Præterea ſagittis jaculisq; beſtiam petere neceſſe eſt, ubicunque inciderit. Sæpè etiam acui animum in venatione oportet, objiciente ſe feroci aliquâ beſtiâ. Nam quæ offerunt ſeſe beſtiæ feriendæ ſunt: ab iis autem cavendum, quæ in venantem irruunt. Adeoq; non facilè quis reperiat, quidnam eorum, quæ bellum habet, à venatione abſit. Cùm igitur venatum exierunt cum Rege ephebi Perſiæ, prandium eis præbebatur, largiùs illud quidem, quàm pueris fieri apud eos ſolebat: alioqui tamen conſimile, ex pane & naſturtio. Inter venandũ verò haud quaquam prãdebãt. Quòd ſi etiam vel feræ cauſsâ præſtolari oportuit, vel cæteroquin diutiùs immorari venationi libuit: hoc prandio cœnæ tempore ſumto, poſtridiè rurſus ad cœnam usque venabantur. Itaq; dies binos pro uno computabant: propterea quòd unius diei panem abſumerent. Fecerunt autem hoc conſueſcendi cauſsâ, ut, ſi

Digitized by Google

quid tale in bello etiam uſus poſtularet, præſtari ab eis poſſet. Jugurtham Saluſtius ſcribit *in bell. Jugurth.* ſtatim initio ætatis non ſe luxui & inertiæ corrumpendum dediſſe, ſed pleraque tempora in venando tranſegiſſe. Siquidē ſolitudo & ſilentium, quod venationi datur, magna cogitationis eruditæ incitamenta eſſe ſolent. *Plin. lib. 1. ep. 6. & lib. 9 ep. 10.* Idcirco *1. offic.* Cicero venationem inter honeſta exercitia numerat. Graviter Dion, Optimi Principes, inquit, venationē exercent, tanquam rem ſaluberrimam, unde corpus robuſtius & animus fortior efficitur, & in qua bellica omnia exercentur. Maſiniſſa Rex Numidarum tantam corporis firmitatem ac duritiem à pueris adquieſierat, ut iiſdem veſtigiis totum diem immotus ſtaret, nec ſedens ante noctem ſurgeret, equo per diem noctemq; cōtinuò affixus eſſet, nec equitationib. defatigaretur. *Diod. Sicul. li. 32.* Carolus Magnus aſſiduè exercitabatur, non tantùm equitādo ac venando, verū, cùm ex Platonis præcepto neque corpus ſine animo exercendū, neq; animus ſine corpore, ſed pariter utriuſq; cura haben-

da, quòd alteũ athletarum ſit, alterũ inertium *Plut. de tuend. valet.* adhæc diligens cogitatio prudentiam gignat, *Iſocrat. ad Nicocl.* noctu etiam ad cervicale pennam & encauſtum cum pergameno reponebat, ut ſi quid in lecto cogitanti utile occurreret, memoriæ causâ cõſignare poſſet: in vicinum quoq; lecto ſuo parietẽ cerâ illitũ, ſi quid in tenebris incidiſſet, inſcribebat: inter cœnandum aut aliquod argutè & ſubtiliter à convivis dictũ notabat, aut hiſtorias & antiquorũ res geſtas ſibi recitari curabat *Crãtz. li. 2. Saxõ. c. 8. 9.* eodẽ ferè modò, quo Philopæmenes Megapolitanus, ultimus illuſtriũ Græciæ Ducũ, nõ tantũ longo militiæ uſu rei bellicæ experientiſſimus fuit, ſed & in pace aſſiduâ animi meditatione ſuâ ſpõte excitatꝰ præparabat ſeſe ad ſubditos armorum caſus. Inter ambulandum, ſaltus, valles, locorũ anfractus explorabundus conſiderare, quærere etiã ex aliis ſolebat, ſi quà hoſtes ex improviſo apparuiſſent, quo illis conſilio eſſet occurrendum? quâ acie? quibus inſidiis? per quæ conſecutus erat, ut nemo eâ tempeſtate in in-

 ſtru-

ſtruendâ acie peritior, & in præcavendis hoſtium inſidiis ſagacior haberetur, quo loco metanda caſtra, quâ figurâ, quibuſve munimentis, quæ item aquandi pabulandique ratio, quod moventibus caſtra maximè tutum iter, quâ formâ agmen agendum. *Sabellic. li. 6. Ennead. 5. ex Plut.*

Sic ergo per corporis atq; animi exercitationes ab ignavo otio vindicatâ Magiſtratus vitâ: illud reſtat laboris genus, quod in actionibus officii propriis poſitũ eſt, & ſpecialius Diligentiæ nomen ſortitur: quæ ut præſtanda cuivis eſt in officio, quod gerit, ita hoc Diligentiæ complementum ſi Magiſtratus in ſingulis officii ſui partibus ſtudioſè expediendis adjungat, nihil ad virtutis hujus, quam in Labore conſtituimus, perfectionem ei defuerit. Si qua igitur difficultas, ſi qua moleſtia, ſi qua cura, ſollicitudo, opera, contentio, vel in religionis defenſione ac cõſervatione, vel in pacis bellique negotiis moderandis, vel in publicorum ſumtuum collectione, deniq; in ſingulis Reip. membris regendis oſtenditur: omnia illa ſpernit in Magiſtratu alacris Diligentiæ ſpiritus,

ſpiritus, qui ſuo ſatisfacere officio, quantum in ſe eſt, ſedulò adnititur. Carolus Magnus ut Saxones ab idololatria ad religionẽ chriſtianam pertraheret, & Numinis Divini cultum latè propagaret, bellum tricennale difficilimum & laborioſiſſimum cum iisdem geſſit, nec antè deſtitit, quàm abjecto Ethniciſmo Chriſtianæ fidei ſacramenta ſuſciperent, & amplecterentur: ſuperſtitionis veſtigia omnia ſuſtulit: ſtatuas idolorum disjecit & contrivit: Epiſcopatus ampliſſimos inſtituit: Gymnaſia & Academias publicas paſſim erexit: diſcentium ſtudia inſpicere & explorare non erubuit: prẹmiis ac pollicitationb. ad literarũ amorẽ juvẽtutis ingenia provocavit. *Crãtz. li. 2. Saxõ. & 1. Metrop.* Sed nec in cæteris ſuo defuit officio. Nã & manè dũ veſtiretur, non ſolùm amicos ſalutatũ, ſed & litigantes admiſit, & eorũ decidit negotia, jusq; dixit. Tantâ parſimoniâ temporis erat! Eo quoque tempore officia, & quidquid à ſuis fieri totâ die vellet breviariis, ut vocant, aperuit. *Avent. 4. Annal.* Auguſtus Cæſar nonnunquam in noctem uſq; in forenſib.

controverſiis verſatus eſt, & ſi parũ corpore valeret lecticâ pro tribunali collocatâ, vel domi cubans. *Sueton*. Admirãda fuit in C. Julio Cæſare laborũ tolerantia, quos ſupra corporis vires videbatur perferre eximiè: quòd, qui habitu gracili, corporeq́; candido & molli, debili quoq́; ferè capite ac morbo comitali contactus (quod vitium ei fama eſt Cordubæ primũ contigiſſe) non quæ fierit mollitiæ valetudinis imbecillitatem prætextum, ſed medicinam imbecillitatis, militiam: indefatigatis itinerib. tenui victu, & tectũ non ſubeundo reſiſtens ægritudini, corpusq́; adverſus injuriam validũ cuſtodiens. In actionibus, præſertim bellicis tantâ celeritate uſus eſt, ut ſępè centena paſſuum millia uno die peregerit, & aliquãdo nuncios de ſe anteverterit: ab Urbe octo intra dies ad Rhodanum uſq;, & viginti quatuor diebus in Hiſpaniam ulteriorem, pervenerit. *Suetõ. Plut. in Cæſ. Sabell. 7. Enn. 6.* In Cõmentariis, quos de ſuis rebus geſtis ſcripſit, teſtatur, ſe in Arari pontem uno die conſtituiſſe, alium item ſupra Rhenum mirâ arte ac celeritate,

decem

decem diebus, militũ operâ, abſolviſſe: claſſem contra Maſſilienſes navium longarum duodecim die triceſimâ ab exciſa materia armaſſe. Et ſanè quidem, ſi qua in re, in armis profectò celeritatis laus maxima viget, quæ infractâ laboris patientiâ progreſſa, manibus hoſtium victoriæ ſpem & occaſionem ſæpè eripuit: quòd ferè inopinata & improviſa magis terrent. Ubi & commendanda provida illa Ducum induſtria eſt, quæ dum nuſquam animum à cogitatione, nuſquam ab opere manus remittit, non modò adverſus ſecuritatem tuta eſt, ſed proprio etiam exemplo alacritatem & toleran iam ſuorum pectoribus ingenerat. Iphicrates Athenienſium Dux in agro pacato ac ſociali caſtra locans, cùm ea vallo & foſsâ munit accuratè, jactanti: Quid nã formidamus? Vox hæc, inquit, eſt Imperatoris turpiſſima, Nõ exſpectâram. *Plut. in Apophtheg.* Carolus V. Imp. primus in agmine ſemper fuit, nonnunquam quindecim horas, nonnunquam plures equo armatus inſidens. *Gulielm. Zenoccar. li. 5.* Antoninus Caracalla Imp.

militaria munera primus omnium obibat, ſive quid fodiendum eſſet, ſive pons flumini imponendus: ſtans comedebat, perq; omnia gregario militi ſimilis plurimum pedibus iter facere, curru rariſſimè uti: geſtare & interdiu ſigna publica vel robuſtiſſimis militibus gravia: eratq; ob hæc ſuis exercitibus gratiſſimus, mirarique ſimul omnes, quòd vir tantulæ ſtaturæ tot par eſſet laboribus. *Sabell. 5. Enn. 7.* Claudii Cæſaris laudatur ſollicitudo in urbis annonæq; cura diligentiſſima. Cùm Æmiliana pertinaciùs arderent in diribitorio duabus noctibus manſit: ac deficiente militum ac familiarũ turbâ auxilio plebẽ per Magiſtratus ex omnib. vicis convocavit: ac poſitis ante ſe cum pecunia fiſcis ad ſubveniendum hortatus eſt, repræſentaturus pro opera dignã cuique mercedem, *Sueton.*

Singulare quoddam laboris ac diligentiæ Magiſtratus argumentum eſt Vigilantia & ſomni moderatio, ne aut nimius ille ſit, aut intempeſtivus, ſed parcâ temporis diſpenſatione ſpacium negotiis omnibus peragendis ſufficiat. Qua in conſidera-

ſideratione Magiſtratus aures ſemper Homericum illud circumſonet, quo ſomnium Neſtoris formam referens, Agamemnonem exſuſcitat, Iliad. 2.

Belligeri Atridæ proles dormiſne Agamemnon?
Perpetuam noctem dormire haud principe dignum eſt,
Cui Populi cōmiſſi & tāta negotia curæ.

Et aliàs quoque Agamemnonem cæteris dormientibus ferè vigilantem idem Homerus facit, hujuſq; immitatione ſuum illum Æneam Virgilius. Uterque enim Poëta eximios vitæ civilis rectores deſcribere cùm vellet, hanc diligentiæ ac vigilantiæ virtutem neutiquam prætermiſerunt, ſed graviſſimo judicio Reip. gubernatoribus admodum neceſſariam docuerunt. Vigilantiæ laudem Macedonum Regi Philippo tribuit Parmenio, cùm Græcis tumultuantibus reſpondit: Nolite mirari ſi nunc dormit Philippus: nam quando vos dormiebatis, ille vigilabat. *Plutarch. in Apopht.* Conſuetudine Perſicâ cubicularius manè ad Règem ingrediens eundem monere ſolebat: Surge,

ô Rex,& curam rerũ gere,quas te curare Oromaſtes(is Deus Perſarum erat)voluit. *Plutar. adverſ. princip. indoct.* Alexander ille Magnus ejuſmodi remedio contra ſomnolentiam in expeditionibus uti ſolitus fuit. Dormitans brachio extra cubile protento pilam tenuit argenteam pelvi ſuppoſitâ: ut cùm nervorum rigorem ſopor laxaſſet pilæ elapſæ tinnitus ſomnum abrumperet: imitatus in ea re grues. *Ammon. Marcell. lib. 16.* Eundem hiſtoriarum monumentis proditum eſt noctem in tria diviſiſſe tempora, Quietis, Reipubl. & Muſarum. C. Julius Cæſar ſomnum plerumque in vehiculis aut lecticis capiebat, conferens etiam ad actionem requiem. Vehebatur interdiu ad arces, opida, & caſtra: aſſidebat ei puer unus ex iis, qui inter proficiſcendum excipere dictata adſueti erant: unus itidem miles ponè ſedebat gladio accinctus *Plut. in Cæſ.* Auguſtus Cæſar à cœna ſe in lecticulam lucubratoriam recipiebat. Ibi donec reſidua diurni actus aut omnia, aut ex maxima parte com-

te conficeret ad multam noctem permanebat. In lectum inde tranſgreſſus non amplius cùm plurimum quàm ſeptem horas dormiebat, ac ne eas quidem continuas, ſed ut illo temporis ſpacio ter aut quater expergiſceretur. Proinde matutinâ vigiliâ offendebatur: aut ſi maturiùs vigilandum omninò eſſet, ſæpè indigens ſomni dum per vicos deportaretur & depoſitâ lecticâ inter aliquas moras condormiebat: poſt cibum meridianum, ita ut veſtitus calceatuſq; erat, retectis pedibus, pauliſper conquieſcebat, oppoſitâ ad oculos manu. *Sueton.*

Illius, ait de Principe Seneca, magnitudo ſtabilis eſt futura, quem omnes tàm ſupra ſe, quàm pro ſe ſciunt: cujus curam excubare pro ſalute ſingulorum atq; univerſorũ quotidiè experimur: quo procedente non tanquã malũ ac noxium animal è cubili proſiliret diffugiunt, ſed tanquam ad clarum & beneficum ſidus advolant. Omniũ quippe ſomnos illius vigilãtia defendit, & omnium otiũ illius

labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio. Et hinc fortaſſis Reges ἄνακτας Græci appellant, quòd ἀνακῶς ἔχειν dicantur, qui quamcunque rem tutantur cuſtodiuntque. *Plut. in Theſ.* Induſtriæ laudem valerius Max. cùm celebrat, Hujus, inquit, alacri ſpiritu militiæ ſtipendia roborantur, forenſis gloria accenditur, fido ſinu cuncta recepta nutriuntur: quidquid animo, quidquid manu, quidquid linguâ admirabile eſt, per induſtriam ad cumulum laudis perducitur. *lib. 8. c. 7.* Juxta Platonem, Principes qui noctu vigilant in civitatibus, malis ſunt formidabiles, civibus pariter & hoſtibus. *7. de LL.* In hoc igitur incumbat Princeps: ut omnia à ſe pendere, omnia ipſe agere videatur: ut intelligant ſubditi, non alienis, ſed ſuis oculis Principem cernere, non alienâ ſed ſuâ mente regere: hunc ſpectandum, ab hoc præcipue expectanda omnia: cum Perſarum Regibus omnes univerſæ ditionis ſuæ provincias obeat, luſtret, peragret, & diligenter omnia, quæ regiam deſiderare opem poſſint, coram inſpiciat:

at: denique ut omnia rectè ſe habeant, ſimul & dux, & dominus, & quæſtor ſit, *Demoſth. 1. olinth.*

Quam Magiſtratus conditionem ſi attentâ mentis acie inſpicias, veriſſimum illud deprehendes, quod Seleucum Regem dicere ſolitum ferunt: Si noviſſent multi, quàm ſit operoſum & moleſtum tot duntaxat literas ſcribere, legereque, diadema etiam abjectum ante pedes ne ſublevarent quidem. *Cæl. lib. 8. A. L. c. 3.* aut quod Antigonus Macedoniæ Rex vetulæ regiam felicitatem verbis extollenti reſpondit: Si noſſes, ò Mater, quantis malis hic panniculus (oſtenditque diadema) eſſet plenus, ne in ſterquilinio quidem jacentem tolleres. Filio quoque ferociùs tractāti eos, in quos habebat imperium, An ignoras, inquit, regnum noſtrum eſſe ſplendidam ſervitutem? *Plut. in apophth.* Eamque ob rem Gallus apud Lucianum, regum vitam ac ſplendorem prægrandibus Coloſſis comparat, qui foris auro eboreque mirificè decori, aut fulmen & fulgur, aut tridentem fuſcinam dextrâ ſuſtinent, Jovis aut Neptuni imaginem

referentes, ſed introrſum vectibus, paxillis, clavis, viminibus, cuneisq; & pice ſublitâ compacti, muſcis, araneiſque, muribus, ac muſtelis, inhabitantur. *Eraſ. in adag.* Alfonſus, Aragoniæ rex, ſuam conditionem etiam aſinorum infeliciorem queſtus eſt: quòd ſibi cœnāti ab importunis interpellatoribus quodāmodo clitellæ imponantur, quæ comedentibus aſinis auferri ab agaſonibus ſolent. *Ægid. Carrozet. de dict. & fact. memor.* Philippus etiam Macedonicus, cùm in regione ſpacioſa & loco adſpectu jucundo caſtra metaturus audiſſet, futuram ibi jumētis pabuli inopiam, ò Hercules, inquit, cujus nam modi eſt vita noſtra, ſi ad aſellorum commoditatem & occaſionem vivere cogimur? *Cal. lib. 8. A. L. c. 1* Similis, vir fortiſſimus, palatii ſub Adriano Cæſare præfectus (quæ erat dignitas Imperatoriæ proxima) poſtremum vitæ ſeptennium, vacatione impetratâ, quietus in agro vixit, morienſque tumulo ſuo inſcribi juſſit: Hìc Similis jacet, cujus ætas multorum quidem annorum fuit, ſeptem quam-
vsi

vis tantùm annis vixerit. Annorum enim multitudinem in mortis ſorte computavit; ſolos paucos, quo in privato otio degerat, ad vitam referens. *Fulgoſ. lib. 4. c. 1. Cal. lib. 11. A. L. c. 1.* Exactè ergo meminerit, quicunque ad rerum gubernacula manum admoturus eſt, mare impetuoſiſſimum, multiſque difficultatibus implicatum ſibi enavigandum eſſe: ubi fluctus fluctum impellit & urget, adverſa ventorum prælia deſæviunt, ſolem, ſtellas, proſpectum omnem, tempeſtates crebrò eripiunt, ſaxa latentia fallunt, prominentes ſcopuli naufragium minantur, monſtra immania terrent, piratarum ac prædonum inſidiæ atque incurſiones metuuntur: ubi clavum qui tenet Nauclerus, in omnes ſimul partes cæteras defigere oculos neceſſe habet, ut tempeſtivè vela pandantur vel contrahantur, remigiorum ordo ſervetur, ſentina exhauriatur, anchoræ figātur aut leventur, arma & inſtrumenta nautica expedita, reb. ad victū neceſſariis inſtructa navis, ſit. Laborioſos, induſtrios, vigilantes

lantes rectores publica hominum conſociatio deſiderat: in qua, ut in corpore humano, omnes articuli ſuis nervis ac thoris ſe mutuò contingunt & connectunt: queis magiſtratus, ceu divinior anima, præeſt, quæ virtute ſua per totum corpus ſe diffundendo vitam ipſi & motum largitur, & cùm vis ejus in membris ſentiatur ſingulis, nuſquam tamen concluditur, corporeque quieſcente reliquo ac ſenſibus, tanquam ſatellitibus, ſopitis, ipſa non quieſcit, ſed à corporis impedimentis tùm liberior vagatur, vel præteritorum memoriam repetit, aut futuros rerum eventus, quaſi divinando, proſpicit.

Labor tamen ac Diligentia à Magiſtratu ita flagitatur, ut, quod in rebus aliis, quæ perpetuo motu violenter agitantur, neceſſarium, debitâ quietis reſpiratione laboris contentio atque ardor reſtinguatur, & ſalubri viciſſitudinis temperamẽto animi corporiſque vires delaſſatæ recolligantur: quò in diligentiæ palæſtram ad officii munia perſequenda ſubindè recentiori integritate redeuntes, laboris ac vigili-

vigiliarum continuationem ſuſtinere ac perferre diutiùs queant. Somno ac quieti ſuæ ut cōſuluerit Auguſtus Cæſar & Philippus Macedoniæ Rex, ex iis, quæ paullò antè recitavimus, conſtat: L. Lucullū, utiq; ducem præſtantiſſimum, poſt longas vigilias graveſque labores in caſtris ſomnum captaſſe meridianū Plutarchus in ejus vita commemorat. Monſtrorum domitorem Herculem ita loquentem facit Euripides: παίζω· μεταβολὰς γὰρ πόνων ἀεὶ φιλῶ. Ludo: quoniam laborum viciſſitudo mihi ſemper grata eſt. Graviter Cicero, Memmio cuidam vituperanti Catonem Uticenſem, dicentique, quòd totas noctes potaret: At illud, inquit, non addis, eum totos dies aleam ludere: civiliter excuſans Catonem, qui totum diem Reip. negotiis dabat, nocturnas aliquot horas ſumebat laxando animo. *Eraſm. lib. 4. Apopth.* Quantò igitur difficilioribus laboribus ac curis vita Magiſtratus diſtricta tenetur, tantò minus ipſi hæc vacationum intercapedo invidenda atque detrahenda eſt: quòd rerum natura homines continui laboris patientes

eſſe

eſſe non ſinat, ſed tempeſtivâ laboris intermiſſione ad laborandum reddat vegetiores. *Valer. Max. lib. 8. c. 8.*

Præterea uti vel naturâ æquum agnoſcimus, ut unicuique proſit & proficiat labor ſuus & induſtria. *Caſſiod. lib. 2, ep. 2.* ut vineam qui plantat, de fructu ejusdem comedat, & qui gregem paſcit is gregis lacte ſe ſuſtentet *1. Corinth. 9. v. 7.* ſic quoque Magiſtratui digna pro labore merces ac compenſatio debetur, cujus vigilantiâ, tutus Reipubl. ſtatus; ſartæ tectæ omnium opes, pax & tranquilitas inviolata, cuſtoditur: ne in publica aliorum abundantia & felicitate ipſe ſolus egere, ſolus ampliſſimo defenſionis curarumque ſuarum pro Rep. fructu carere cogatur. Si naulum perſolvere naviculariis, ſi cibum mancipiis, bobus, aſiniſque noſtris porrigere, juſtum putamus, quòd horum operâ in adminiſtratione familiari utimur: capiat meritum laboris precium, ſumtu vivat publico is, cujus mens, corpus, vita tota, publicis occupata negotiis conſumitur: è publico exſpectet, unde privatas

ruinas

ruinas reſarciat, cui, dum publicis civium commodis unicè inſervit, rem curare domeſticam, ſuæ ſuorumque neceſſitati proſpicere, non datur. Nec Regum iſthoc jus diſſimulavit Samuel, modò Tyrannis abſit & iniquitas. *1. Samuel. 8. v. 11. & ſeqq.* uſurpavit Salomon, cujus ſitarchi & ſumtus quotidiani deſcribuntur. *1. Reg. 4.* Terra Ægyptia, Diodoro Siculo ſi credimus, ita diſtributa erat, ut ejus tertia pars ſumtibus regiis & negotiorum publicorum impenſis deſtinata eſſet. *lib. 1. cap. 6.* Lacedæmoniorum Principibus certa prædia à Republ. pro patrimonio adſignata erant. *Xenoph. de Republ. Laced.* Proindè Longobardorum duces, creato Rege Autharo, Cleophonis filio, ut eſſet, unde & Rex ipſe, & qui ei aderant ab officiis, alerentur, dimidiam quiſque ſuorum bonorum partem in commune contulerunt. *Paul. Diacon. lib. 5. de geſt. Longobard. c. 8.* Nero Imperator ſenatoribus, qui tenui re familiari eſſent, annua ſalaria ſtatuiſſe dicitur *Alex. lib. 4. cap. 11.* Hermoni quoque Theſſalo,

Magi-

Digitized by Google

Magiſtratus adminiſtrationem paupertatis causà detrectanti, populares lagenã vini menſtruam,& modium farinę quarto cujusque menſis die, decreverunt. *Plut. in præcept. Polit.* M. Attilius Regulus,cùm in Africa inſolentiſſimæ Carthaginis opes crebris victoriis contunderet, ac prorogatum ſibi,ob benè geſtas res,in proximum annum imperium cognoviſſet, Conſulibus ſcripſit: Villicum in agello, quem ſeptem jugerum habebat, mortuum eſſe, occaſionemque nactum mercenarium, amoto indè ruſtico inſtrumento, diſceſſiſſe, ideoque petere, ut ſibi ſucceſſor mitteretur, ne deſerto agro non eſſet, ubi uxor ac liberi ſui viverent. Quæ poſtquam Senatus à Coſſ. accepit,& agrum Attilii illicò colendũ locari, & alimenta conjugi ejus ac liberis præberi,resq;,quas amiſerat, redimi publicè,juſſit. *Valer. Max lib. 4. c. 4. Plin. c. 40. de vir. illuſtr.* Lamachus Alcibiadis & Niciæ in Sicilienſi expeditione collega, vir juſtus, & in pugna manu promtus, cæterum pauper, præturæ ſuæ militaris rationibus ſemper adſcribere argentum,

quod

quod pro ſe in calceos & veſtem impendiſſet, non dubitavit. *Plut. in Nicia & in præcept. Polit.* Talia ſunt bona, quæ Magiſtratui ad commodiorem Reip. gubernationem, ſuamque dignitatem tuendã, conceduntur, & vocantur hodiè bona regno conjuncta & incorporata, ſeu coronæ unita itemque dos Reip Hinc apud Romanos diverſi procuratores fuerunt, nempè fiſci unus, & alius Cæſaris, ſeu rei dominicæ & privatæ: duplex ærarium, ut pecuniæ duplices, fiſci & privati patrimonii: & utrumque ærarium Principis dictum: quippè utroq; Principis diſpoſitioni à Republ. commiſſo: altero quidem ut Principis, altero ut Reip. uſui, immediatè inſerviret. *l. un. C. de quæſtor. & mag. offic. l. benè à Zenone 3. C. de quadrien. præſcript. Bodin. 1. de Rep. 10. P. Greg. 3. de Rep. 2. & 8.*

Communis igitur hominum ſors Magiſtratum Laboris ac Vigilantiæ neceſſitati ſubjecit: quam poſtea Diligentia in proprio ejuſdem officio magis etiam excolit & exprimit, latiſſimisque finibus ac ſcrupuloſis locorum ſalebris per infinita

Reip.

defenſionem contulerunt: legibuſque ſancitis ac Magiſtratibus conſtitutis, primùm in pagos, opida, urbes, mox in provincias & regna ſeſe conjunxerunt: donec tandem univerſum terrarum orbem habitabilem, innumerabili frequentiâ diffuſæ, compleverunt. Hac ratione privatæ ſingulorum poſſeſſiones Magiſtratibus ſubjici publicique juris cenſeri cœperunt: non quidē, quod ſingulorum eſſe deſiiſſent, ſed quòd ſub Reipubl. corpore, tanquam membrum, comprehenſæ, uti publicæ tutelæ commoditatibus gauderent, ſic publicis quoque oneribus ſubjacere cogerentur. Hoc eſt primum genus Poſſeſſionum Magiſtratus (Magiſtratus inquam: nam quà privatus & pater familias eſt, bona propria habet) in privata ſingulorum dominia deſcriptum, ut ſunt prædia, domicilia, agri, prata, ſylvæ, pecudes, piſcinæ, ſalinæ metalli fodinæ, frumentum, oleū, vinum, pecunia, ſupellex, & id genus alia.

Cui ſuccedit alterum facultatū genus in bonis Reip. propriis, quæ cùm in nul-

lius privati ſint dominio, à Magiſtratu & Rep. tenentur: & ſunt præter illa, quæ modò recenſui & poſſideri etiam à privatis poſſunt, mare, litora maris, portus, flumina, pagi, opida, urbes, provinciæ, regna, imperia. Romulum Reip. Romanæ inſtitutorem ferunt, univerſos agros in tres partes diviſiſſe, quarum prima religioni, cultuique divino, Reip. dominio attributa altera, tertia diſtributa inter cives fuerit. *Dionyſ. Halicarn. lib. 2.* in eaſdem Hippodamus Euriphontis filius, Mileſius, qui & rerumpub. diviſionē invenit, civitatis regiones diſtinxit. *Ariſtot. 2. Pol. 6.* Nec non Ægypti regnum ita diviſum fuiſſe tradit Diod. Sicul. *li. 1. c. 6.* Romanorum imperator Auguſtus provincias partitus eſt in prætorias, quæ populo erant vectigales, & præſidiales, quæ Cæſaris fiſco certum æs penderent: unde dicta tributoria & ſtipendiaria prædia. Huc refer bona vacantia, aut pro derelicto habita, & ſimilia, quæ dominum & poſſeſſorem non inveniunt, & in Reip. proprietatem incidunt.

Aliud quoque bonorum publicorum genus

Digitized by Google

genus eſt eorum, quæ in juribus & privilegiis variis poſita ſunt: qualia ſunt in primis, quæ Reip. ac gubernationis formam concernunt, ſive ea Reſp. à ſe ipſa habeat, ſive aliunde à ſuperiori Magiſtratu per conceſſionem, atque indultum acceperit, quantulacunque etiam ſint: quod inprimis ea tenenda firmiter, quæ Reip. libertatem ac Magiſtratus poteſtatem continent. Ejuſcemodi ſunt etiam jura, quæ Reſpub. & Magiſtratus habet in alios, ut ſunt jura fœderum, clientelæ, mutuæ ſucceſſionis, &c.

Haſce facultatum poſſeſſiones & tenere Magiſtratus, & iis dominari debet. Tenet, ſi jam partas conſervare, & porrò amplificare, quantum utiliter & honeſtè poteſt, adnititur. Quod præceptum latiſſimè patet, omnemque prudentiam complectitur, quâ Reip. bona foventur exornanturq;, ut nulla ipſarum particula deſerta, inculta, infructuoſa relinquatur & negligatur. Exempla ex innumerabilibus ſint hæc pauca. Prædiorum, bonorumque immobilium aliorum, commoda, quæ ſunt quaſi funda-

mentum publicorum redituum, ita tuebitur Magiſtratus, ne veniant in poteſtatem eorum, qui aut peregrini nec juriſdictioni Reip. ſubjecti, aut religionis prætextu ſe oneribus publicis ſubtrahentes rem defraudare publicam opulentiſſimorum prædiorum perceptione ociosâ ſolent. Quale decretum de Clericis ſapientiſſima VenetorumReſp. ſuperioribus annis inter ſuos promulgavit, *Bodin. 5. de Rep. 2. inf.* Ædificiorum tam publicorum, quàm privatorũ ſtructuram Magiſtratus firmam & ſolidam curet, ut non ſolùm ætatem ferre, ſed contra ignem etiam atque incendia tuta ſint atque munita. Ideoque non ſolùm peritos architectos alat, ſed nocturnos etiam cuſtodes & vigiles publicos, certoſque homines, ac omnis generis apparatum, & inſtrumenta, ad incendia tùm præcavenda, tum maturè arcenda atque extingenda, diſponat. *P. Greg. 2. de Rep. 9. 10. Patrit. 8. de Rep. 1.* Ruſticationũ in agris, hortis, ac vineis, operas à quoquam impediri ne ſinat; ad loca inculta occupanda atque excolenda vel præ-

Digitized by Google

miis ac privilegiis invitet colonos: ex agro pratum, aut ex prato agrum facere ne cuilibet promiſcuè liceat: ſed juſta camporum intervalla, neceſſaria ſegetum ac paſcuorum diſtinctio, ſervetur: ferarum in ſegetes incurſus & vaſtationes avertantur. *P. Greg. 4. de Rep. 8.* Nec minorem ſylvarum curam Magiſtratus gerat: quòd harum poſt ſegetes uſus perquàm magnus & optabilis. Saltus igitur & fruticeta, ſylvas cæduas ad focum inſtruendum aut ædificia & navigia conſtruenda, nemora glandifera ad pecoris & venationum uſus diſcernat, eorumque defenſores ac præfectos conſtituat. *Patrit. 7. de Rep. 5. Zech. 3. de Princ. 2. Ariſtot. 6. Polit 8.* Maria, lacus, ſtagna, piſcinas, ne negligat: piſcium capturam, quæ fit naſsâ vel reti, aut tempore fœtificationis aucupia, aut venationes, non paſſim cuivis in detrimentum publicum indulgeat. Aquarum inundationes objectis aggeribus, modiſque aliis, coërceat & declinet: maris dominium, litorum ac

portuum jura & commoditates amplectatur: ſalis ac metallorum fodinas & quærat Magiſtratus, & hominibus peritis committat. *Bodin. 6. de Rep. 2.* Denique operam det, ut ditio ſua rebus neceſſariis inſtructiſſima ſit, ut quàm minimum extraneâ ope atque importatione indigeat. Aut ſi qua aliunde importanda omnino ſint, aditum exteris facilem & expeditum præbeat, ut quæ neceſſaria ſunt minori negotio advehantur, minorique precio veneant; ac rurſus ſuperflua à ſubditis poſſint idoneè exportari: loca ac tempora certa atque ſolennia mercaturæ adſignentur. *P. Greger. 4. de Rep. 7.* Sub vite & ſub ficu quiſque ſua ſecurè degat. *1. Reg. 4. ver. 24.* Ad ſubditorum opulentiam ac felicitatem directa cuncta ſint. *Hippol. à Collib. in Princip. c. 29.* quod nullus locupletior theſaurus, nulla poſſeſſio Magiſtratus certior, quàm in ſubditorum bonis ac loculis quæ continetur, unde depromere in omni neceſſitate magno cum fœnore poſſis. *Antimach. 3. Theor. 32.* ditionem ſuam pagis & urbibus quàm plurimis &

mis & ornatiſſimis frequentari ſtudeat, nec ab iis etiam peregrinos, qui vitæ honeſtæ teſtimonio commendantur, nec incolis moleſti gravesque eſſe poſſunt, excludat: colonias ex locis hominum multitudine oneratis deducat: ſubditũ bona ſua ſub Reip. tutela adquiſita aliò transferre haud facilè permittat, niſi is prius Reip. æquâ penſione ſatisfecerit, aut diſcedendi cauſam ipſe fraude non quæſierit. Conſultum etiam, ut, ſi fieri poſſit, Magiſtratus ſuæ ditionis membra continuata, ſiue interruptione & mixtura alieni dominii, obtineat: ut confuſiones & difficultates, quæ pacis bellique tempore inde ſolent exiſtere, evitentur. Quo inprimis nomine Regis Galliarum potentia formidabilis exiſtimatur: cujus regni partes omnes arctiſſimè cohærent & quaſi perimetro concluduntur, cujus centrum Lutetia, Regni Metropolis, & regiæ dominationis ſedes. Limites quoque Reip. ſuæ accuratè circumſcribat Magiſtratus, eoſque munitionibus & propugnaculis militumque præſidiis adverſus externarum

incurſiones & rapinas cuſtodiat. Quo conſilio putant Marchiones primum inſtitutos & præfectos Imperii Romani finibus tutandis, quas Marchias vocamus, quales ſunt Marchia Brandenburgenſis, Marchia Styriæ, Marchia Moraviæ, Marchia Badenſis. *Vult. 1. de feud. 4. num. 14.* Poſſeſſiones ſuas Magiſtratus etiã bello ſi opus ſit adverſus deprædationes & latrocinia defendere ne dubitet. Nec alio ferè fine confœderationes ad mutuã regnorum defenſionem contrahuntur: de quibus aliàs.

Amplificantur Magiſtratus poſſeſſiones auctioreſq; fiunt modis adquirẽdi legitimis omnibus: potiſſimũ emtione, oppignoratione, ſociorũ collatione, hoſtiũ ſpoliis, donatione amicorũ, itemque mercaturâ & negotiatione publicâ: nec nõ electione & ſucceſſione Magiſtratus, quæ fit in dominiũ regni, præter id, quod jam tenet, alterius. Nam de electione & ſucceſſione cauſſis conſtituendi Magiſtratum omniũ primis, uti quoq; de tributorum & vectigalium exactione, officio Magiſtratus planè proprio & peculiari, actum ſuperiùs. Ut ſuæ Reip; facul-

cates amplificârint Romani, Lucanus aperit, cum ab ipſo deſcribitur

Romani cenſus populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perſeus, quem victi dextra Philippi:
Quod tibi Roma, fuga Pyrrhus trepidante reliquit:
Quo te Fabricius Regi non vendidit auro:
Quidquid parcorũ mores ſervaſtis avorum:
Quod dites Aſiæ populi miſere tributum:
Victoriq; dedit Minoia Creta Metello:
Quod Cato longinquâ vexit ſuper æquora Cypro:
Atque orientis opes, captorumq; ultima Regũ,
Quæ Põpejanis prælata eſt gaza triũphis &c.

Majores noſtri, ait Cicero, ex minima tenuiſſimaq; Rep. maximam & florentiſſimam nobis reliquerunt: ſuos enim agros ſtudioſè colebant, non alienos cupidè appetebant. *vid. Bod. 6. de Rep. 2. Hip. à Col. in Pr. c. 34. & c. ſeq. P. Greg. 3. de Rep. 6. n. 35. & ſeqq.*

Hæc & alia infinita prudentiæ invẽta circa conſervationem & amplificationẽ bonorũ Reip. in Magiſtratu operatur poſſeſſionis virtus, quæ undecũq; juſta Reip. ditãdæ augendæve occaſio offertur, hãc amplectitur, huic inſiſtit: ut totũ bonorũ publicorũ corpus, quod curandũ ſuſce-

pit,nō ſolū in columne atq; illę sū diutiſſimè cōſervetur, verū etiā ſubinde habitius, pinguius, florentius pluriumq; incrementorū acceſſione legitimâ quàm maximum & ampliſſimum poſteritati tradatur. Ex quo Magiſtratus comparatur arbori fertili, quæ in medio terræ conſtituta proceritate ſuâ cœlum contingat, & amplitudine ſuâ uſque ad fines totius Regionis protendatur, frondibus ac foliis pulcherrimis, fructuque abundantibus, in cujus umbra animalia terræ habitent, cujus ramis tegantur volucres cœli, unde omnis caro nutrimentum ſuū accipiat. *Dan.4. v.8.& 9.* Xenophontis ſuaviſſima ſentētia eſt, qui Principem in regno id eſſe vult, quod Pater in domo eſt. Commune parentū votū eſſe illud ſolet, ut liberis ſuis quàm maximas & firmiſſimas opes parent, & relinquant, unde illi vivere honeſtiſſimè ac jucundiſſimè poſſint. Quibus veſtigiis ſi incedat Magiſtratus, meritiſſimum Patris Patriæ nomen ſine controverſia auferet, factorumq; memoriā apud gratam poſteritatem obtinebit immortalē.

Dominium Magiſtratus propriè in

uſu bonorum Reip. cernitur, quem neceſſitas Reip. circumſcribit. Nam dominium rerum publicum & hinc Domini appellatio, quæ Magiſtratui κατ' ἐξοχὴν tribuitur, non quandam in ſervos & mancipia poteſtatem denotat, quemadmodum apud Romanos Domini vox ferè uſurpari ſolita fuit. Quam etiam ob cauſam appellationem Domini Auguſtus Cæſar, ut maledictum & opprobrium, meritò exhorruit, nec Tiberius Cæſar tulit, qui à quodam dominus appellatus, ne ſe amplius contumeliæ cauſa nominaret, denunciavit: ſed idem Senatum ſuum dominum vocavit, ſeque operam daturum dixit, ut rationem factorum & dictorum ſuorum reddere poſſet. *Sueton.* Publici hujus dominii vim agnovit quoque Adrianus Imperator, qui non ſemel in ſenatu, ſe ita geſturum Principatum, confirmavit, ut ſciat, rem populi eſſe, non ſuam: ſicut tutor res pupillares adminiſtrat, *Eraſm. 6. Apophth.* Pertinax Imperator poſſeſſionibus imperatoriis nomen ſuum inſcribi prohibuit, non eſſe illas dictitans impe-

rantum proprias, ſed communes Romanorum & publicas. *Herodia. lib. 2.* Hinc Ephron Hethæorum Rex Abrahamo Patriarchæ jus ſepulturæ vendidit, conſcio populo *Gen. 23. v. 6. & ſeqq.* Chamor civitatis jus peregrinis tributurus ea de re ſubditos prius compellavit. *Gen. 34. v. 20. & ſeq.* At verò ſi neceſſitas Reip. tanta ingruat, bona privatorum à poſſeſſoribus etiã invitis auferri, & in uſum publicum converti à Magiſtratu poſſunt. Ita domum ſubditi ſui demoliri, aut ejus fundum urbi propinquum pro dilatandis foſſis civitatis vel extruendo propugnaculo, aut aliâ neceſſitate publicâ, occupare, item ſuburbia deſtruere, vel incendio abſumere poteſt, ne hoſtis eò ſe recipiat, *Gail. 2. obſerv. 56.* Imò ſi aliter conſuli toti Reipublic. corpori nequeat Magiſtratus damna ſubditis belli tempore illata remittere, aut etiam partem publicarum poſſeſſionum vendere & quocunque modo alio diſtrahere poteſt, quamvis privatorũ ſimul dominia comprehenſa includantur. Sic pagis, opidis, urbibus, provinciis, alienatis diſtractiſq;, unà poſſeſſores eorũ pri-

vati tranſeunt. *Gail. d. l. obſ. ſeq. Hotom. illuſtr. quæſt. 1. P. Greg. 5. de. Rep. 8. lib. 7. c. 20. n. 40. & ſeqq. n. 54. & ſeqq. Jun. Brut. quæſt. 3. Bodin. 6. de Rep. 2. Antimach. 1. theo. 1.* In caſibus tamen ejuſmodi privati poſſeſſores, quantū fieri poteſt, & æquitatis ratio poſtulat, indēnes ſervandi.

Cæterùm hoc & Poſſeſſionis & Dominii jus ad leges cujuſq; Reip. fundamētales perpetuo revocandū eſt, quæ Magiſtratui, non ſolùm inferiori, ſed etiam ſummo, terminos certos pręfigunt, quouſq; in bonis Reip. verſari, ea tenere atq; uſurpare debeat & poſſit. Electus Imperator Romanus nihil eorū, quæ ad Imperium Romanū pertinent, ſine Procerū conſenſu alienaturum, diſtracturū, vel oppignoraturum, aut ullum fœdus, vel pactum de rebus imperii cum externis facturum jurat: ſi quid verò recuperet aut adquirat viribus publicis, imperio non ſibi quæſitum iri. *Sleidan. li. 1. ſpecul. Saxon. lib. 3. art. 54. Æn. Sylvius lib. 4. comment. de Alfonſ.* Galliarum Reges bona regni alienare, niſi certis caſibus, nec abſque Parium & Cameræ ratio-

ciniorum publicorum, itemque ex edicto Caroli Sexti & Noni, præfectorum fiſci comprobatione, ut nec Eccleſiam dotare, multoque minus regalia aut jus nominandi prælatos cuiquam Eccleſiæ remittere poſſunt *Antimach. 1. theor. 1. P. Greg. 3. de Rep. 8.* Carolo Nono Regi deſerta & inculta Reip. prædia emtoribus certo precio addici iterũ atq; iterum mãdanti curiam Pariſiorũ unà cũ Decuriis cæteris reſtitiſſe & adverſus regem obtinuiſſe Bodinus narrat *6. de Rep. 2.* vſum facultatum Reip. certis legibus definitum Poloniæ quoque, Hungariæ, Angliæ, Hiſpaniæ, Reges obtinent. *Iun. Brut. quæſt. 3.* Et verò regna oppignorata, permutata, donata, in dotem data, adoptione, teſtamento, ad extraneos translata, leguntur. *P. Greg. 7. de Rep.*

Quòd ſi Magiſtratus præter bona hęc publica alia poſſideat, ſiquidem ea, non ut Magiſtratus, ſed ut privatus, tenet, privatorum etiam jure in ipſis utetur.

Labor hominis, qui, Deo benedicente, primam rerum poſſeſſionem genuit, unde reliqui adquirendarũ facultatum

modi

modi prodierunt, eandem poſtea in ſingulis vitæ ordinibus diſtinxit, ſicuti ipſe labor omnibus univerſim hominibus injunctus ſpeciale nomen officii, quod quiſque in hominũ ſocietate gerit, nanciſcitur. Jam verò ut labor poſſeſſionem ita Sufficientiam introduxit poſſeſſio, in qua maxima Sufficientiæ neceſſitas, maximus uſus. Quamprimum enim facultatum adquirendarum ſtudio homines duci, rerumque diſtingui dominia cœperunt: ne inſatiabilis poſſidendi cupiditas in infinitum progrederetur, hoc ei Sufficientiæ capiſtrum injiciendum neceſſariò erat.

Sufficientiæ enim virtus (quam Græci αὐτάρκειαν vocant) cujuſque animum ſuâ ſorte contentũ eſſe jubet, ut adquieſcat in bonis & donis à Deo ſibi tributis, nec ſolicitè deſideret ampliùs. Quæ tanto magis requiritur in Magiſtratu, inprimis ſummo, quantò veſana regnandi libido & ſemel deguſtata publicorum bonorum opulenta ſuavitas acrioribus ſtimulis potentûm laceſſere animos & ad ulteriora lautioraque appetenda facilius.

lius irritare conſuevit. Ad ſummam enim faciendi poteſtatem rerumq; omnium abundantiã ſi ſpiritus paulò inquietior & delitiarũ blandimẽtis ineſcata orexis accedat, neq; prona & valida ad cõcupiſcendũ occaſio, neq; in ſuperfluitate remota modũ tenebit deficiens penuria.

Sufficientia Magiſtratus conſpicitur primò in opibus & facultatibus, deinde in rebus quibuſcunque aliis, quas habere licitè poſſumus, moderatè appetendis cùm quæ illicita ſunt ne appeti quidẽ ſine ſcelere poſſint. Quòd enim Magiſtratus bona vitæ & officio ſuo conveniẽtia appetit, ex poſſeſſionis virtute facit, quę ſuas quemq; facultates tenere iiſque dominari vult: quod fieri ſine appetentiâ nequit, juſtâ tamẽ: opũ nempe & facultatũ juſtè adquiſitarũ. Verùm ne in bonis etiam juſtè adquirendis ac poſſidendis, doniſq; aliis in ſe divinitùs collatis, Magiſtratus ſuis cupiditatibus nimium habenas laxet, in gyrum, intraq; Sufficientiæ carceres redigendus atq; coërcendus appetitus eſt: ut præſenti fortunâ cõtentus, hunc terminum deſideriis ſuis ac

ſolicitu-

ſolicitudini ſtatuat, hîc pedē ſiſtat, hoc optimū putet, quod ſors cunq; obtulerit, etiāſi, interdū noverca bona & dona ſua parcâ diſtribuat manu. *Cic. ult. Paradox.*

Regna igitur, dignitates, divitias, potentiam ita quærat Magiſtratus, ne tamē iis anxiè inhiet: nec oblata ſuſcipiat ita, ut qui ſitis collectam ex longo rabiem reſtinguere avidè ardent. Saulus Iſraëlita à Samuele Propheta Rex jam inunctus & denuò apud Maſpham ſorte electus apud impedimenta delituit, certiſſimū præbens Regni minimè affectati indiciū 1. *Samuel. 10. ver. 22 & 23. & c. ſeq. ver. 5.* Ludovicus Ungariæ Rex ad regnū quoque Polonicum capeſſendum invitatus non niſi poſt longas preces ſeſe exorari paſſus eſt, quòd ſatis & abundè negotii eſſe duceret, uni populo benè præeſſe. *Crom. li. 13.* Fridericus dux Saxoniæ Elector Imperio ſibi legitimè delato prorſus abſtinuit, ſuoque ſuffragio Carolum quintum Imperatorē deſignavit, oblatā eo nomine magnā pecunię vim à Legatis Caroli rejecit, & ſuis ne vel teruncium acciperent mandavit. *Sleidā. lib. 1.* Friderici

illius,

illius, qui primus Electoris & Marchionis Brandenburgenſis nomen in familiam ſuam intulit, arcemque Colonienſem, quæ hodie Electorum Brandenburgenſium ſedes eſt, ad Suevum fl. ex fundamentis condidit, filius natu major Johannes Sufficiẽtiæ pariter & erga patrẽ obedientiæ exemplum præclarum edidit: cui (quòd ad labores Electoratus ſuſtinendos remiſſior videretur) cùm Pater Fridericum, filiũ ætate ab eo proximum in ſucceſſione ſeptemvirali prætuliſſet: ceſſit patris de ſe judicio, & Voitlandiâ ditione contentus parenti inſuper gratias egit, cujus ſupremâ voluntate otium ipſe nactus eſſet, negotiorum mole fratri impoſitâ, *Æn. Sylvius lib. 2. comment. in Panormitan.* Diocletianus verò ad Imperium etiam ultrò dimiſſum revocatus ſprevit opes turbidas ancepsque faſtigium, & quæſitum ab aliis quærendumque tantis cædibus rurſus oblatum expertus exhorruit, & philoſophicè graviterque cum amicis jocans oleribusq; in hortulo ſuo, quæ privatus ſibi ipſe plantaverat, poſthabendum

dum cenſuit. *Fr. Petrarch. dial. 79.* Nec enim commoda vitæ vel dignitatis ratio in magnitudine, ſed magnitudo in bonitate ſita eſt: & planè is, qui multa agit, ubi ceſſare licet, ſtultus eſt: cùm jucundiùs poſſet tranquillus vivere. *Chriſt. Sturc. de Imp. German. cap. 44. num. 11.* Sunt itaq; imperia non vehementer expetenda, ac potiùs aut non accipienda interdum, aut deponēda nonnunquam: dum tamen abſit ignavia & puſillanimitas. *Cic. 1. offic.* Sufficientiæ ſtudioſus Magiſtratus ſereno vultu accipit, quæ ſincerâ voluntate ipſi offeruntur, apponuntur, & quocunque modo benignè fiunt ab aliis, etiamſi fortaſſè nec dignitati Magiſtratus, nec meritis perfectè reſpondeant: eò quod dantis & offerentis mens perſpecta & probata, ſola ad beneficii integritatem ſufficiat, magnaq; in virtute ponatur, & eximium animi ſuâ ſorte contenti argumentum ſit, beneficium ex dantis ſtudio, non ſuâ cupiditate metiri. Artoxerxes Rex Perſarum, qui juxtà cenſebat regium eſſe & benignum, capere candido & alacri animo,

nimo exigua, atq; ingentia donare, cùm homo pertenuis ac plebejus, cui nihil erat aliud, ſumtā ex amne ambabus manibus aquam ei equitanti in itinere obtuliſſet (regem enim tranſeuntem indonatum à quoquā dimitti apud Perſas nefas habetur) accepit hāc grato animò & homini phialam auream cum mille Daricis miſit *Plut. in apoph. & in Artox.* Pari æquanimitate Ludovicus XI. Caroli Septimi patris metu apud Burgundos exulans cùm venationibus indulgeret & ſaltuarii cujuſdam Cononis familiaritate ſe oblectaret, iſque ad regnū evecto Ludovico rapas aliquot, quibus ipſum poſt venationis laborē cupidè veſci viderat, oblaturus Pariſios proficiſceretur ſed in itinere fame urgente omnes rapas grandiſſimâ exceptâ devoraſſet, eamque regi dono obtuliſſet, Rex hominis ſimplicitate delectatus mille donavit aureis & rapam inter theſauros ſuos reponi juſſit *Ægid. Corrozet. de dict. & fact. memor.*

Quin imò virtutis hujus clypeo munitus Magiſtratus, omnes illos ſpernet fortunæ

fortunæ caſus, qui emergunt ab illarum rerũ deficientia, in quibus primam collocare beatitudinis partẽ hoc in mundo opinio hominũ ſolet: quas cum nunquã immoderato deſiderio expetierit Sufficientię præceptis imbutũ Magiſtrat⁹ pectus nec magnoperè dolebit angeturq; animis, ſi maximè ea omnia abſint ſuumq; poſſeſſorẽ priſtinũ deſerant. Alexander Magnus Dariũ perſequens per loca ſicca & arida, Marcus item Cato Uticẽſis per fervidas Libyæ arenas exercitũ ducens, cũ propter ſolis ardores laboremq; acri ſiti torquerentur, non modò præſentẽ inopiam tulerunt placidè, ſed ſuo inſuper exemplo militibus ad ſimilem ſufficientiam ſtimulos addiderunt. Utrunq; enim memoriæ proditũ eſt aquam fortè repertam & galeâ oblatam in conſpectu exercitus effudiſſe, ne in publica omniũ ſiti privatis ceſſiſſe cupiditatibus viderẽtur. *Polyæ. li.4. Fron. lib.1.c.7. Ful. lib.4.c.3.* Ita Rudolph. I. Imperator in expeditione contra Ottocarũ Boëmiæ Regẽ ſitibundus allatam ſibi hydriã ſicerâ plenã,

quam

quam Colono meſſoribus potum ferenti milites eripuerant, reddi juſſit, Nam ego, inquit, exercitui, non mihi ſitio. *Æn. Syl. lib. 3. comment. de geſt. Alphons.* Rex Siciliæ Alphonſus jejuno & famelico exercitu hoſti occurrere coactus, cùm ei miles panem cum raphano & caſeo (ingens in neceſſitate munus) obtuliſſet, collaudato militis animo, recipere noluit: parùm convenire dicens, jejuno exercitu Regem ullâ re veſci *Fulgoſ. d. l.* M. Cato minor, conſulatus repulſam tulit, quòd non prenſaret populum, nec per ſe, nec per amicos. Quæ res cùm adferre ſolita eſſet non ipſis modò præteritis, ſed & eorum amicis familiaribusque, per multos dies cum aliquo rubore triſtitiam ac mœrorem, adeò nõ commotus eſt Cato, ut eodem die unctus pilâ luderet in comitio, & à prandio rurſus in forũ, more ſuo, deſcendens, deambularet cum familiaribus. *Plutar. in Caton.* Antiochus Rex à L. Scipione ultra Taurum montem imperii finibus ſubmotus cùm Aſiam, provinciam, vicinaſque gentes amiſiſſet, gratias agere populo

populo Romano non diſſimulanter tulit, quòd nimis magnâ procuratione liberatus modicis Regni terminis uteretur. Facetè quidem ille, ſi fictè: ſapienter graviterque, ſi verè. *Valer. Max. lib. 4. c. 1. Fr. Petrarch. dial. 79.* Rex Judæorum David regno per ſeditionem pulſus, Si, inquit, invenero gratiam in oculis DOMINI, reducet me: ſi autem dixerit mihi, Non places: præſtò ſum, pro beneplacito ſuo faciat mihi. *2. Sam. 15. v. 25. 26.* Carolus III. Imperator, Craſſus cognominatus, deficientibus ad Arnulphum Carolomanni, Italiæ atque Bojariæ Regis, filium Germaniæ proceribus, tandem etiam deſertus à famulis cùm triduo integro fame conflictatus eſſet, tandem vim fati agnoſcens, animo planè ad Sufficientiam compoſito, Arnulphi fidei ac tutelæ ſe atq; prolem commendavit, victum duntaxat oravit, nactuſque pagum Sueviæ Nidingam ejus reditibus ſe ſuſtentavit. Alii in Augia majore conſenuiſſe ſcribunt. Ita Occidentis ferè totius locupletiſſimus Imperator fortunæ ludibrio eò paupertatis pervenit, ut

nit, ut de ſummo generis humani faſtigio ad ima deturbatus obulo etiã eguerit. *Regin. lib. 2. Aventin. 4. Annal. Bojor.* Quo igitur modo verſandum eſt in convivio, ut, circumacto diſco, ſi aliquid ad tuum locum pervenerit, manu extenſâ modeſtè attingas, ſi prætererit, ne retineas, ſi nondum appropinquaverit, ne nimium appetitum extendas, ſed expectes donec ad te veniat: eodem animo erga divitias, Magiſtratus, & nuptias affecti eſſe, monente Epicteto, debemus, ut digni convivio Deorum efficiamur. Scitè Claudian. 1. Ruf.

Semper inops, quicunq; cupit: cõtentus honeſto
Fabricius parvo ſpernebat munera Regum.

Virtutes bonorum ac facultatum adquiſitionem gubernantes, è veſtigio excipit Frugalitas adquiſitorũ uſum in diſpenſatione ſumtuũ attemperans.

Sumtuum ratio ferè in duobus eſt, ut & reditibus, & vitæ generi Magiſtratus, correſpondeant. Quamvis enim Magiſtratus propter officiũ, quod in Politia publica gerit ſummũ, intra vitæ privatæ anguſtias redigi non debet, ſed ultra hominum

minum ſortem aliorum aliquid ei concedendum eſt amplius: ditionis tamen ac proventuum ſemper inter ſe fieri collationẽ opus eſt, ut ſimul neceſſitati pareatur, ſuuſq; Magiſtratus cõditioni honos, tum proportionis inter expenſas interque reditus ſervetur æquilibrium.

Si qua verò ultrà erogationes neceſſarias ac honeſtas ſuperſint, ad horũ diligentẽ cuſtodiam Magiſtratũ exhortatur PARSIMONIA quæ fertiliſſima Frugalitatis pars eſt. Sic juxta Alcamenis Tecli filii apophthegma decet eum, qui multa poſſidet, pro ratione, nõ pro libidine vivere, eò, quod pernitioſæ ſint divitiæ, niſi adſit animus divitiis ſuperior, qui poſſit earũ uſum non ex copia, ſed ex neceſſitate moderari, *Plut. in Lacon.*

Hoc loci præcipuè excellit SOBRIETAS & Mundities Magiſtratus; quarũ illa in victu, hæc in amictu, totiuſq; corporis cultu moderato vertit'. Xenophõ ita bibendũ Magiſtratui innuit, ut ſitire deſinat, aut certè adhuc ſitiens deſinat, *1. Pæd.* Plato in ſua Rep. Magiſtratibus donec in officio eſſent vinum prohibuit.

Alex.

Alex. lib. 3. c. 11. Solonis lex Magiſtratum ebrium impunè etiã occidere permittens, licet ſine periculo locum in Rep. habere nequeat, graviſſimum tamen ſobrietatis in Magiſtratu teſtimonium perhibet. *Bodin. 5. de Rep. 5.* Ægyptiorum Reges cibo veſcebantur ſimplici, ut quorum menſæ nihil præter vitulum & anſerem inferretur: vini certa ſtatuta erat menſura, quâ neque farciri venter, neque inebriari poſſet: doniq; ipſorum vita eâ continebatur temperantiâ, ut non à legislatore, ſed à peritiſſimo Medico, ad ſervandam ſanitatem, compoſita videretur. *Diodor. lib. 1. c. 6.* C. Julium Cæſarem vini parciſſimum fuiſſe, ne inimici quidem ejus negarunt. Verbum Catonis fuit: Unum ex omnibus Cæſarem ad evertendam Remp. ſobrium acceſſiſſe. Auguſtus Cæſar cibi minimi erat, atque vulgaris ferè: ſecundarium panem & piſciculos minutos, & caſeum bubulum manu preſſum, & ficus virides biferas maximè appetebat. Quoties largiſſimè vino ſe invitarat, ſenos ſextantes non exceſſit, neq; temerè

interdiu

interdiu bibit. Siti urgente perfuſum aquâ frigidâ panem aut fructus aliquos edebat, *Sueton.* Nec ferè aliter Carolus Magnus Imperator: qui ut cibi, ita maximè potus parciſſimus erat, ebrietatem in quolibet infimæ etiam conditionis homine, ne dum ſuis, oderat: quotidiana ejus cæna quaternis duntaxat ferculis conſtitit præter aſſam, quâ inprimis delectabatur, & quam venatores verubus inferre ſolebant, in cæna non amplius ter ferè, neque temerè interdiu, bibit: æſtate pro potione ſumebat aliquid pomorum, *Crantz. lib. 2. Saxon. c. 8. Avent. 4. annal.* Fridericus III. Imperator extra cœnam nunquam utebatur vino, in cæna lectiſſimum bibebat, & id aquâ perdomitum: ebrietatis hoſtis acerrimus, ſingulari amore abſtemios proſequebatur. *Æne. Sylv. lib. 2 comment. in Panorm. Cuſpin.* Quêis veterum exemplis libenter adjungimus, nunquam ſatis laudatum nonnullorum Germaniæ Principum inſtitutum, qui mutuo voto ſobrietatem pacti luxum à ſe omnem & ab aulis ſuis jam pridem removerunt.

Quæ ſobrietatis obſervatio in belli ducibus præcipuè commendabilis. Carthaginenſium lege cautum fuit, ne quis Magiſtratus, cùm aliàs, tùm verò militiæ tempore nullum vinum biberet, nec in caſtris, nec in civitate. *Plat. 2. de. LL. Euſeb. lib. 12. de præparat. Evang. cap. 17.* T. Sempronius Gracchus, conſul Romanus, in exercitu aquam potare ſolebat, per ardores æſtivos aliquantulo permixtam aceto. *Volater. lib. 14. Anthropol. c. 2.* Hanibalem tradunt, nec cùm primũ in Italia bellum geſſit, nec poſtea cùm in Africam rediit, aut cubantem cœnaſſe, aut pluſquam ſextario vini indulſiſſe. *Front. lib. 4. c. 3.* Auguſtum Cæſ. non amplius ter bibere ſolitum ſuper cœnam in caſtris apud Mutinam Cornelius Nepos tradit. Inopinati enim rerum in bellis caſus, innumerabiles fortunæ atque occaſionum in armis viciſſitudines, ſobria conſilia, integrum, promptum, & expeditum rationis uſum poſcunt.

Ad ſobrietatem Magiſtratus pertinet PIUM JEIUNIUM, quo vel ab omni cibo & potu ad certum tempus abſtinet, aut

aut ſaltem exiguum victum uſurpat, in neceſſitatibus tùm privatis, tum publicis, pietatis ardentiùs exercendæ cauſæ. David Rex Iſraëliticus pro vita infantis ex adulterio nati DEO ſupplex humi decumbens jejunavit *2. Samuel. 12. verſ. 16. & 17.* Cornelius, Præfectus militum Cæſariæ, religionis ſtudio quatriduum jejunando prædicationem Evangelii & divinam mentis illuſtrationem impetravit. *Act. 10. ver.* 30. Rex & Principes Ninivitici veſtibus induti lugubribus indictoque ac ſervato publicè jejunio, ſe & Remp. ab interitu liberârunt. *Jonæ 3. v. 6. & ſeqq.* Hoc pietatis fomento uſus Ioſaphat, Rex Judæorũ religioſiſſimus, victoriam adverſus hoſtes ope Dei obtinuit clariſſimam. *2. Chron. 20. v. 3.* Carolus Magnus corpus ſuum jejuniis frequenter exercuit: expeditione in Avares ſuſceptâ ad Aniſum fl. triduanum jejunium & litanias celebravit. *Mutius lib. 8. Regin. lib. 2.* Otto Magnus Imperator cũ Hungaris conflicturus jejuniũ in caſtris indixit, Dei invocans auxiliũ. *Witichind. lib 3. Roger. in vit. Brun.* Stephanus

Walachiæ Palatinus parvâ manu ſuorum cùm ingentes Turcorũ copias profligaſſet, ſoli Deo victoriam acceptam referens, quatridui abſtinentiâ ab omni, præter panem & aquam, cibo, animum ad gratias DEO agendas erexit. *Cromer. lib.* 28 Sit ergo jejunium Magiſtratus nõ ex ſuperſtitioſa mentis obſervatione, ſed ex libero occaſionis eventu, non ad externam pompæ inanis oſtentationem, ſed ad ſeriam divini numinis invocationem, non dierum numero longiore, ſed pietatis exercitio ardentiore, inſtitutum.

Munditiės Magiſtratus in amictu cultuque corporis, Frugalitate decorâ & politâ definitur: & conſiſtit non tantùm in veſtium, utenſilium, & ſupellectilis elegantia, ſed etiam ipſorũ membrorum corporis puritate, quæ fit externâ lotione, unctione, tonſurâ, raſione. Auguſtus Cæſar veſte non temerè aliâ, quàm domeſticâ uſus eſt, ab uxore, & ſorore, & filiâ, neptibuſque confectâ. *Sueton.* Severus Imperator gemmas omnes, quas in palatio reperit, vendidit, & aurum in ærarium contulit, dicens: Viris

Viris gemmas uſui non eſſe, nec dari militibus poſſe: Matronas autem Regias contentas eſſe debere uno reticulo atque inauribus & baccato monili, & coronâ, in qua ſacrificerent, & unico pallio auro ſparſo, & cyclade, quæ plus ſex unciis auri nõ haberet. Eundem ob ſimplicis veſtitus uſum cùm repræhenderent aulici, reſpondit: Imperatoriam majeſtatem conſtare virtute, non corporis cultu delicato. *Lamprid.* Sicuti Alphonſus veſtitu cultuque corporis popularibus ſuis haud multùm abſimilis, cũ admoneretur, ut regio veſtitu incederet, Malo, inquit, moribus & authoritate meos excellere, quàm diademate & purpurâ. *Panormit. lib. 1. de geſt. Alphonſi. Æn. Sylv. de ejus dict.* Et Ageſilaus Spartanorum Rex Ægyptiis, à quibus accitus ſtipendio erat, cultus ac victus ſimplicitate oſtendit: Majeſtatem dignitatemque regiam non veſtium ſplendore, ſed prudentiâ ac fortitudine parari oportere. *Plut. in Lacon.* Marcus Cato ſplendidiſſimis Reip. muneribus functus, veſtem nunquam induiſſe ſe ait,

quæ pluris eſſet centum denariis: ſtragulam veſtem cùm ex pictis Babylonicam hæreditate accepiſſet, ſtatim diſtraxit. In provinciæ adminiſtratione pellibus hædinis pro tapetis uſus eſt. *Plut. in Caton. major. Valer. Max. lib.* 4. *c.* 3. Hujus pronepos Cato Uticenſis ſine calceis, ſine tunica, funiculo cinctus, per forum cum familiaribus poſt prandium deambulare, itemque nudis pedibus, veſte fuſcâ & ſine tunica, ſolâ togâ accinctus, jus in foro dicere ſolebat. *Plut. in eod.* Ludovicus XI. Francorum Rex habitu ferè plebejo utebatur, ut ſuos à luxurioſo ſerici & pellium peregrinarum veſtitu, cujus precio regni opes ad alienos transferrentur, ad Frugalitatem traduceret. *Seiſſel. in hiſt. Lud.* 12. *Æmil. lib.* 10. Epaminondas, Dux Thebanorum clariſſimus, in ſupellectile ſua præter veſtem, ahenum & veru, unicum nihil habuit. *Frontin. lib.* 4. *c.* 3. *Plut. in eod. Ælian. lib.* 7. *var.* C. Fabricius cenſor ſummos duces pluſquam pateram & ſalinum ex argento in caſtris habere edicto inhibuit. *Alex. lib.* 2. *c.* 29. *Plutar. in eod.* Auguſti Cæſaris

Cæſaris inſtrumenti & ſupellectilis par-
ſimonia apparet etiam nunc, inquit Sue-
tonius, reſiduis lectis atque menſis, quo-
rum pleraq; vix privatæ elegantiæ ſint
Ne toro quidem cubuiſſe ajunt, niſi hu-
mili & modicè inſtrato. Omnis præterea
lenocinii negligens, & in capite comen-
do incurioſior, raptim pluribus ſimul
tonſoribus operam dedit, ac modò ton-
ſâ, modò raſâ barbâ apparuit, per omnes
ætatis gradus formâ præditus aliàs venu-
ſtiſſimâ. Scipionem Africanum adorna-
bat promiſſa cæſaries, habitusque cor-
poris, non cultus munditiis, muliebri-
bus, ſed virilis verè & militaris. *Liv.
lib.* 38. Barbam quoque raſit, idque cùm
ei dies ad populum dictus eſſet, cùm a-
liàs judicio publico reis corporis cultu
eſſe negligentiori moris eſſet: ut proin-
de appareat, pilorũ raſurã Romanos in
munditie & decoro poſuiſſe. *Gell lib. 3.
noct. attic. c. 4.* Idẽ Scipio, horror ille car-
thaginis, cui Roma debebat, quòd ſemel
tantũ foret capta, in balneolo perãguſto,
tenebricoſo, apud Linternum abluebat

corpus laboribus feſſum ruſticis: quoniam ſe exercebat opere, terramq; ut mos fuit priſcis etiam ſummis in Rep. viris, ipſe per otium publicum ſubigebat. *Cal. lib.30.c.17. Plin. lib.18.c.3. vid. P. Gregor. 22. de Rep.5.*

Et verò Frugalitas Magiſtratus in rebus exercetur etiam aliis, in emendo, in nuptiis, in dote, in ædificando, in famulitio & comitatu, in conviviis, in pompis inaugurationum, triumphorum, ſpectaculorum, funerum, in venationibus, canum equorumque educatione, in peregrinationibus, in totius aulæ, totiuſq; vitæ conformatione frugali. T. Pomponio Attico, nobili Equiti Romano, inter alia laudi tributum, quod neque emax, neque ædificator fuerit. *Cornel. Nepos.* Marcus ille Cato, Reip. Romanæ Cenſor graviſſimus, mancipium nunquam plus mille quingentis denariis emit, quòd nec molles, nec formoſos, verùm operoſos & valentes, ut equiſones & bubulcos quæreret: nihil vilis eſſe precii, quod ſuperfluum foret, ſed quo non indigeas, etiamſi vel aſſe venit, carum duxit

duxit: comparavit arva & paſcua potius, quàm irriguos & nitidos hortos. *Plutar. in Caton.* Alexander Severus Imperator tantum abeſt, ut pecunias inutilium rerum emtionibus effunderet, ut etiam uniones duos inuſitatæ menſuræ & magnitudinis ſuæ uxori per quendam Legatum oblatos, cùm vendi juſſiſſet, nec illi precium invenirent, ne exemplũ malum à Regina naſceretur, ſi eo uteretur, quod emi non poſſet, in auribus Veneris dicârit. *Lamprid.* Claudius Cæſar filias duas deſpondit, nullo immodico apparatu: nam & ipſe diebus illis jus dixit, & Senatus convenit. *Sueton.* Henricus III. Imperator à nuptiis, quas celebravit in Ingelheim, abegit inutilem hiſtrionum & mimorum turbam, quæ (ut fieri in ejuſmodi ſolennitatibus publicis ſolet) eò confluxerat. *Cuſpini. Crantz. 4. Metrop. 22.* Philippus Bellus Elizabethæ Anglorum Regi nuptæ, & Carolus v. filiabus regum dotem non majorem decem libellarum millibus conſtituiſſe Bodinus 5. *de Rep.* 2. antor eſt. Ageſilai, Regis præſtantiſſimi, donum ab inopi &

privata non diſſimilem fuiſſe hiſtoriæ teſtantur. Cn. Pompei domus ad tertium uſque triumphum non magnificentiùs extructa fuit, quàm privati & egeni civis. *Alexand. lib. 5. cap. 25.* Auguſtus Cæſar habitavit in Palatio, ſed nihilo minùs ædibus modicis Hortenſianis, & neque laxitate neque cultu conſpicuis, ut in quibus porticus breves eſſent Albanarum columnarum, & ſine marmore ullo, aut inſigni pavimento conclavia: ac per annos ampliùs quadraginta eodẽ cubiculo hyeme & æſtate manſit. Si quando quid ſecretò aut ſine interpellatione agere propoſuiſſet, erat illi locus in edito ſingularis, quem Syracuſas & τεχνύφιον vocabat; hûc tranſibat, aut in alicujus Libertinorum ſuburbanum: æger autem in domo Mecænatis cubabat. Ampla & operoſa prætoria gravabatur, & ſua quamvis modica, non tam ſtatuarum tabularumque pictarum ornatu, quàm xyſtis & nemoribus excoluit, rebuſque vetuſtate ac raritate notabilibus, qualia ſunt Capreis immanium belvarũ,

ferarum-

ferarumq; membra prægrandia, quæ dicuntur gigantum oſſa & arma heroum. *Sueton.* M. Curii Dentati famulitium erant duo calones in caſtris, cùm ſummam Imperii gereret, Marco verò Antonio Conſulari octo ſervos, Carboni ſeptem ſolùm miniſtraſſe ferunt, *Alex. lib. 5. cap. 11.* M. Cato, victis in Hiſpania Celtiberis, quingentorum aſſium ſumtu tranſmarinam provinciam petiit, & ſervis quinque comitatus rexit; quæſtor in Sardinia unico accenſo, contentus, in expeditionibus ipſe arma tulit, ſervus unus cibaria, A cujus priſca continentia ſpacio annorum multùm diſceſſiſſe poſterior Cato judicatus eſt, quòd, cùm bellis civilibus intereſſet, filium ſecum trahens duodecim ſervos habuerit, numero quidem plures quàm ſuperior, ſed temporum diverſis moribus pauciores. *Valer. Max. lib. 4. cap. 3. Livius lib. 32.* P. Scipio Junior in legatione Carthaginenſi unum tantùm comitem Panætium, Philoſophum amicum, ſecũ habuit, & famulos

quinque: ad orbis terrarum componenda regna miſſum, poſt duos inclitos conſulatus, totidemque triumphos, ſeptem tantùm ſervi ſecuti ſunt, cùm pro Romana amplitudine & ex Carthaginis atque Numantiæ ſpoliis plures ſibi comparare & aſſumere potuiſſet: ſed cæteris frugalitatis ac temperantiæ exemplum eſſe, factorumque ſuorum fructum ad Patriam redundare maluit. Itaque cùm per ſocios & exteras gentes iter faceret, non mancipia ejus, ſed victoriæ numerabantur: nec quantum auri & argenti, ſed quantum amplitudinis pondus ſecū ferret æſtimabatur. *Valer. Max. d.l. Plin. c. 58. de vir. illuſtr. Athen. lib. 6. c. 8. Alex. lib. 1. c. 18.* Conviviis cæniſque moderatis ſine nimio ſumtu Auguſtus Cæſar uſus eſt, nec ampliùs trinis ferculis, aut, cùm abundantiſſimè, ſenis convivatus eſt, alacri interim comitate aſſidentes omnes provocans. *Cuſpin. ex Sueton.* Domitianus Imperator convivabatur frequenter ac largè, ſed penè raptim, certè non ultra ſolis occaſum, nec ut poſtea commeſſaretur. *Sueton.* Artaxerxes,

Perſarum

Perſarum Rex, rebus regni feliciter ac pacatè conſtitutis, anno imperii ſuſcepti tertio, epulo inaugurali omnium, quibus imperabat, gentium ducibus ſumtuoſiſſimò factò, neminem cogi ad bibendum, ſed arbitratu ſuo quemvis frui appoſitis voluit. *Eſther. 1. Ioſeph. lib. 11. c. 6. antiq.* Inaugurationum regalium ſumtus & pompa apud Iſraelitas ferè conſtitiſſe leguntur unctione, diadematis impoſitione, Deuteronomii traditione, circumductione Regis, & in ſolium Regium locatione, applauſu & acclamatione populi, itemquè convivatione publicâ. *1. Samuel. 10. ver. 1. 2. Samuel. 2. ver. 4. 1. Chron. 12. ver. 3. c. 13. ver. 38. & ſeqq. c. 30. ver. 32. 2 Chron. 23. ver. 11. 13. 1. Reg. 1. ver. 38. & ſeqq. 2. Reg. 9. ver. 13. c. 11. ver. 12. & 14.* Ludorum theatralium apparatum, præter conſuetudinem illorum temporum, M. Cato Minor contraxit, ut oſtenderet, res ludicras per jocum tractandas, magiſque jucunditate ſimplici celebrandas, quam magnos ſumtus atque impenſas, & curam operamque in res nullius momenti conferenda. *Plut. in Caton.* Ab

initio urbis Romæ non curru triumphali nec equo vehi triumphantes, ſed pedibus incedere adſueverant. Poſtea equo vecti, demum curru quadrijugo, quo primus aſſeritur uſus P. Valerius, triumpharunt. *Plut. in publicol. Alex. lib. 1. c. 26.* Furius Camillus quòd quatuor equis albis triumphaſſet ab Apulejo trib. pleb. damnatus eſt, *Plin. de vir. illuſtr. cap. 23. Liv. lib. 5. dec. 1. Plut. in eod.* Plato ordinem pompæ funebris in funere præfectorum civitatis talem ponit. Indumenta omnia alba, luctus ploratuſque nullus: chori duo, alter puellarum numero quindecim, alter verò, totidem puerorum, qui feretrum circumſtaret, dum Sacerdotes viciſſim demortuum laudabant, ejuſque felicitatem totum diem decantabant. At poſtero die benè manè juniores capulum ad ſepulchrum ferebant, eorumque cælibes præcedebant, equites cum equis, & cum armis pedites; deinde pueri patrios hymnos concinentes & hos puellæ ſequebantur cum mulieribus jam effœtis. Sepulchrum verò erat ſub terra, factus eſt lapidibus fornix.

fornix. 12. *de L L.* M. Æmilius Lepidus, qui princeps Senatus ſexies Romæ fuerat, vitâ decedens, præcepit filiis, ut ſine linteis, ſine purpura & tibicine funus ſibi facerent, nec plus denos æris in illud inſumerent, imaginum ſpecie non ſumtibus funera nobilitari ratus. Et Atticus Pomponius, multique clari viri, ſine pompa funeris efferri voluère. *Alex. lib. 3. cap. 7. Sabell. lib. 8. enn. 5.* Nec in omnium Magiſtratuum & Regum Judaicorum funerationibus pompæ alicujus ſingulariter ſumtuoſæ fit mentio, ſed honorificæ ſepulturæ. *2. Chron. 32. verſ. ultim.* unctionis. *Geneſ. ultim. verſ. ultim.* ſuffumigationis. *2. Chron. 16. verſic. ultim.* In exſequiis præſtantiſſimi ducis Abneri populus cilicium induit, Rex David feretrum ſecutus ad ſepulchrum, flevit, epulaſque funebres populo exhibuit. *2. Samuelis 3. verſiculo 31. & ſeqq.* Sumtuoſius ſepulchrum deſcribitur, quod Simeon parentibus, fratribuſque ſuis rerum geſtarum gloriâ nobiliſſimis Modini

ſtatuit,

Digitized by Google

ſtatuit, eſt, ex cæſis lapidibus ſeptemque Pyramidum molibus maximiſque è latere columnis erectum, quibus arma, & his naves ſculptas, etiam navigantibus in mari conſpicuas, impoſuit. *1. Maccab. 13. v. 27. & ſeqq.* Mahumetes, Amuratis filius, Turcarum Imperator, bellum movens, accipitrum & canum curatores regios magno numero iſto ex ordine deturbavit, & milites eſſe juſſit, multo pauciores iſtarum rerum miniſtros ſufficere, inquiens, nec ſe eò ſtultitiæ proceſſurum, ut hominũ tantam alere multitudinem velit, propter rem quandam ludicram. *Chalcondyl. lib. 7.* M. Antoninus Pius Imperator fuit dicere ſolitus, Gravem eſſe provincialibus comitatum Principis etiam valdè parci. Itaque nullas expeditiones obiit, niſi quod ad agros ſuos profectus eſt, ad Campaniam. Et tamen ingenti autoritate apud omnes gentes fuit, cum in Urbe propterea ſederet, ut undique nuntios, medius utpote, citiùs poſſet accipere. *Capitolin.*

Eſt tamen Magiſtratui in his omnibus diſpiciendum, ut ſuæ ſe Reipub. ſemper

accom-

accommodet, pro cujus ſtatu ac regiminis forma, & pro eo, quem ipſe in Rep. gradum dignitatis tenet, expenſarum quoque neceſſitatem atque honeſtatem æſtimabit, ut quid ſe, quid Remp. quid alios deceat, quid locus, quid tempus, quid præſens rerum occaſio poſtulet, prudenter diſcernere nôrit: ut ſit ejus opulentia ſine reprehenſione, parſimonia ſine ſordibus, quam in M. Antonino Pio Imperatore Capitolinus commendat: ut cum Craſſo ſit parciſſimus elegantium, & cum Scævola parcorum elegantiſſimus. *Gell. lib.* 11. *c.* 2. Cleomenis cœna quotidiana in triclinio erat frugalis admodum & Laconica: ſin legatos autem vel hoſpites acciperet, duo alii apponebantur lecti, ac ſplendidiùs aliquantò menſam famuli adornabant, non quidē opiparè conditis cibis aut placentis, ſed ut largiùs apponerentur fercula & vinū eſſet liberalius. Nam & objurgavit quendam ſuorum, cùm audiviſſet, eum in convivio hoſpitibus jus nigrum & mazam, ut in phiditiis, appoſuiſſe: nam in his, dicebat, & apud peregrinos præſertim

tim,non eſſe nimis accuratè Laconicum morem tenendum. *Plut. in eod.* Indorum Reges cùm jura dabant, aut exteros legatos admittebant, tùm capillum pectere, atque ornare eximiè, nec ſe aliâs viſendos præbere publicè citra apparatum & pompam quandam ſolennem erant ſueti. *Cal. lib. 8. A. L. c. 2. Alex. lib. 1. 6. 28.* Caroli magni veſtitus quotidianus etſi à communi & vulgari non valdè abhorreret celebri tamē feſto, aut quando exterarum gentium legati veniſſent, veſte gladio, diademate, aureis, atque gemmatis prodibat. *Aventin. lib. 4. annal.* Alexander magnus ſi inter Macedones aut etiam Græcos judicium exerceret, mediocre vulgareque forum probabat: ſin inter barbaros, ſplendidum & militare; ut etiam fori figura & magnificentia metum barbaris incuteret. *vid. Polyan. lib. 4.* In ſtatu populari Magiſtratui etiam præſtantiſſimo non uſque adeò verti vitio poſſit, ſi ſumtus facere tenuiores, vitam ducere contractiorem minusque ſplendidam deprehendatur; quod in eo Magiſtratuum etiam ampliſſi-

ampliſſimorum conditio ultra ſortem civium aliorum non multum aſſurgat, quibus & ſumtuum ac impenſarum publicarum rationem reddere, certo Imperii tempore exacto, neceſſe habent. At ſi Regum opulentiſſimum, &, quotquot Sol unquam adſpexit, ſapientiſſimum pariter atque nobiliſſimum Salomonē, Iſraëlitarum Regem divitis Arabiæ Regina, cum M. Curio Dentato rapa ſibi parare obſonium, aut cum Ælio Cato prandere in fictilibus, aut cum Epaminonda, quoties reſarcire veſtem velit, domi manere coactum, aut cum Catone quinque tantùm ſervis comitatū, aut cum Ageſilao plebejo tuguriolo tectū videat, nonne, & dignitatis ſuæ, & facultatum, oblitum tantum Monarchā contemtibilem ducat ac ſordidum? *1. Reg. 10. v. 5. & ſeqq. 2. Chron. 9. v. 4. & ſeqq.* Agathocles quidem etiam, Siculus Tyrannus, fictilibus (indignâ Rege ſupellectile) cœnaſſe, ſed & vaſa ſimul adhibuiſſe aurea, nec aliam feciſſe ob cauſam illud, ſcribitur, quàm ut paternæ obſcuritatis, quòd figulo genitus fuerat, memoriam perpetuam recoleret.

Digitized by Google

Alex. lib. 5. c. 21. ex Diodor. Rurſus Alexander ille Magnus totius orientis Dominus minis quotidiè cænavit centũ, id eſt, decem millibus coronatorum. *Plut. in eod.* Quod ſi paribus vivere ſumptibus unius atque alterius provinciæ regulus velit, quis probet? Adeò circumſtantiarum diverſitas Magiſtratum ſumptu vivere eodem haud ſinit: quarum contemplatione licitum huic conceſſumq; ſit ac laudabile, quod alteri minimè permittatur aut conveniat: & contra.

PARSIMONIÆ Magiſtratus fructus proprius eſt Theſaurus publicus, non rapinis & expilationibus ſubditorum, ſed bonorum juſtè adquiſitorum uſu frugali collectus, ad repentinas clades & incidentes neceſſitates Reip. ſublevandas. Theſauros Hæbreorum Reges potiſſimùm in Domini templum aut etiam Domos Regias Hieroſolymis repoſuerunt. 1. *Reg. 7. v. ult.; c.* 14. *ver.* 26. 2. *Reg.* 20. *v.* 13. & 17. 2. *Chron. 5. 1. c.* 12. *v. 9. c. 25. v. 24. c. 28. v. 31. c. 32. v. 27 c. 36. v.* 18. *Eſai. 39. v. 2. & 6.* Romani ſanctius ærarium in æde Saturni habuerunt, in quo aurum

aurum viceſimarium dictum ad ultimos caſus, & in poſtremam populi Romani fortunam adſervabatur. Nemis quoque & Tibure ſacrarum pecuniarũ theſauri ad incertos belli eventus, ſi externa vis ingrueret longo tempore cuſtoditi. *Plut. in quæſt. Rom. Macrob. 1. Saturn. 8. Alex. lib. 2. c. 2.* Et Turcarum Principes præter id quod ex vectigalibus ac tributis ordinariis conflatur, ſanctius quoddam ærarium habere dicuntur, extremis temporibus imperii munimentum. *Bodin. 6. de Rep. 2.* Perſarum Reges aurum argentumque in fictiles fideliàs infudiſſe, fractiſque mox fideliis ex eo auro argentové, quoties pecuniâ indigerent, tantùm concidiſſe, quantùm uſus poſtulaſſet, Herodotus confirmat. *lib. 3.* Et hos forſan imitati Romani theſauros auri & argenti precioſiores conflârunt in lateres, ne facilè paterent furibus, uti Plinius meminit *lib. 33. c. 3.* Mauritaniæ Reges novo ſecuritatis exemplo auri globum ingentem veru transfixum in altiſſimo pinnaculi loco conſtituiſſe, autor eſt Leo Afer. Hoc theſaurorum ſtudi-

ſtudium Alphonſus Eſtenſis comprobavit, qui dicere ſolebat: Principis inane nomen contemtui & injuriæ expoſitum, niſi ejus ærario prægrandem ſignatæ pecuniæ vim ante periculum congeſtam contineri omnis generis homines exiſtiment. Quem namque è pecunia aliiſque rebus benè inſtructum putamus, non facilè laceſſimus. Sanè Rep. Romanâ ab Hannibale ſecundo bello Punico ad extremam inopiam redactâ, quatuor millia pondo auri ex ærario ſanctiori depromta ſalutem imperio reſtituerunt. *Liv. decad. 3. lib. 7.* Frugalis enim redituum diſpenſatio atque parſimonia certiſſimum præbet adverſus omnem inopiam & æs alienum, aſylum: quòd nunquam deeſſe neceſſaria Magiſtratui poſſint, qui res rationeſque ſuas ita inſtituit, ut ultra peculii publici vires nihil immodicè, nihil fruſtrà prodigatur, ſed non modò expenſi acceptique rationes ſibi exactè conſtent, ſed ad futuros etiam caſus ſubſidia reponantur: quemadmodum œconomia illa benè conſtituta cenſetur, quæ ſuis unicè proventi-

bus

Digitized by Google

bus ſubnixa, ſemper in ſe ipſa invenit, unde neceſſitates ſuſtinere domeſticas, ſuæ conſulere rei familiari univerſæ, & honeſtè ſimul & neceſſariò poſſit.

Vitæ ac valetudinis medicina, virtutum pulcherrimarum prudentiæ, vigilantiæ, fidei & aliarum in Magiſtratu effectrix eſt Sobrietas. Beatam terram prædicat Salomon, cujus Rex nobilis eſt, & cujus principes veſcuntur juſto tempore, ad refectionem, & non ad luxuriam. *Eccleſ. 10. v. 17.* Sobrietate, tùm aſſiduis equitationum ac venationum exercitationibus, Carolus Magnus proſperam valetudinem obtinuit uſque ad annum ætatis ſeptuageſimum. *Crantz. lib. 2. Saxon. c. 8.* Maximilianus I. Imperator, inter prandia rarò bibebat, in menſa ut plurimùm ter: atque ideò valetudo illi uſque ad periodum vitæ bona ſemper fuit. *Cuſpin.* Comitiali morbo Julius Cæſar ſobrietatis remedium adhibuiſſe putatur, ut victus parcitate & duriſſimis laboribus vigiliiſque id mali evaſerit. Ad valetudinem conſervandam Veſpaſianus Cæſar inediam unius

diei

diei ſingulis quibuſque menſibus interponere ſolebat. Maſiniſſa Numidiæ Rex ſtans ſemper ante tabernaculum cibum ſine pulpamento ſumebat, cibario pane & bellariis militaribus contentus. Proinde in ſenecta adeò viguit, ut poſt ſextum & octogeſimum ætatis ſuæ annum filium genuerit, & poſt nonageſimum ſecundum, Carthaginenſes, qui contra fœdus ei bellum intulerant, ſuperaverit. Quo in bello non modò optimi Imperatoris, ſed gregarii etiam militis functus eſt munere. Hujus virtutis beneficio M. Valerius Corvinus centeſimum complevit annum, firmo animi judicio & integris corporis viribus, *Fr. Patrit. 6. de Reg. inſtit. 26.* M. Cato vinum in prætura & conſulatu idem quod & operæ bibit, epulas ad cœnam ex foro triginta cõparavit aſſibus: idque Reip. causâ facere ſe dixit: quò corpus ſuum eſſet ad perferendam militiam robuſtius. *Plut. in eod.* Nam ſi, qui canes ad venationes alunt, eam in curam incumbunt, ne nimiùm impleantur, veloces ut ſint: Ipſi canes cùm feram ceperunt etiam urgente

fame

Digitized by Google

fame ab eſca abſtinent præſente, dominumque ſuum exſpectant: multò princeps ac Magiſtratus bonus, temperans eſſe magis debet, ut graviſſima negotia expediat. *Chryſoſt. Homil. 42.* Itaque Ageſilao Regi cum Thaſii accedenti cũ exercitu oves multiplices boveſque benè nutritos mitterent, atque cum his bellaria multiformesque cupedias: ille boves quidem ac pecudes accepit, bellaria verò & cupedias prius non agnovit, quia fuerant obtecta: aſt vbi vidit, eos auferre juſſit, cùm dapibus hujuſmodi veſci minimè legitimum eſſe diceret apud Lacedæmonios. Cùm obſecrarent Thaſii, ut acciperet, Date, inquit, iſtis (Ilotas oſtendens) hoſce enim ſervos corrumpi præſtat, quàm Lacedæmonios liberos. *Plut. in Lacon. Athen. lib. 14. cap. 29.* Alphonſus Aragonum & Siciliæ Rex cùm interrogaretur, Cur vini expers viveretur, aut vino dilutiſſimo contentus ſitim expleret, contra omnium Regum & aulicorum morem? reſpondit, Vino ſapientiam obſcurari: ideoque non decere Regem, vt hanc immodicâ cõpotatione

Digitized by Google

in animo extinguat, ſive qua Imperatoris ac Regis nomen ritè tueri non poſſet. Interrogatus, quid ſibi vellet, quòd vinum aquâ dilueret? Ne ebrius fiam, reſpondit: non enim ignoro, quantum vini intemperantia Alexandri Macedonum Regis gloriæ obfuerit. Amico percontante, cur adeò ebrietatis vitium damnaret? Ideo, inquit, quia furorem & libidinem ebrietatis filios eſſe haud ignoro. *Panormitan. libr. 2. de geſt. Alphon.* Fertur Epaminondas de prandio parco tenuique dixiſſe, *Τὸ τοιοῦτον ἄριστον οὐ χωρεῖ προδοσίαν*, tale prandium non recipit proditionem. Senſus geminus eſt: vel quia nemo molitur inſidias rebus modicis, vel quia, modicis contenti qui ſunt non facilè corrumpuntur, ut prodant Remp. *Eraſm. in adag.* quam poſteriorem ſententiam M. Curius Dentatus ſuo exemplo demonſtravit. Cùm enim Samnites Conſul viciſſet, eorumq; Legati pacem petituri ad eum venirent, auroque corrumpendum putarent, ut æquas pacis conditionis admitteret: Ipſe agreſti ſe in ſcamno aſſidentem foco atque ligneo catillo cænantem (quales

epulas, apparatus indicio eſt) ſpectandum præbuit, munera oblata contemſit & ſubridens, Ite, inquit, & renunciate civibus, Malle me habentibus aurum imperare, quàm aurum habere, & aliorum imperio ſubditus eſſe *Valer. Max. lib. 4. c. 3. Athen. lib. 10.*

Mundities cultuſque veſtium elegans plurimum ornamenti adfert viro, ad formam dignitatemq́ue conciliandam, quod Homerus Odyſſ. z. innuit, cùm Nauſicaam puellam de Ulyſſe, depoſito mendici habitu, veſtes nitidas induto loquentem facit:

Antè videbatur ſpecie fœdiſſimus eſſe:
Nunc Divis ſimilis, magnus quos paſcit Olympus.

DE HILARITATE, CURA Valetudinis, Caſtitate, Conſtantiâ, itemq́ue de ſtudio bonæ Famæ, Magiſtratus.

Cap. XXII.

In ordine virtutum Magiſtratus ad ſe ipſum ſecundas tenent Hilaritas, Cura

valetudinis, Caſtitas, Conſtantia: quibus vltimò accedit Studium bonæ famæ. Nam & hæ virtutes in ipſam Magiſtratus perſonam immediatè agunt, inq; eâ occupantur. Verùm, hominis vita, quam à Deo & parentibus accepit, vt naturâ prior eſt, priuſquam ad certam revocari normam poſſit: ita virtutibus, quæ ipſam hominis vitam naturalem concernunt, præmiſſis: jure ſequuntur nunc proximè illæ, quæ vitam docent ad jucunditatem, longævitatem, honeſtatem traducere.

HILARITAS enim Magiſtratui adjungitur, tanquam jucundiſſimum diverticulum, ad quod difficillimis imperandi laboribus atque curis exhauſtus ſubindè refugiat: eo ipſo, dum corde dilato in bono cognito ſuaviter adquieſcit ac opibus ſuis non modò ad neceſſitatem, verùm etiam ad jucunditatem fruitur. Qui virtutis ſurculus proximè ex Sufficientia & Frugalitate ſuppullulat, communemque utriuſque naturam ſpirat. In quibus enim Sufficientia cupiditatis ſuæ ac deſiderii, Frugalitas verò facultatum

cultatum utendarum, modum ſtatuit: ea omnia Hilaritas etiam ad jucunditatẽ refert, honeſtamque in his ac licitam delectationem quærit. Ita ergo ſuis contentus donis ac bonis vivat Magiſtratus per Sufficientiam, ut iiſdem nihil ducat ſuavius per Hilaritatem: Ita uſum facultatum inſtituat frugaliter, ut iiſdem etiam fruatur hilariter. Hoc labores Magiſtratus graviſſimi, cogitationes profundiſſimæ, ſolicitudines infinitæ flagitant & merentur, qui totius Reip. onus ſuis humeris ſuſtinet.

Non igitur oculis invidiâ plenis Magnatum in Rep. inſpiciendæ menſæ ſunt & convivia: non ciborum opiparorum lautitiæ, vinorum ac miſſorum copia, odioſius exagitanda, illis derogandæ muſicorum modulationes, hortorum amœnitates, damnandæ venationes, piſcationes & deambulatiunculæ, haſtiludia, choreæ & tripudia, ſpectacula, hilaritatis causâ inſtituta, improbanda id genus alia ſunt, in quibus negotiis publicis occupati animi remiſſionem ac recreationem honeſtam ſibi dari poſtulant. A-

lexander Macedo Orbis ille terror, cùm cætera remiſſionis animorum ſtudioſus fuit, tùm inprimis inter convivia ſolebat poculo in manus ſumpto ſermonem producere. *Plutar. in eod.* Amaſis Ægyptiorũ Rex ob largiores cum amicis convivationes reprehenſus, Arcus, inquit, ab his, quorũ ſunt, cùm eſt opus, intendi: eoſdem, ſi ſemper intenſi ſunt, rumpi & inutiles reddi: ita etiam homo, ſi aſſiduo laborare ſtudio nec ullam partẽ ad luſum ſibi indulgere velit, fore, ut pedetentim, aut mente capiatur, aut membris corrumpatur: Ea propter utriq; rei tempus impertiendum. *Herodot. lib. 2.* In Regũ Perſarum menſa jucundis invicẽ interrogationibus & jocis, ſeſe exercere receptum fuit. *Cal. lib. 26. A. L. c. 25.* Hinc Xenophon Cyrum Regẽ in contubernio militari operã ſemper dediſſe memorat, ut inter veſcendũ ſermones quidã feſtivi admodum introducerentur. *lib. 2. pæd.* Adrianus Imperator inter epulas comœdias, lectores & Poëtas admittebat. Alphonſus, Rex Aragonũ & Siciliæ, ſtatim poſt prandium doctũ aliquem virũ ad ſe vocare ſolitus erat, qui aliquid cedro di-

gnum diceret: ut ita quoq; poſt corporis paſtū, animus aliquo pacto jucundioribus & lepidis ſermonibus reficeretur. Alexander Severus, Imperator ſuper cœna capiebatur coturnicū certaminibus & gallinaceorū, aut catuli & porcelli, *Sabel. lib. 6. ennead. 7.* Auguſtus Imperator ludēdi cauſa ſæpè pecuniā cōvivis dedit, *Sueton.* Tiberius Conſtantinus Cæſar, ſcribitur, ritu Imperatorio rus petiiſſe, ut vindemiali lætitię operam impertiretur diebus triginta, *Cel. lib.* 28. *c.* 30. De Regis & Prophetæ Davidis aula Barſilai Galaadites octogēarius ſenex ita fatur: Nunquid vigent ſenſus mei, ut poſſim diſcernere ciborum ac poculentorum guſtum, audire cantorum & cantatricum vocem? 2. *Sam.* 19. *v.* 35. Theodoſius Imperator ad menſas habuit pueros muſicos. *Niceph. lib.* 12. *c.* 43. M. Antonius Imper. mole imperii, & Philoſophiæ ſtudiorū aſſiduitate defatigatus, laſſum jam animum aut pilà, aut picturà recreabat; alterà enim corpus exercebat, alterà immutato cogitandi genere unà cum corpore ſpiritū renovabat. Piſcando quoq; & venando

itemque luctu & curſu multùm ſe oblectavit, & de ambulatione cum amicis atque ſermone. Vindemias privati modo cum amicis agebat. *Fulgoſ. lib. 8. Capitol. Cuſpin.* Auguſtus Cæſar poſt bella civilia ad pilam primò folliculumque tranſit, mox nihil aliud, quàm vectabatur & deambulabat, ita ut in extremis ſpaciis ſubſultim decurreret xyſto, vel lodicula involutus. Animi laxandi causâ modò piſcabatur hamo, modò talis aut oſcillatis nucibuſque ludebat cum pueris minutis, quos facie & garrulitate amabiles undique conquirebat, præcipuè Mauros & Syros. Nam pumilios atque diſtortos & omnes generis ejuſdem, ut ludibria naturæ, maliqque ominis abhorrebat. *Sueton.* Alphonſus Rex Neapolitanus, cùm aliquando relaxare animum à negotiis vellet, venatione uſus eſt. *Panormit. lib. 4. de reb. ejuſd. geſt.* Scipio & Lælius par veræ amicitiæ clariſſimum, ut actuoſæ vitæ iter æquali gradu exſequebantur, ita animi quoque remiſſioni cõmuniter adquieſcebant. Conſtat namque eos Cajetæ & Lucrini vagas litoribus

bus conchulas & umbilicos lectitaſſe. *Cicer.2. de orat. Valer. Max. lib.8.c.8.* Robertus, Hieroſolymorum & Siciliæ Rex baliſtæ ludo jucundiſſimam recreationem animo à gravioribus negotiis præſtabat. *Petrarc. de otio.* Alphonſus ſenior, dux Calabriæ, vir Reip. adminiſtrationis ſtudioſiſſimus & inprimis bellicis rebus clarus, poſt graviſſimarum rerum curas meridianis horis, arcu ſe cum junioribus relaxandi & refocillandi animi gratiâ exercebat. *Pontan: de Princip.* Cyrum minorem, Perſiæ Regem, Cicero ex Xenophonte refert, ſuis ipſum manibus hortum, arborum proceritate, directiſque in quincuncem ordinibus, tum humo ſubactâ atque purâ, & odorum è floribus efflantium ſuavitate amœniſſimum excoluiſſe, ſingulaque pro honeſto animi relaxamento deſcripſiſſe. *de ſenectut.* Ecbatana Mediæ veniens ex India Alexander Magnus rebus compoſitis neceſſariis, retulit ſe ad ſpectacula & tempeſtiva convivia. *Plutar. in eod.* Auguſtus Cæſar ſtudio ſpectandi ac voluptatis teneri, neque diſſimula [illegible]

ſæpè ingenuè profeſſus eſt *Sueton.*

Sed metam Hilaritatis Magiſtratus labor ejuſdem & officium, virtutumq; reliquarum nunquā turbanda ſeries, hanc præfigit: ut ſe ita det jucunditati, ne intermiſſi officii proprii partes deſerat: ita curarum publicarum habenas relaxet, ne unquam è manibus eas dimittat longius: ſic cuticulam curet, ne effrenis luxu efferetur: ſalibus & jocis utatur, ne modeſtiæ fines excedat: frontem exporrigat dum ne eam perfricet: delectamenta adhibeat cætera, ut omnis vitetur ἀταξία. Ad convivia & jocos Rex Ægyptiorum Amaſis, non niſi negotiis ab aurora uſq; dum refertum eſſet forum accuratè expeditis, acceſſit. *Herodot. lib.* 2. Nocturnas Catonis Uticenſis compotatiunculas Cicero diurnis ejuſdem pro Rep. exantlatis laboribus excuſavit. *Eraſ.* 4. *Apo.* Regum Perſiæ in menſa jocationes non erant obſcœnæ, libidinū incentrices, ſed quæ voluptatem gratiamq; vel iis compararent, in quos ſtringi morſus videbatur, & quæ ad optima quæque incitarent *Xenophon lib.* 2. *pæd. Cœl lib.* 26. *A.L. c.* 25. Iſaacius Angelus, Imperator, Caliburē.

hominem aliàs feſtiviſſimum, in præſentia gynæcei licentiùs quædam locutum non tulit, ſed colore mutato & vix repreſsâ iracundiâ minis caſtigavit. *Nicet. lib.* 3. Fridericus III. Imperator. Num moriones in convivium intromittendi eſſent? rogatus: Neque ſtultis, inquit, delectari poſsũ, neq; Amicus eſſe ſuperbis, *Æn. Sylv. lib.* 2. *Cõment. de Alphonſ.* Magno Sforciæ ad collem Senenſis agri opidum inſanus quidam Morio joco militari intemperantiùs laceſſitus, & ob id ſaxo petiturus irritantem, tegumentum capitis, ſummo cum vitæ diſcrimine decuſſit. Quo ſuo periculo is admonitus, deinceps plurimũ ab inſanis & morionibus, qui atrâbile laborarent, abhorruit, quòd tales ancipiti joco riſum pariter & luctũ movere poſſint. *Jovius in ejus vit.* Admittantur igitur ad Magiſtratum feſtivi iſti ac faceti, integrâ ratione nati homines, qui peculiarem quandam dexteritatẽ in jocando, vel naturâ, vel uſu ſunt conſecuti, dummodo malitioſis blandimentis jociſque illiberalibus animorum corruptores non ſint. Sed tales qui

Aragonum Rex Alphonſus non admiſit, aut certè per quàm raro, ideò quòd eos Ciſternæ rimoſæ perſimiles eſſe diceret, quas & nullus impleret imber, ſic nulli, quamvis magni, proventus, rerumque compendia, illorum explere avaritiam valeret. *Pontan. de liberal.* Philippus Macedo ſat Regi eſſe judicabat, ſi vel audire vacet ei canentes, magnumque muſis honorem habere, ſi certantes in hujuſmodi artibus ſpectet alios. Qui verò viles per ſe artes obit, multumque in iis operæ inſumit, hunc ſentiebat, talem in rebus futilibus induſtriam proferre ſuæ ad honeſta ſtudia ſocordiæ contra ſemetipſum teſtem. *Plutar. in Pericl.* Domitianus Imperator, ſaltationem honeſtis hominibus indecoram atque chorearũ ſtudium optimo viro planè indignum cenſuit: Cæcilium Ruffum, quòd ſaltaſſe diceretur, Senatu movit. *Xiphilin. in Domit. Alex. lib. 2. c. 25.* Saltationem muliebrem exercitationem, venationẽ virilem, Albertus Imperator appellare ſolitus fuit. *Æn. Sylv. lib. 4. comment. in Panormit.* eam tanquam inſigne pro-

brum à Rege Dejotaro Cicero omnibus modis amoliri conatur in ea quam ad Cæſarem habuit oratione. Fridericus III. Imperator febricitare ſe malle dixit, quàm ſaltare. *Idem lib. 1. comment. in Panormit.* Denique is, quem paulò antè adduxi, Sforcia aleæ luſum in caſtris, uti Duci pariter ac militi maximè peſtilentem, oderat. *Jovius in eod.* Ludum Schachicum ſeu latrunculorum, ut nimis operoſum nec remiſſioni animorum inſervientem, Jacobus I. Angliæ & Scotiæ Rex in Dono ſuo Regio improbat. Neq; ſanè plus nimio illis inhærere exercitationibus prudentis eſt, ſuavem mentis ac cogitationum relaxationem quærentis, unde moleſtiæ plurimùm, delectationis parùm redire ad autorem poſſit: nec ſanè quorumvis ingenia illam, quæ in Latrunculis requiritur, mentis intenſionē, ac continuam agitationem diutiùs ſine fatigatione ac tædio perferant: multiſque adeò hoc ludi genus potius remedium otii quàm negocii fuerit.

Neceſſitatem vitæ Hilaritas primùm ad jucunditatem retulit: protinus Cura

VALETUDINIS utrumq; complectitur: quippe quæ non ipſam modò Magiſtratus vitam naturalem, bonorum adquiſitionem & uſu hactenus productã, ſed etiam ſanitatem, præclarum vitæ jucundæ inſtrumentum, ſartam tectam cuſtodire docet. Et vita igitur, & ſanitas Magiſtratus hic porrò diligenter curanda veniunt. Idque non tantùm proprio vitæ amore atque ſtudio, ſed rei etiam publicæ causâ, cujus ſalus à Magiſtratus, præſertim ſũmi, incolumitate ducitur: quo ſpirante & valente, illa quoq; membris ſuis omnibus colorẽ vitalem ſervat & vigorẽ: ut, quo fine Magiſtratus primùm inſtitutus fuit, propter eundem nunc ejus maximoperè exoptanda longævitas, ac valetudo ſit: ut imperandi labor ac officium, ſine frequentis rupturæ periculoſo ſarcimine, perpetuo filo, quàm longiſſimè in Republica proferatur.

Tuetur Magiſtratus vitam ſuam ac ſanitatem, vel ipſemet immediatè vel ipſius inſtituto etiam alii.

ipſe

Ipſe hoc facit, omnium actionum ſuarum, omniumq; rerum aliarum, quibus vita ac valetudo juvari aut lædi poſſit, gubernatione, quantũ in ſe eſt, providâ & cautâ. David Iſai filius Rex unctus Sauli adverſarii ſui inſidias, quantâ potuit maximâ, declinavit curâ. ab uxore per feneſtrã demiſſus primùm Ramotham ad Samuelẽ prophetam, inde Nobã ad Abimelechum pontificem, mox ad Achim Gethæ Regem profugit, apud quem cũ ſe minus tutũ eſſe animadverteret, inſaniã ſimulans, tandẽ in ſpeluncã Odollam & Maſphã Moabitarum ſe recepit. Hinc, monẽte Gado vate, ad Judeæ fines in ſylvam Harethã cõceſſit, & Philiſtæos Ceilam oppugnantes cæcidit: quã & ipſam poſtea, cùm Saulũ adventare cum exercitu audiviſſet, reliquit, ſaltusque Ziphi munita loca tenuit: ſed in Maone undiq; circũſeſſus vix evaſit: ex quo occupavit Engadinorum arces: mortuoq; Samuele in ſaltum Pharanem ſe contulit, & inde rurſus ad Achim Gethæ Regem, à quo opidũ Sicleg cum ſuis obtinuit, 1. *Sam.* 19 *& ſeqq.*

& ſeqq. Filium Abſolonem Hebrone contra ſe Regem creatum, Hieroſolymis relictis, fugit ultra Jordanem, in loca tuta ſe recipiens. *2. Samuel. 15. v. 14. c. 17. v. 24.* Sed in aciem ſecum exire non permittunt Iſraëlitæ, ejus vitam & incolumitatem decem millium virorum, & luminis inſtar æſtimantes, quod bellorum tempeſtatibus exponi, temereque extingui nequaquam debeat. *2. Samuel. 18. v. 3. c. 21. v. 17.* Plutarchus reprehendit Callicratidæ reſponsũ, Spartæ res in ſe uno homine minimè ſitas eſſe, dicentis: quòd pugnans aut navigans Callicratides, aut militans, unus quidem ſit: ſed quòd dux eſſet, omnes in ſe complecti: neque pro uno jam cenſendum, qui tot hominum ſecum traheret interitũ. Antigonum verò ſeniorem, & Timotheum ducem, laudat: quorum ille apud Andrum navali pugnâ decertaturus, cuidam dicenti, Multò plures eſſe hoſtium naves, reſpondit, Me verò quot navibus oppones? hic, Charete Athenienſibus cicatrices quaſdam clypeumque lanceâ perfoſſum oſtentante, At ego, ait, ſummo pudore

mo pudore affectus ſum, cùm in oppugnatione Sami telum propè me decidiſſet, quod temeritate ulterius elatus eſſem, quàm tanti exercitus ducem deceret. Nempè majeſtas meritò extollitur imperantis peritiâ & virtute ſuccincta, cujus prima cura eſſe debet, ut eum conſervet, à quo ſalus reliquorum omnium pendet. Unde Homerus fortiſſimos quoſque & bellicoſiſſimos viros ad certamen educit benè ubique ac ſplendidè armatos: & conditores legũ apud Græcos, non eum qui gladium aut lanceam, ſed qui clypeum amiſiſſet, puniverunt: innuentes, priorem ſui tegendi, quàm hoſtis lædendi, curã habendam, præſertim civitatis aut exercitus principi. Si enim, ut Iphicrates diſtinxit, manibus levis armatura, pedibus equites, ipſa autem phalanx pectori, & thoraci, capiti Dux reſpondet: ſanè hic ſi temerè pericula adeat, non ſui ipſius, ſed omnium eorum, quorum ſalus in ipſo conſiſtit, abjeciſſe curã videbitur. Nec fuga mortis in vitio eſt, ſi quis vitam non turpiter expetat: neque laudi datur, mortem præſto-

Digitized by Google

præſtolari, quando id vitæ contemtu fit. Quando igitur pugna ducis magnum ad ſummam rei momentum adfert, manibus ei eſt, totoque corpore utendum, neque parcendum vitæ: juſſis valere iis, qui Imperatorem bonum, aut ſenem, aut ſenectuti certè vicinum, mori debebere aſſerunt. Ubi verò parùm proſici poteſt, ſi Ducis audaciam fortuna adjuvet, contra verò ejus caſum pernicies rerum comitatur, nemo jam cum periculo Ducis rem geri à milite velit. *Plutar. in Pelopid.* Simili ratione provocationes ad monomachiam à prudentibus & ſalutis ſuæ amantibus belli ducibus declinatæ. Sic Antigonus Pyrrho ad ſingulare certamen provocanti, C. Marius Teutoni cuidam, & Byorigi Cimbrorum Regi, itemque Siloni Popedio bello ſociali, Octavius Cæſar M. Antonio, Spendoſthlabus Roſſorum princeps Johanni Zimiſcæ Conſtantinopol. Imp. non paruere, militiam ſuam, magis temporum, quàm armorum, nec hoſtium committendam arbitrio eſſe reſpondentes: provocatoribus ſi vitæ pœniteat, mille

mille patere mortis& interitus vias. *Plutar. in Pyrrh. Mario. Anton. Frontin. lib. 4. cap. 7. Sabell. l. 2. & 9. Enn. 6. Cedren.* Sic omnis alia honeſta ratio expediendæ ſalutis. Hannibal in Hetruriam iter dirigens, ubi capitales Gallorum inſidias agnovit, ſæpius veſtem mutando, caputque variè tegendo, inſidiantium eſt conſilia fruſtratus. *Sabell. 1. Enn. 5.* Achabus Iſraëlitarum Rex ad pugnam exiturus veſtitum Regium depoſuit, ne ab hoſtibus agnitus periclitaretur. *2. Chron. 18. v. 28.* Ita Fridericus Barbaroſſa Imperator ex Italia fugit in Burgundiam equiſonis habitu, ignotus ut eſſet hoſtibus. *Hedio in Chron. German.* Pariſades Rex Ponti aliam veſtem habere ſolebat, cùm militum inſpectionem faceret, aliam, cùm periculum adverſus hoſtes ſubiret, in alia, ſi quando fugā tempus poſtularet, fugiebat. Nā ordines inſtruens ab omnibus cognoſci, periclitans, nemini hoſtiū notus eſſe, fugiens autem, neq; ſuos, neque hoſtes, ſcire quis eſſet, voluit. *Polyæn. libro 7.* Hujus ſplendorem virtutis

Cleome-

Digitized by Google

Cleomenes Rex Spartanorum reſpexit, cùm Antigonum fugiens & ab amico admonitus, ut morte ſervitutem anteverteret, Non ſibi, ſed Patriæ ſe ſupereſſe, dixit, adeoque nihil in ſemetipſum crudelius commiſit, inſani hominis eſſe ducens, mortis metu ſibi ultrò mortem conſciſcere. *Plutar. in eod.* Rudolphus Habſpurgenſis, Imperator, Italorum inſidias declinans, Romam inaugurationis à Pontifice ſuſcipiendæ causâ proficiſci renuit, illud Horatianum uſurpans: Quia me veſtigia terrent. *Cuſpin.* Tiberius Imperator lactucas plurimùm eſitabat, harum uſu, ſe mercari ſomnum prædicans. *Sabell. lib. 7. Enn. 7.* C. Sentius Prætor Chium vinum in domum ſuam illatum dicebat, tunc primum, cùm ſibi cardiaco Medicus dediſſet. *Plin. lib. 14. c. 14.* Eſt enim vinum bibendum ita, ne (quod Calliſthenes Philoſophus in aula Magni Alexandri dicere ſolebat) Æſculapio, Bacchi comite, opus habeat. *Plutar. 1. conviv. quæſt. 6. Athen. lib. 10. c. 11.* Veſpaſianus Imperator ad valetudinem roborandam fauces cæteraque membra

membra ſibimet ad numerum in ſphæriſterio defricare ſolitus fuit. *Sveton.* Carolus Magnus verò ſæpiùs lavacris, iiſq; calidis, ad ſanitatem utebatur, & ideò ad aquas graneas, quas Aquisgranum vocant, Regiam extruxit, ibique extremam ætatem egit: venationum etiam exercitia jam ſenex eandem propter cauſam non intermiſit. *Aventin.* 4. *Annal. Bojor. Cuſpin.*

Cauſis verò etiam à ſe aliis ſuam conſervare vitam ac valetudinem ſatagit Magiſtratus, cùm Medicos peritos, corporis Cuſtodes fideles, Prægustatores, & ſimiles adhibet.

Medicinæ enim & Medicorum miniſterio læſa Magiſtratus valetudo & collapſa reſtauratur. Hinc Syracides honorari, magnumque fieri, ac præmiis donari, à Regibus & Principibus Medicũ, ait. *c.* 38. *v.* 2. 3. morbi ſui Melancholici medicamentum Saul uſurpavit, Davidis muſicam, 1. *Samuel.* 16. *v. ult.* Naëman, Dux exercitus Regis Syriæ, lepræ remedium in Paleſtina quærere non gravatus, 2. *Reg.* 5. Hiskia, Rex Judæ, morbo correptus

reptus lethali, vitæ prorogationem ubi precibus apud DEUM obtinuit, poſtea emplaſtrum quoque adhibuit. *2. Reg. 20. in prin. & ſeqq. 2. Chron. 32. v. 28. Eſai. 38.* Nec malè quidem Aſſa Judæorum itidem Rex, in eo, quòd in pedum doloribus Medicorum operâ uſus eſt: niſi quòd, Divino ſpreto, hominum ſolo innixus auxilio. *2. Chron. 16. v. 12.* Nec verò Magiſtratus corpus, iiſdem morbis atque infirmitatibus cum cæteris hominibus in hac mortalitate ſubjectum, hoc carere medicinæ invento ullo modo poteſt. Cineſias videns Alexandrum Magnum à pharmaco, quod ſumſerat, vehementer turbatum, quid, inquit, nobis fiet, cùm vos Dii talia patiamini? Alexander autem ægrè attollens oculos, quales, inquit, Dii ſumus? Metuo, ne Diis inviſi. *Eraſm. lib. 6. Apoph.* Idem Alexander jaculo crus ictus, multis concurrentibus eorum, qui ipſum ſæpenumerò ſolebant Deum ſalutare, renidente vultu, An etiã Dii, inquit, ſanguinem habent? Antigonũ quoque I. cùm Hermodotus in Poëmate ſolis filiũ appellaſſet, Diverſum, inquit,

novit,

novit qui matulā militi fert. Levi morbo correptus receptaq; ſanitate, Hunc ſibi morbum nequaque accidiſſe incommodè, dixit: eo enim ſuæ ſe mortalitatis admonitum, *Plutar. in apoph.* Adeò Medicorum ſuperbis faſcibus omne hominum genus, Deo peccatum puniente, ſe ſubmittere cogitur.

Similis eſt Satellitii ac cuſtodum corporis Magiſtratus ſcopus, qui ſomnum Magiſtratus nocturnis excubiis muniāt, latera objecti circumfuſique defendant, incurrentibus periculis ſe opponant. *Senec. 1. de clement.* Qui Magiſtratum in forum, qui in curiam comitentur, ut de ſuo principe Tacitus ſcribit, *1. Annal.* Davidis Regis σωματοφύλακες erant Cerethæi, & Phelethæi, quorum præfectus fuit Banajas: at ſeniores filii Regis intimi cuſtodes erant. 2. *Samuel.* 8. *v ult. c.* 15. *v.* 18. *c.* 20. *v.* 23. 1. *Reg.* 1. *v.* 38. 1. *Chron.* 19. *v. ult. Ioſeph.* 7. *Antiq. c.* 5. Rehabeam, Salomonis filius, Janitores regiæ domus cōſtituit, qui in templum Domini tranſeuntem Regem clypeos ferentes comitarentur, 1. *Reg.* 14. *v.* 27. & 28. 2. *Chr.* 12. *v.* 11. 12. Perſarum Reges trecentos ſexaginta

quinque Juvenes, pro numero dierum totius anni, qui lateri adſtarent, promtos expeditosque habuere, *Alex. lib. 1. c. 14.* Romulus trecentos ſatellites ex omni juventute legit, quorum denos ſingulæ centuriæ dederunt. Hi circa Regem armis excubabant & Celeres ab exequendi miniſterii celeritate, vel à Celere, qui illis præfectus fuit, dicti. *Sabell. lib. 2. Enn. 2* Julius Cæſar cùm totum terrarum orbem ſubegiſſet Romam reverſus, quàm diu Hiſpanorum ſe cuſtodiâ ſepſit, incolumis ſuperfuit. Galba Imperator delegit equeſtris juvenes ordinis, qui Evocati appellarentur, excubiaſque circa cubiculum ſuum agerent. *Sveton.* Antonius Caracalla Imperator ex Germanis lectiſſimum quemque ad ſui corporis cuſtodiam adſcivit. *Sabell. lib. 5. Enn. 7.* Turcicum Imp. egredientem ab uno latere circiter mille & ſexcenti, ab altero circiter quingenti ſtipant, & hi omnes nobilium filii. Ad hæc ex numero Janizarum (qui à Regis janua ſive porta ſic vocantur) optimi quique ſagittarii circiter ſeptingenti ſeliguntur, qui ſunt cuſtodes

cuſtodes præcipui. *Cuſpinian.* Quin etiam cùm ad ipſum Legati intromittuntur, ſingulos bini Purpurati in medio arreptis brachiis quadam honoris ſpecie ſuſtentantes ad dextræ oſculum perducunt: neq; externos homines ad Regem aliter admittunt, niſi prius ſinu excuſſo, ne quod ferrum veſtibus lateat, implicatisque eo modo brachiis commovendæ manus poteſtatem facinus auſuris diſſimulanter eripiunt: quanquam & aſſidenti in thoro circumpoſita parataq; ad manum clypeus, cum acinace, clavâque ferreâ, ac item arcus & ſagittæ conſpiciantur. *Sabell. ſuplem. lib. 24. Jovius lib. 28.* Saul Rex adverſus Davidem militum manu egreſſus, noctu dormiens intra vallum, quod ex quadrigis conſtabat, ſe continuit, haſtâ ad caput poſitâ, præfectoque militum cum excercitu circa Regem fuſo, *1. Samuel. 26. v. 7. & v. 15. 16. L.* certè Lucullum cuſtodum vigilantia adverſus inſidias & interitum protexit. Olthacus enim à Mithridate Rege fugam ad Lucullum ſimulans benigneq; ab eodem exceptus & familiariter habi

tus oblatâ occaſione Lucullum in prætorio dormientem opprimere cõſtituit: ſed aditu à cubiculario prætorianisque militibus prohibitus & excluſus, re infectâ rurſus elapſus eſt. *Plutar. in vit. Lucull.* De hac re conſilium Lælii Zechii *2. Polit. c. 1. n. 7.* prudens eſt: ut Magiſtratus, tum inprimis ubi dominium noviter eſt obtentum, vel populi turbulenti ſint, nec juxta leges & juſtitiam vivere velint, armatorum cuſtodiam aſſiduò circum ſe adhibeat, qui præcipuè fideles exſtent, nec exteri ſint, à patriis ſuis ob delicta proſcripti, vel aliàs homines turpium morum, ſed ſubditos ſeligat, ſi ex veteribus ſint, & iis deficientibus exteros fortes veteranos & fideles, & quos beneficiis & liberalitate ſibi devinciat: ſicut hodiè omnes ferè Principes, ait, cuſtodiâ Germanorum, uti, ut qui aliis nationibus ſint ſimpliciores, ac magis laborioſi: additq; olî Auguſtũ duas turmas militũ ſibi invicẽ contrarias, pro cuſtodia ſui corporis, ſibi adſciviſſe, ut ſi una quid novi attentare vellet, alia illi ſe opponeret: ſed qui nec tanti nu-

ti numeri exſtarēt, ut juſtum exercitum formare poſſint: quin & principem nunquam, etiam in thalamis, arma à ſe diſcingere vult, ne inermis inventus à pravis tutò opprimatur. Longeq́; plura alia circumſtantiæ ſuggerent prudenti.

His adjungo habitationē Magiſtratus, quam tutam atq; munitam hæc virtus expetit, non ſolùm adverſus exterorum, ſed improborum etiam civiũ, molitiones & incurſus. Hujuſmodi in Monarchiis propriæ ſunt arces: in plurium dominatu, præſertim populari, Metropoles. Dejoces à Medis ob juſtitiæ famam Rex electus, munimentis ſe ſuamq́; cinxerat regiã: mœnia conſtruxit ampla ſimul & valida, ea quæ Ecbatana appellantur, ita, ut murus unus alteri veluti contiguus eorumq; ambitus ſeptem numero & ſinguli alteris gradatim eſſent ſublimiores ſolisq; pinnis prominerent: in quorum poſtremo regia erat & theſauri. *Herodot. lib.1.* Perſarum regia Perſepolis fuit talis: ut arx triplici murorũ altiſſimorum ordine, portarumq́; & aliænei munimentis firmam defenſionē

præberet. *Diodor. lib.17.* Sic munita Hieroſolyma, non ſaltem muris, ſed arce etiam Millon, Davidis dictâ, urbi impoſitâ Judæorum. *1. Reg. 9. v. 15. & 24. 25. 2. Chron. 32. v. 5. Joſeph. lib. 6. de bell. Jud. c. 6.* munita Babylon, Chaldæorum. *Plin. lib. 6. c. 26.* muniti Veji, Hetruſcorum. *Plut. in Camill.* munita Tyrus Phœnicũ, munitæ Athenæ Græcorum, munita Roma Italiæ, munita Conſtantinopolis imperii occidentalis Metropolis fuit, & munitam hoc modo, majorique ſemper opere cinctam cujusque Reip. urbem primariam totiusque dominationis ſedẽ eſſe debere, omnium ſeculorum memoria, noſtrorumque temporum experientia, & ratio evidens ſatis arguit, ut hoc etiam ſecuritatis inſtrumentum ad virtutem Magiſtratus rectè referatur. *Bodin. 5. de Rep. 5.*

Etenim ſimul iſta mundi Conditor poſuit Deus, Odium atq; Regnum. *Senec. in Theb.* Imperantiũ cervicibus gladii imminent, haſtæ undiq; undiq; ſpicula: ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur. *Vopiſc. de Saturn.* & quamvis

vis Magiſtratus bonus ſit atq; clemens, nec fidelitate ſuorum & favore fortius quidquam tutiusvè habeat. *Plutar. in Arat.* Tamen quia plus poteſt, quia malo eſſe licet, formidatur. *Saluſt. ad Cæſar.* nec tam multi homines juſti ſunt, quàm qui injuriam facere volunt, quorum cupiditates expleri non poſſunt. *Xiphilin.* Quare cùm Auguſtus Imperator apud Liviam uxorẽ conquereretur de hominum inſidiis, quæ hinc inde etiam vigilantiſſimo ſtruerentur: Mirum non eſt, reſpondit Livia, quod tibi parentur inſidiæ: partim, quòd id non ſit alienum à natura, partim quòd magno Imperio multa facias, ex quibus par eſt, pleroſq; moleſtiam capere. Princeps enim non poteſt omnibus placere, ſed etiam quantumvis rectè imperet, ei multos iraſci neceſſe eſt. *Dion in Auguſt.* Proinde Alexãder Magnus, licet triginta ſatellitum millibus cinctus, noctu tamen pugionẽ ſub pulvino ſemper habuit. *Plutar. in Alexan.* Neque enim ulla amicitia tàm arcta, nulla familiaritas tàm ſancta, quã animus regnandi cupidus nõ contemnat

& violet. Ita non proximis, non amicis, non ſubditis, non confœderatis in cauſa ambitionis confidendum omninò ſine cautione eſt. Mutantur voluntates hominum & quæ prius placuerunt poſtea diſplicere incipiunt: imò & ſunt plures qui ſeipſos deſperatè oderunt & ſceleratè ſe interimunt, & dummodo de inimicis ſuis ſe vindicaverint, vel principem necaverint, vitam ſuam amittere parvi aut nihili faciunt. *P. Gregor. 22. de Rep. 11. num. 2.*

Porrò quia venenum in auro bibitur, uti ſe expertũ Seneca profitetur: & quod Juvenalis monet, *nulla aconita bibuntur*

Fictilibus: tunc illa time, cum pocula ſumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

Regum Medorum pincernæ, cùm phialam porrigerent, vinũ ex ea cyatho hauſtum, inque manum ſiniſtram fuſum abſorpſerunt, ne ſine detrimento proprio venena infunderent. *Xenoph. 1. Cyripæd.* Idque officii genus Prægustatorum dicitur, ex hac virtute in principum aulas

cœnas-

cœnasq; Magiſtratuum ad cibi potuſque integritatem explorandam derivatum.

Cæterum majorem minoremvè ſecuritatis neceſſitatem temporum pericula & Reip. circumſtantiæ aliæ Magiſtratum edocebunt.

Honeſtatem cum vitæ jucunditate & longævitate Castitas & Conſtantia in Magiſtratu primum conjungunt: quarum illa potiſſimum Labore & Frugalitate alitur. Julianus utique Imp. impius alioquin Apoſtata, libidinis labem in adulto robore juventutis non ſolum cautè vitavit, ut ne ſuſpicione quidem tenus libidinis ullius vel à ſecretioribus vitæ miniſtris incuſaretur, ſed hanc continentiam maximâ etiam ciborum & ſomni parſimoniâ juvit, quibus domi foriſq; tenacius utebatur. Namque in pace ejus menſarum tenuitas admiranda erat: per varios autem procinctus, ſtans interdum, more militiæ, cibum brevem, vilemque ſumere viſebatur. Ubi verò exiguâ dormiendi quiete corpus recreaſſet laboribus induratum, expergefactus explorabat per ſe vigiliarum vices & ſta-

tionum. *Amm. Marcell. lib. 16. & 25.* Caſtitas autem non ipſum modò illegitimi amoris uſum, ſed libidinum quoq; cauſas & illecebras vitat, quales potiſſimũ ſuggerũt cogitationes impudicæ impudicus oculorũ obtutus, amplexus, oſcula, cantica & colloquia amatoria & laſciva, & ſimilia. Pharaonis Ægyptii & Abimelechi Regis Gerari caſtitatẽ Scriptura Sacra prædicat in eo, quòd Saram, ubi Abrahami conjugem eſſe intellexerunt, inviolatam marito ſuo reſtituerũt. *Geneſ. 12. & 20.* Quartum & viceſimum annum agens P. Scipio Africanus, cùm in Hiſpania Carthagine oppreſsâ majoris Carthaginis capiendæ ſumſiſſet auſpicia, multosq; obſides, quos in ea urbe Pœni clauſos habuerant, in ſuam poteſtatem redegiſſet, eximiæ inter eos formæ virginem ætatis adultæ, & juvenis, & celebs, & victor, poſtquam comperit illuſtri loco inter Celtiberos natam, nobiliſſimoque gentis ejus, Indibili (Plutarchus Lucejum habet) deſponſatam, accerſitis Parentibus & ſponſo intactam tradidit: aurum quoque, quod pro re-

demptione

demptione puellæ allatum erat, ſummæ dotis adjecit. *Valer. max. lib. 4. c. 3 Liv. lib. 7 decad. 3. Plutar, in Scipion.* Ad Alexandrum Magnum cùm Philoxenus, rei maritimæ præfectus, ſcripſiſſet, Eſſe Theodorum apud ſe quendam Tarentinum, qui pueros duos haberet formâ præcellenti, quærens, An emeret eos? Indignè ferens Alexãder ſæpè apud amicos vociferatus eſt: Cujusnam tandẽ turpitudinis mihi Philoxenus conſcius eſt, quòd talia mihi opprobria commendat? Ipſumq; Philoxenũ per literas graviſſimè objurgatum, amandare unà cum mercibus ſuis in malam rem Theodorum iſtum juſſit. Agnonem Adoleſcentem etiam caſtigavit, qui ſcripſiſſet, Crobylum velle ſe celebris apud Corinthios nominis puerũ comparare, atq; ad ipſum mittere. *Plutar. in Alex.* Ageſilaus Spartanorũ Rex cùm Megabetẽ Perſã, formoſiſſimum puerum, arderet vehementius, huic ſuæ cupiditati adeò repugnavit pertinaciter, ut cùm deoſculari Ageſilaum pro Perſarum conſvetudine is vellet, cubito averſo rejecerit, nec

poſtea admiſerit. *Plutar. in eod.* Caſtè quoq; Pompejus, qui Demetrii liberti ſui uxorem, contra ingenium ſuum, neq; benignè neq; blandè compellavit unquam, metuens, ne pulchritudine ipſius, quæ inſignis erat & quemvis ad amorem pellicere poſſe exiſtimabatur, captus videretur. *Plutar. in eod.*

Cæterũ quia validiſſimum eſt oculorum ad libidines & impudicitiam incitamentum, Cyrus Perſarum Rex Pantheam omnium mulierum formoſiſſimam captivam, in conſpectũ ſuũ adduci vetuit: & Araſpo dicenti, mulierem eſſe inſigni formâ, dignâ Regis oculis: Ob iſthoc ipſum, inquit, magis eſt illâ abſtinendum. Etenim ſi nunc tuo obtemperans conſilio illam adiero, cùm vacat: fortaſsis illa mihi perſvaſura eſt, ut ad ipſam frequenter eam, etiam cùm non vacabit, eiq adſideam, neglectis ſeriis negotiis. *Eraſm. lib. 5. Apoph.* Et Alexander Magnus tantum abeſt ut Darii uxorem & duas filias Virgines captivas videre voluerit, ut ne ſermones qvidem de elegantia uxoris Darii referentium

admi-

admiſerit. Et qvidem perhibetur illa longè omnium reginarum venuſtiſsima, ut Darius virorum pulcerrimus & eminentiſsimus, filiæ etiam ſimiles fuiſse parentum. Sed Alexander profectò temperare ſibi, quàm hoſtem vincere, mágis Regiū ducēs, uti mulierem ante nuptias non cognovit ullam, exceptâ Barſenâ quadam, idq; Parmenione incitante, ita nec has attigit; ſed pulcerrimum & maximè Rege dignum beneficium ejus in fæminas generoſas captivas & caſtas extitit, qvòd nihil neq; audirent, neq; ſuſpicarentur, neq; expectarent turpe: ſed quaſi non in hoſtium caſtris, verùm in caſtis & ſanctis Veſtæ templis ſervatæ in abdito extra aliorum oculos agerent. Cæteras captivas ut vidit Alexander ſpecie & ſtaturâ eximias, dixit joco: Quàm magni oculorum dolores ſunt Perſides. Ad æmulationem verò illatum formæ, nitorem oſtentans ſuæ continentiæ & moderationis, ſicut ſtatuas & inanimatas ſignorum imagines transmittebat eas. Reverſus ex India Statiram Darii filiam, duxit uxorem, *Plutar. in Alex. Gelli-*

us lib.6.c.8. Etiam Carolus V. Imperator in conjugio conſtitutus ſæpè clauſit ipſemet feneſtram, cùm eminùs adventantes aut prætereuntes fortè fœminas conſpexiſſet, aut præterituras inaudiſſet, ne earum intuitu flammam conciperet. *Zenoccar.lib.5.de ejus vit.* Antigonus verò III. Aſiæ Rex, Dianæ ſacerdotem contemplatus formâ mirè venuſtâ; repentè movit Epheſo, veritus, ne quid præter animi ſententiam nefarii admitteret. *Plutar.in Apoph.* Qui enim rem adminiſtrat publicam, non ſolùm manus à pecuniæ lucro, ſed etiam à libidinoſo aſpectu continentes habere oculos debet: cujus admonuit Pericles Sophoclem ſuum in prætura collegam, puerum tranſeuntem impenſius laudantem. *Plutar. in Pericl. Cicer. 1. off. c.*

Nec verò ulla etiam hìc peccandi licentia ac patrocinium Magiſtratui quærendum, ſed cum Alexandro Magno ſtatuendum: tantò minus indulgendum ſibi eſſe, quantò acrior ſcelerum eſſe vindex Magiſtratus debet. Is enim cum ad Illyrios veniſſet, ac in Jovis ara animadvertiſſet

vertiſſet mulierem formâ præſtantem, pulchritudinem admiratus diu ſpectavit: cumque Hephæſtion diceret, Æquũ eſſe, ut ipſe amatam caperet, Annon, inquit, hoc indigniſſimum eſſet, ut qui in aliorum incontinentiam animadvertere velimus, ipſi incontinentię ſervire ab exteris deprehendamur? *Maxim. ſerm.* 3. Sic Scipio major cum Carthaginem expugnaſſet & milites nonnulli virginem mirâ formâ adducerent captivam, eique darent, Libens, inquit, acciperem ſi privatus & non cum imperio eſſem. Et pręſtitit hic quidem ſuâ inter Celtiberos cõtinentiâ, ut totius populi animos ſibi Romanisque addictos redderet. *Plutar. in apoph. & in Scipion.* Nullâ re, Cicero inquit, conciliare & conſervare faciliùs benevolentiam multitudinis poſſunt ii qui Reip. præſunt, quàm continentiâ & abſtinentiâ. 2. *Offic.* Quod Alexander magnus parvo temporis ſpacio, quo vixit, tot tantasque res efficere ac penè univerſum orbem armis peragrare potuerit, cauſam hanc afferunt haudquaquam poſtremam: ipſum nullis hujuscemodi

illecebris, quæ cæteros irretire mortales ſolent, patuiſſe, ſed rei gerendæ occaſione oblatâ, cum aliis, tum nuptiis ac libidinibus penitus abſtinuiſſe. *Plutar. in eod.* Stultũ eſſe Conſalvus Magnus dicebat, viro Principi, ex parva fugacique voluptate ſempiternum, & prægrave odium parare, nec procul ab immani perfidiâ ſcelus eſſe, amicorum, ut plerumque fit, uxores adtrectare: ne ſcilicet integris familiis & propinquitatibus, nihil reticente famâ, dedecus afferretur. Ut meritò Magnus Sforcia Franciſcum filium graviſſimis præceptis monuerit: Etiam atq; etiam caveret, ne amici, aut imperiò, ſubjecti uxorem unquam impudicis oculis intueretur. *Jovius.*

Porrò CONSTANTIA & ipſa eſt virtus hominis ad ſe ipſum, quippe, quæ perſeverantiam in bono docet, in bono inquam, omnium virtutum humanarũ communi, Ex quo Conſtantiæ effecta in omnibus quoq; virtutibus ad hominẽ relatis conſpiciuntur; ſic tamen ut ipſa in ipſo homine terminetur, cujus animũ ac voluntatem perſeverantiæ, & æquabilitatis

litatis præceptis inſtruit ac erudit. Per Conſtantiam enim Magiſtratus recto ac immoto talo in ſententia ſemel laudabiliter ſuſcepta, inq; propoſito honeſto, perſiſtit ac perſeverat, nec ullis vel indulgentis fortunæ blandimentis, aut deſævientium adverſitatum procellis de gradu, quod ajunt, ſeſe dejici, vel unquam à bono ad malum, vel latum dimoveri unguem, patitur. Unde duo quaſi mẽbra Conſtantiæ deprehenduntur, Perſeverantia in honeſto & Æquabilitas vitæ: quarum illa agnitam ſemel honeſtatis ſemitam ſtabili greſſu perſequitur, perpetuoque curſu decurrit: hæc etiam cũ impedimentis pugnat, quæ mentis ac voluntatis turbare conſtantiam & à bono ad malum deflectere ſolent.

Et perſeverantiæ quidem exempla in ſingulis oſtendi virtutibus humanis nec non omnibus proprii officii Magiſtratus partibus poſſent, niſi brevitati ſtudendũ nunc eſſet, multa inſuper etiam hic interſperſa paſſim reperire liceret. Agat itaque ſecundum virtutes humanas omnes, nullã officii ſui partem Magiſtratus

tus negligat, dùm Conſtantiam ſimul adhibeat, ac perſeverantiæ repagulo ea obfirmet ac communiat: ne hodie benè honeſteque ſentiat aut faciat, cras animũ manusque remittat, & diverſum ſequatur. *Antimach. 3. theor. 25.*

Sed fiunt iſthæc omnia etiã illuſtriora, ſi in Magiſtratu illa adſit mentis atque voluntatis Æquabilitas, ut cum Socrate & Alphonſo Aragonio, ejus in omni fortuna vultus ſemper idem, idem habitus, ſermo idem ſit. *Laert. lib. 2. c. 5. Panormit. lib. 4.* cũ Sertorio neq; lætitiæ, neque timori pateat, in utraque pariter fortuna eodem habitu ſemper conſiſtat, cum Metello pari vultu exſulare, ac redire, interq; ſecundas & adverſas res medius verſari firmitate animi poſſit. *Valer. Max. lib. 4. c. 1.* cum Rutilio periculum ipſi non impedimentum gravitatis ſit, ſed experimẽtum. *Id. lib. 6. c. 4.* cum Carolo Magno ſecundis rebus non inſoleſcat, nec anguſtis perditisq; deſperet, ſed æquo utramq; ſortem animo compos mentis toleret. *Aventin. lib. 4.* cum Henrico VII. Imperatore nullâ unquam

quam proſperitate efferatur, nulla dejiciatur adverſitate, *Cuſpin.* cum M. Antonino Imperatore ſimilis ſibi ipſi ſemper ſit, nec mutetu rulla in re unquam, ſitq; ſemper bonus, nihilq; habeat ſimulatum. *Suidas, in di*[illegible]. Μάρκος *ex Dion.* cum Catone, Rep. mutatâ, ipſe non mutetur, eundem ſe in omni ſtatu præſtet: cum Cicerone dicere verè poſſit: Ego, ſi ab improbis & perditis civibus Remp. teneri viderem, non modò non præmiis, quæ apud me minimum valent, ſed ne periculis quidem compulſus ullis, quibus tamen moventur etiam fortiſſimi viri, ad eorum cauſſam me adjungerem, ne, ſi ſumma qvidem eorum in me merita conſtarent. 1. *Ep. famil. 9.*

Cum verò propè faciliûs ſit adverſam fortunam commodè ferre, quàm proſperam: quòd omnes quamdiu in miſeria hærent, utplurimum moderatis modeſtisq; moribus eſſe conſpiciuntur, in rerum autem ſucceſſu elatis animis, ut Archytas Pythagoreus dicere conſueuit, *Stob. ſerm. de virt.* illa, quam diximus, vitæ æquabilitas in rebus inprimis læ-

tis

tis ac proſperis Magiſtratui arctè tenenda eſt. Viriatus Luſitanus, qui annos quatuordecim cum populo Romano variâ fortunâ pugnavit, tantis rebus non armorum, non veſtis cultum, non deniq; victum mutavit, ſed, ut ſcribit Florus, in eo habitu, quo primum bellum ceperat, perſeveravit. Philippus Macedo Rex, cùm nuncium de rebus uno die multis felicitèr ac proſperè geſtis accepiſſet, nô inſolenter geſtiit ob rerum ſucceſſum, ſed fortunæ indulgentiam ſuſpectam habuit, cujus ingenium eſſe noverat, ut quibus exitium molitur, his prius novâ rerum proſperitate blandiatur: proinde porrectis in cœlum manibus, exclamavit, &, O fortuna, inquit, pro tot tantisq; bonis levi quopiam malo me affice. *Plutar. in Apoph.* Victis ad Chæroneam Athenienſibus & Thebanis, quâ pugnâ univerſæ Græciæ libertatem ademit, ſolita ſacra eo die non feciſſe, neque de more convivatus, non coronas, non unguēta ſumſiſſe, ne riſiſſe quidem dicitur: ſed ita vicit, ut victorem ſentiret nemo, nec ſe Regem Græciæ appellari voluit, ſed

Du-

Digitized by Google

Ducem: demum ita ſuorum lætitiam & hoſtium dolorem temperavit, ut neq; victoribus adſultare ſit viſus, neq; victis inſultare. *Sabell. lib. 3. Ennead. 4.* Epaminondas Thebanorum dux poſtridiè ejus diei, quo contra Spartanos feliciter pugnatum eſt ad Leuctra, præter morem ſqualidus ac ſubmiſſus proceſſit: amicis ſciſcitãtibus, Ecquid adverſi obtigiſſet? Nihil, inquid, ſed heri ſenſi majores me quàm decebat animos geſſiſſe: ej' gaudii intẽperantiã hodiè caſtigo. *Plutar. in apoh.* Victoriam de Franſciſco I. Galliæ Rege nullâ ſingulari lætitiâ Carolus V. Imperator excepit, feſtisq; ignibus ac tormentorum diſploſionib. vetitis, trium tantum dierum ſupplicationes, ut is ſecundus belli eventus Reip. Chriſtianæ commodo verteretur, indixit. *Iovius in vit. Daval. lib. 6.* Rectè victoriâ uti præclari' eſt, quàm ipſum vincere: ne ſcilicet quis proſpero fortunæ curſu fiat inſolentior, et ea conſilia, ſequatur quæ ad præcipitium deducunt. *Comin. lib. 2.* Hujuſmodi cùm in rebus ad noſtram voluntatem fluentibus cæteris, tùm in

Victoria

victoria præſertim, quæ ſuâ náturâ eſſe inſolens ſolet, æquabilitatis rationes P. Æmilius affert graviſſimas in oratione, quam poſt devictum & captum Macedoniæ Regem Perſeum habuit. Cùm enim adducto ad ſe Perſeo lachrimabundus cum amicis occuriſſet, projectumq; ante pedes ſublevaſſet, dextraq; datâ ſalutaſſet, tanti viri fortunæ invidiâ atq; indignatione dejecti caſum reputans, poſtquam diu tacitus & cogitabundus omnibus admirantibus conſediſſet, de fortuna & rebus humanis diſſerere inter ſuos, potiſſimum verò juniores, ita cæpit: Utrum vobis videtur convenire, ut homo rebus feliciter geſtis, gente, urbe, aut regno ſubacto, criſtas erigat, animumque attollat? an potius fortunæ vices ſecum expendat, quæ communis imbecillitatis exemplum victori proponens docet, ne quid ſtabile aut perpetuū putemus? Quod enim tempus homini ſit confidendi rebus ſuis? quando, victoria de aliis parta maximam fortunæ mutationem timere nos cogit, conſiderat ioque fati modò huc, modò illuc incūbentis

bentis, ſummam etiam gaudentibus affert anxietatem. An vos cùm Alexandri regnum, qui ad ſummam potentiã pervenerat, unius horæ ſpacio everſum, Regesque modò multis equitum peditumque millibus ſtipatos, nunc de manibus hoſtium quotidiè cibum ac potum ſumere videatis, res noſtras ſtabilitate fortunæ in omne tempus firmatas putatis? Quin vos, ô juvenes, inanem potiùs animi elationem jactantiamque ex victoria natam compeſcite, vosq; pavidi demittite, ac futuris ſemper animum intendite, exſpectantes, quonam unicuique veſtrûm incommodo fortuna præſentem felicitatem compenſatura ſit. Multaque in hanc ſententiam ab eo dicta alia memorant, dimiſſosque juvenes, faſtu eorũ hoc orationis freno probè coërcito. *Plutar. in Æmil.* Quemadmodum enim ii, quibus equi ſunt ferociores tradunt eos domitoribus, ut his facilioribus poſſint uti: ſic homines ſecundis rebus effrenatos ſibique præfidentes, tanquam in gyrum rationis ac doctrinæ, ducere oportet, ut perſpectâ rerum humanarum imbecillita-

becillitate & fortunæ varietate reddantur moderatiores. *Eraſm.5. apoph.* Namque uti ſummè bona corporis valetudo, ſecundum Hippocratis ſententiã, periculoſa eſt, ita rebus maximè proſperis metuenda diverſa fortuna. *Senec. in moralib.* Hinc adeò viros cordatiſſimos videmus ut ab omni perturbatione animi in rebus ſecundis inconcuſſi permanerent, ſingulari quodam monimine memoriam humanæ inconſtantię perpetuò refricaſſe. Philippus Macedo rebus contra Athenienſes ex animi voto geſtis, ad refrænandam animi impotentiam, neq; ipſe prodibat antea, ſicut fertur, neque quiſquam, qui eum convenire vellet pri' admittebatur, quàm ſingulis diebus puer hoc ei ter acclamaſſet, φίλιππε ἄνθρωπος εἶ: Philippe homo es. *Ælian. lib. 8. var.* Meminit Florens Septimius in apologetico, Romæ olim triumphantibus à tergo hujuſcemodi admonitionem, quã Plinius *lib. 28.* Medicum invidiæ appellaſſe videtur, ingeri ſolitã: Reſpice poſt te, hominem te eſſe memento. *Cælius lib. 2. A. L. c. 7.*

Fama

Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea regem,
Atq; abacum Samio ſæpè oneraſſe luto,
Fercula gemmatis cùm poneret aurea vaſis,
Et miſceret opes pauperiemq; ſimul.
Quærenti cauſam, reſpondit: Rex ego qui ſum
Siciniæ, figulo ſum genitore ſatus.
Fortunam reverenter habe, quicunq; repentè
Dives ab exili progrediere loco!

Auſon.

Villegiſus, primus Vangionum Archiepiſcopus, Elector, Plauſtrarii Fabri ex pago Saxoniæ Strôningen filius, ut ſuorum natalium memoriam nunquam dimitteret ex animo, in parietibus ſui oratorii rotas depinxit ac ſuſpendit, cum hac inſcriptione: Villegiſe, qui ſis q fueris memento. Has rotarum imagines etiamnum Moguntini Electores inde ab Heinrici Claudi Imperatoris temporibus pro inſignibus uſurpant. *Naucler. Bruſch. de Epiſcop. Hermã. Gigas.* Leſcus. II. Polos

pud Romanos, author Plutarchus eſt omnes,qui nobilitate præſtarent, Lunulas in calceis geſtare ſolitos. Cui inſtituto adfuiſſe videri poteſt nobile antiquitatis documendum tacitis velut ambagibus cōmonentis: nō inſoleſcendum, nec proſperiore ſucceſſu efferendos animos, inconſtantiæ rerum ſemper memores, quâ humana conflictantur: cui argumentum præbeat luna, quæ primò quidem ex obſcuro prodeat,mox ſplendido refulgens nitore viſendâ conſurgat facie, ſed cum jam clariſſimam proferat candoris ſpeciem, rurſum cōſeneſcēs defloreſcit, donec ratione qvadam reciprocà in nihilum denuò redeat. *Cælius lib. 11. A. L. c. 28.* Statuamus cum Arrio: Sive viribus quis polleat, ſive genere excellat, ſive fortunâ Alexandrum exſuperet, ſive quis Aſiæ imperio Africam adjungat, & cum his Europam continuet, felicem hunc eſſe non poſſe, niſi animi moderatio adſit.

Par animi æqvabiliter affecti Conſtantia Magiſtratui in rebus qvoq; adverſis firmiter amplectenda: in qvib. admodū

conſpicua eſt Fortitudo & Patientia Magiſtratus: quarum illa Conſtantiam tuetur mala atq; injurias depellendo, hæc, quæ utiliter & honeſtè depelli nequeunt, tolerando: ut ubiq; infractus, invictuſq; animus appareat, qui oïa, quæ in hominem cadere poſſunt deſpicit, & infrà ſe poſita arbitratur.

Etſi verò Fortitudo Magiſtratus tùm maximè apparet, quando (ut cum Poëta loquar) *ſævit medio in certamine Mavors*

Cælatus ferro, triſteſq; ex æthere Diræ
Et ſciſſa gaudens vadit Diſcordia pallâ,
Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello:

in judiciis tamen non minus illa fulget; cùm Magiſtratus actiones ſecundum Reip. leges, in foro diſceptandæ atq; defendendæ ſunt. Sic cordatiſſimè Antigonus Macedonum Rex ad regiam dignitatem nuper evectus, cum populi haud obſcurè eam rem ferre ægrè dicerentur, virtutum ſuarum conſcientiâ fretus in populorum conſpectu diadema ſceptrumq; depoſuit, palamq; monuit, Si alium

um quempiam ſe regno digniorem invenirent, ad eum pro arbitrio diadema ſceptrumq; deferrent, commemoratis antè iis rebus, quas magnâ virtute gloriâque geſſerat. *Fulgoſ.lib.3.c.7.* Eâdem animi fiduciâ Trajanus Imperator præfectũ prætorio inveſtiens, Accipe hunc gladium, inquit, & ſi juſtè imperâro, pro me utitor, ſin minus, contra me. *Suidas*, et Nerva Coccejus Imperator dicere auſus fuit, Se nihil omninò feciſſe in imperii adminiſtratione, quò minùs poſſet depoſito imperio privatus tutò vivere. *Dion*. Samuel Propheta cùm longo tempore Iſraëlitis jus dixiſſet, tandẽ Rege creato ipſe Magiſtratum depoſiturus, officium ſuum & vitam omnium examini ſubjecit, ſeq; obtulit ſatisfacturũ, ſi qva in re cuiquam feciſſe injuriam coargui & convinci jure poſſit. *1. Samuel. 12. Syrac. 46.v.22.* Marco Marcello quartum Conſule, adverſarii ejus Syracuſanis perſuaſerunt, ut Romam profecti de gravibus & contra fidem datam illatis à Marcello injuriis apud Senatum conquererẽtur. Fortè tũm rem ſacram in Capito-

lio faciebat Marcellus, ex Senatu abſens. Verùm ubi rem iſtam cognovit, ſtatim venit, principioq; ſellâ Curuli ſedēs conſulis munus obivit, deinde cæteris peractis â ſella deſcendit, ac privati in morem eo in loco adſtitit, unde cauſam dicere ſolebant rei, deditq́; ſui accuſandi facultatem Syracuſanis. Habitis utrinq́; orationibus, cûm Syracuſani (ut fieri ſolet) è Senatu excederent, ipſe etiam Marcellus diſceſſit, & ante fores Curiæ præſtolatus exitumq́; judicii operiens vultu graviſſimâ accuſatione haud quaqvam immutato, collegæ poteſtatem fecit, ut cum Senatu de cauſa cognoſceret. *Plutar. in eod.* M. Antonius Qvæſtor proficiſcens in Aſiam, Brunduſium jam pervenerat: ubi literis certior factus inceſti ſe poſtulatum apud L. Caſſium Prætorem, cujus tribunal propter nimiam ſeveritatem ſcopulus reorum dicebatur, cùm id vitare beneficio legis potuiſſet, in urbem tamen recurrit, eoq́; tam pleno fiduciæ bonæ conſilio, cùm abſolutionem celerē, tùm profectionem honeſtiorem conſecutus eſt. *Valer. Max. lib. 3 c.* 7. M. Cato

7. M. Cato major cùm omnes penè civitatis Romanæ potentiſſimos & primos haberet adverſarios & ad ſenectutē uſq; inſtar athletæ decertaret, conſervavit ſe incolumē. Plurimis publicis judiciis hinc reus, hinc acuſator, multos damnavit, & omnib. liberatus fuit. In improbis accuſandis inprimis fuit vehemens & aſſiduus, ita nec ipſe illæſus in Rep. evaſit: ſed ſicubi anſam iniquis præberet, non deſiſtebant eū in judiciū rapere & periculum creare. Fertur paulò minùs quinquagies cauſam dixiſſe. *Plutar. in Caton. Plin. lib. 7. c. 27.* Conſtantiæ præſidio cinctus Severus Imperator jus ſuum & dignitatem adverſus ſeditiones militares obtinuit. Nam cùm adverſus ipſum podagrâ laborantem exercitus filium, natu majorem Baſſianum, Auguſtum ſalutaſſet, ipſe lecticâ ad tribunal delatus conſilii auctores capitis damnavit, & ad eos ſupplices, Nunc demum intelligitis, inquit, non pedes, ſed caput imperare? *Fulgoſ. lib. 2. c. 2.* In expeditione Parthica cùm Antiochiam veniſſet, ac milites lavacris muliebrib. ac delitiis vaca-

rent, omnes eos comprehendi juſſit & in vincula conjici. Legione verò iſtâ, cujus ſocii erant in vincula conjecti, ſeditionem movente, ille tribunal aſcendit, vinctisq; omnibus adductis, circumſtantibus etiam militibus, Continete, inquit, vocem truculentam campo ac bellis neceſſariam, ne vos hodiè omnes uno ore atque unâ voce, Quirites, dimittam, & incertum, an Quirites. Non enim digni eſtis qui vel Romanæ plebis ſitis, ſi jus Romanum non agnoſcitis. Et cùm vehementiùs fremerent, ac ferro quoque minarentur, Deponite, inquit, dextras contra hoſtem erigendas, ſi fortes eſtis: me enim iſta non terrent. Si enim unum hominem occideritis, non nobis deerit Resp. non Senatus, non Populus Romanus, qui de vobis vindicet. Cùm nihilominus poſt iſta fremerent, exclamavit, Quirites diſcedite, atq; arma deponite. Mirando exemplo depoſitis armis, depoſitis etiam ſagulis militaribus, omnes non ad caſtra, ſed ad diverſoria varia receſſerunt. Tuncque primùm intellectum eſt, quantum conſtans ejus

ejus ſeveritas poſſet. *Lamprid. in eod.* Julius Cæſar nunquam ceſſit militibus tumultuantibus, ſemperq; obviam iit conſtanti & intrepidâ autoritate, & nonam quidem legionem apud Placentiã, quãvis Pompejus adhuc in armis eſſet, totã cum ignominia miſſam fecit; ægreque poſt multas & ſupplices preces, nec niſi exactâ de ſontibus pœnâ, reſtituit. Decumanos Romæ cum ingentibus minis ſummoque etiam urbis periculo miſſionem & præmia flagitantes, ardente tunc in Africa bello, neque adire cunctatus eſt, quanquam deterrentibus amicis, neque dimittere: ſed unâ voce, quâ eos Quirites pro militibus appellârat, tam facilè circumegit & flexit, ut ei, milites eſſe, confeſtim reſponderint, & quamvis recuſantem ultrò in Africam ſint ſecuti: ac ſic quoque ſeditioſiſſimum quẽque, & prædæ & agri deſtinati tertiâ parte multavit. *Sueton.* De eo ſic Lucanus *lib. 5.* *ſtetit aggere fulti.*

Ceſpitis intrepidus vultu, meruitq; timeri
Nil metuens.

Quod ſi verò judicio diſceptare & jus ſuum perſequi non liceat, ſed manu res agatur ab adverſariis & vis ſive ipſi Magiſtratui, ſive his, quorum tutela ad ipſum pertinet, manifeſtâ injuriâ intentetur, non tantũ ratio naturalis, ſed militia etiam legitima vim vi, arma armis repellere jubet. Nam quo jure bellum gerere permiſſum èſt, eodem fortitudo hæc bellica conſtat, præſertim in Magiſtratu, cui publicus armorum uſus præ omnibus hominib. aliis ſingulariter cõpetit. Fortis itaque Magiſtratus cùm ad manus & arma neceſſitas vocat, ânimo excelſo Martis aleam ſubit, fortemque non minus militem, cùm opus eſt, quàm ſtrenuum exercitus agere ducẽ didicit. Ut enim Magiſtratum, præſertim ſummum, in armorum atq; vitæ periculum temerè ſe conjicere nolim: ita ſi in inſidias, ſi in vim, ſi in tela hoſtium aut latronum ille incidat, ſi publica ſubditorũ ſalus, in acie, in primis eundem verſari pugnantium ordinibus deſideret, tùm nec viribus ullis, nec ſanguini ipſum parcere optem, quin fortiter potiùs quàm

timidè agendo mori, & publicæ incolumitati ſuo conſulere diſcrimine quàm Rep. perditâ atque everſâ ſupereſſe malit. Samſon populi Iſraelitici vindex ab Angelo denunciatus, adverſus obvium ſibi leonem rugientem, ſe vitamque ſuã tutatus, ſuis ipſum manibus confecit. *Judic. 14. v. 6.* Alexandri Magni fortitudo major an audacia in periculis obeundis fuerit, non facilè dixeris. Sanè Orientis imperium cùm ſibi propoſuiſſet, ad rem longè omnium difficilimam & maximam, pares ſpiritus, paremque animi fortitudinem afferendam ratus, non ſolum pugnas ipſemet obiens primus, ſæpè pedes antè ſuorum agmina inceſſit, ſed manu etiam quoties res exigebat, promtiſſimus fuit, atque in ſemet defendendo fortiſſimus. In primo adverſus Perſans conflictu, videns jã cedere Macedones obequitans, clamabat, Adhuc ſemel accedamus, viri Macedones, adhuc ſemel, ſtrenuè. *Curtius de ejus geſt. paſſim. Plutar. in eod. Polyæn. lib. 4. Diodor. lib 17.* Turpè enim eſt, eum, qui regnum appetit, ſegniter præliando ſe re-

gno indignum oſtendere, uti Cyrus junior ſenſit. *Plutar. in apoph.* Pyrrhus Epirotarum Rex, & vultu, & celeritate, & motu ſimilis Alexandro judicatus, cùm manibus & corpore intentus in prælium eſſet, & cum iis, in quos incidiſſet, dimicaret ſtrenuè, conſilio tamen ſibi prudentiâque conſtitit & quaſi extra aleam prælii poſitus omnia conſideraret, bellum temperavit, ſubinde accurrens, & iis, qui pelli videbantur, auxilium ferens. *Plutar. in eod.* C. Jul. Cæſar, cùm inumerabili multitudine & feroci impetu Nerviorum inclinari aciem ſuam videret, timidiùs pugnanti militi ſcutum detraxit, eoque tectus acerrimè præliari cepit. Alio prælio, legionis Martiæ aquiliferum ineundæ fugæ gratiâ jam cōverſum faucibus comprehenſum in cōtrariam partem detraxit, dextramq; ad hoſtem tendens, Quorſum tu, inquit, abis? illic ſunt, cum quibus dimicamus. Et verò inclinatam aciem ſuâ animoſitate ſolus ſæpè reſtituit, obſiſtens fugientibus, retinensque ſingulos, & convertens in hoſtem, & quidem adeò plerum-

que

que trepidos, ut aquilifero moranti cuſpide ſit comminatus, alius in manu detinentis reliquerit ſignum. *Sueton. Valer. Max. lib. 3. c. 2.* In hanc ſententiam Cõſtantius Imperator Julianum patruelem hortatus eſt: Si hoſtibus, inquit, congredi ſit neceſſe, fixo gradu conſiſte inter ſigniferos ipſos, audendi in tempore conſideratus hortator, pugnantes accendens præeundo cautiſſimè, turbatosque ſubſidiis fulciens, modeſtè increpans deſides, veriſſimus teſtis adfuturus induſtriis & ignavis. Proin urgente rei magnitudine perge vir fortis ducturus viros fortes. *Ammian. Marcell. lib. 15.* Fortiter Pelopidas Thebanorum Dux, quem in bellum abeuntem cùm uxor lachrimans hortaretur, ut ſaluti ſuæ proſpiceret, Privati, inquit, ô mulier, de hoc ſemper monendi ſunt, Magiſtratum verò gerens, ut ſuos ſubditos incolumes præſtet. *Plutar. in Pelopid.* Cui Biantis illud conſonum, qui inſidiis ab Iphicrate circumventus, militibus quærentibus, quid faciendum eſſet? reſpondit, Quid nam aliud, niſi ut vos evadatis incolumes, ego verò dimi-

cans cadam? *Plutar. in apopb.*

Atque in hoc fortitudinis bellicæ ſubſidio ultimum eſt ſitum deſperatorum refugium: quemadmodum Numantini à P. Scipione Africano longâ obſidione defatigati, cùm intolerabiles pacis conditiones præſcriberet, deſperatis rebus, ultimo ſeſe prælio accinxerunt, ſatiùs ducentes pro patria fortiter occumbere, quàm per ignaviam deditos, ut oves jugulari. *Sabell. lib. 9. Enn. 5.* Henricus Anglorum Rex ab exercitu Gallorum circumventus, cùm nullâ ratione quicquā ſe obtinere ab hoſtibus poſſe videret, Centurionibus convocatis, Neque fugere, inquit, Commilitones, neque ex hoſtibus incolumitatem conſequi precibus noſtris valemus, ſola nos arma adjuvare poſſunt. Non eſt quod numeroſum exercitum formidetis. Deus juſtæ cauſæ aderit: is devotè jam orandus & die craſtino ſtrenuè pugnandum. *Æneas Sylv. lib. 3. comment. in Panormit.* Sic Cato Major ad ſuos, Inter nos, inquit, cōmilitones, & caſtra noſtra medii hoſtes ſunt; à tergo, hoſtium ager eſt. Quod pulcherri-

pulcherrimum, idem tutiſſimum eſt, in virtute ſpem poſitam habere, & in prælio potius, quàm in fuga mortem oppetere.

Fortitudinis militaris conſtantia in ſeditionum & tyrannidis flagrantis periculoſiſſimis ardoribus Magiſtratui præcipuè conſectanda, cùm ſcilicet nulla Reip. legibus ſanandæ, aut aliis mitioribus rationibus tranquillitati ac libertati reſtituendæ, ſpes oſtenditur, ſed juxta medicorum conſilium membrum putridum atque corruptiſſimum ignibus uſtulandum aut ferro reſecandum eſt, ne totum corpus pernitioſâ lue infectum corruat & intereat. Ut enim præter Magiſtratum, qui honeſtatis publicæ cuſtos eſt, ſeditioſis civibus, ita præter eum tyrannis nemo arma rectè oppoſuerit. Nā ſeditio ſi qua excitatur à ſubditis, in ſummum illa ſubditorū Magiſtratum ſemper impingit: & tyrannus ſi quis exiſtit, communē populi libertatē non niſi per Magiſtratuū lat⁹ cōfodere & opprimere poteſt, ut pote quorum defenſioni ſalus ſingulorum commiſſa eſt. Utroq; igitur

Digitized by Google

caſu ſolus Magiſtratus defenſionem habet, & illo quidem ſummus, hoc verò, tam hic quàm inferior: & inferior, non niſi ſervato eo, quem in Rep. tenet, gradu ac conditione, ne alieni officii partes præpoſterè involet.

Fortitudo omnis cùm ſumma eſt & valdè excellit, Magnanimitas vocatur, nempè quæ in graviſſimis ac periculoſiſſimis quibusque caſibus & pacis & belli tempore propè humanam conſtantiam & imperteritam invictamq; mortalis pectoris celſitudinem ac firmitatem excedit: quales præſertim Magiſtratus Heroici non niſi cœlitus excitantur & aſperrimis in difficultatibus publicis generi humano ſubmittuntur, aut aliàs ad res magnas in orbe gerendas à Deo conſtituũtur, quibus γνώμην ϗ τόλμαν ille indidit, hoc eſt conſilium in providendo, & audaciam cum ratione. Exẽpla talium Heroum hiſtoriæ plurima ſuppeditant: & heroicâ quidem fortitudine bellicâ potiſſimum illuſtres efferũtur, Joſua, Samsõ, David Gedeõ, apud Judæos: Miltiades, Leonides, Themiſtocles,

ſtocles, Pauſanias, apud Græcos: Horatius, Camillus, Torquatus, Marcellus, Scipiones, Marius, Cæſar apud Romanos: Carolus Magnus, Ottones Saxones, Friderici Svevi, Henricus Leo, Dux Saxoniæ, Albertus Marchio Brandenburgenſis. Achilles Germaniæ dictus, Carolus V. Imperator, & alii, apud Germanos, &c.

PATIENTIA Magiſtratus ſupereſt, præſentiſſimum in omnibus adverſitatibus medicamen, quod ex Conſtantiæ ſemine prognatum, lectiſſimo invicti animi flore aſſurgit, & ſaluberrimos moderationis fructus in malis & injuriis, quæ utiliter & honeſtè depelli non poſſunt, proferēs, naturæ ac honeſtatis oppreſſioni ſuccurrit ac medetur. Age igitur, iniquis accuſationibus, detractione, conviciis, ignominiâ, mulctis, exilio, pulſetur innocentia Magiſtratus, hoſtium de ſe victorias, alia vel ſua, vel ſuorum infortunia, ipſamque adeò mortem violentam experiri cogatur: nunquam tamen ita ſubmittat aut abjiciat cum ſpe animum, ut ſemet ipſe perpetuæ infeli-

citatis prædamnet illicò, & quæ in præſentiarum mutari non poſſunt in deſperationem convertat, aut unquam ab honeſtatis tramite per impatientiam ſe deturbari concedat. P. Rutilius magis ordinum diſſenſione quàm ullâ culpâ ſuâ re⁹ fact⁹, nec obſoletã veſtẽ induit, nec inſignia Senatoris depoſuit, nec ſupplices ad genua Judicum manus tetendit, nec dixit quidquã ſplendore præteritorum annorum humilius. *Valer. Max. lib. 6. c. 4.* Q. Fabius Maxi. cum Annibalis vires morâ infringere prudenter ſtatuiſſet, ac ideò in editis locis ac montanis caſtra habens hoſtemq́; obſervans, rem prælio cõmittere cunctaretur, Minutius equitum magiſter, qui ei ſine ullo exemplo collega in Dictatura adjunctus erat, ut paribus auſpiciis bellum iſtud gererent, importunè pugnam poſcens ac ferociens Fabium vexabat & milites plauſibilibus orationibus inſanâ cupiditate & vanâ ſpe implebat. Itaq; milites Fabium ludibrio habebant Annibalis Pædagogum vocitabant: Minutium magnum virum, Romaq; dignum Imperatorem prædi-

prædicabant. Quibus ad majorem faſtū & audaciam evectus Minutius, caſtra in locis ſublimibus poſita ſubſãnabat, pulcra dictatorem theatra ſuis paraſſe dictitans, unde populationibus incendiisq; vaſtari Italiam ſpectarent: ex amicis etiam Fabii ſciſcitabatur, Ecquid Fabius terræ tenendæ ſpe abjectâ in cœlum efferre exercitum, aut nubibus & nebulis objectis effugere hoſtem propoſuiſſet? Sed Fabius inter hæc ſolidam patientiæ conſtantiam retinens, Ego verò, inquit, infamiam timiditatis eâ ratione adaugerem, ſi metu reprehenſionum & conuitiorum meo me detrudi propoſito paterer. Et quidem pro Patriæ ſalute timidū eſſe, indecorum non eſt: Propter hominum de ſe opinionem, calumnias, reprehenſiones, terreri, id jam non viro, qui tanto ſit dignus imperio, conuenit, ſed qui eorum eſſe ſervus velit, quibus malè ſentientibus imperare eum decet. *Plutar. in eod.* Q. Marcius Rex, ſuperior, Catonis in conſulatu collega, filium ſummæ pietatis & magnæ ſpei, & quæ non parva calamitatis acceſſio fuit, unicum amiſit

amiſit. Cùmq; ſe obitu ejus ſubrutum & everſum videret, ita dolorem altitudine conſilii coërcuit, ut à rogo juvenis protinus curiam peteret, Senatumq;, cum eo die lege habere oportebat, euocaret. Quod niſi fortiter mœrorem ferre ſciſſet, unius diei lucem inter calamitoſum Patrem & ſtrenuum Conſulem, neutra in parte ceſſante officio, partiri non potuiſſet *Valer. Max. lib. 5. c. ult.* Romanorum cum patientia junctam fortitudinem Craſſus prælio contra Parthos infeliciter commiſſo, cum militum ſuorum animos in ſpem erigere meliorem eſt conatus, adductis exemplis oſtendit, inquiens, Non vos terreant ea, quæ paſſi eſtis: ſiquidem magnas res affectantem, aliquid perferre oportet. Neq; Lucullus Tigranem, neq; Antiochum Scipio ſine ſuorum ſanguine vicit; majores noſtri mille naues apud Siciliam amiſerunt, in Italia multos Imperatores multos duces, neq; horum ullus victus debellare victores deſtitit. Non enim fortunæ bonitate, ſed patientiâ & virtute ad tantam potentiam res Romana pervenit, *Plutar. in eod.*

in eod. Quod de Romanis quàm verè dicatur clades Cannenſis omnium, quas Romana res unquam accepit, cruentiſſima, & Pyrrhi amplisſimæ de iiſdem victoriæ, inter cætera ſatis demonſtrârunt, ut rectè Livius, Magnitudinem populi Romani adverſis propè rebus admirabiliorē, quàm ſecundis fuiſſe, ſcripſerit. *Machiavell. lib. 3. diſput 31.* Idq; potiſſimùm admirabili Senatus & Imperatorum exercitus conſtantiâ: hinc Silius Ital. *lib. 10. bell. Pun.*

Hos mulcens queſtus Fabius, deforme docebat
Cladibus iraſci, vulgumq́ arcebat ab ira:
Adverſis etenim frangi, non eſſe virorum,
Qui Martem inſcribant genti, non poſſe dolores
Condere, & ex pœna ſolatia poſcere luctus.

Demetrius Poliorcetes, Antigoni filius, annos natus viginti duos, cum à Ptolomæo Ægypti Rege, bellatore veterano, ad urbem Gazam ingenti ſtrage fuſus eſſet,

eſſet, non fuit juuenili more attonitus, quòd in rerum gerendarum proſtratus veſtibulo eſſet, ſed veluti conſtans Dux, qui rerum vicibus eſſet verſatus, conſcribendo exercitui, armis parãdis, urbibus in fide retinendis, militibus exercẽdis inſtitit, pauloq́; pòſt, obſervatâ occaſione, Ptolemæi caſtra cum ipſo cepit Duce. *Plutar. in Demetr.* De Alphonſi Aragonii rebus geſtis ſcriptum reliquit Panormitanus, Neapolitano bello ſemel ingenti atq; inuicto animo ſuſcepto, nullâ eum vi, nullâ clade, nullis deniq; difficultalibus ab incepto verti potuiſſe: quin imò â fortuna projectum, vel in hoſtium poteſtatem perductum nunquã triſtẽ ſurrexiſſe, incredibiliq; animi fortitudine, bellum contra omnem expectationem poſt ſecundum demum & viceſimum annum confeciſſe, mortaleſq́; omnes ſuo exemplo docuiſſe fortunam ferendo ſuperari poſſe. *lib. 1. c. 9.* Porus Indorum Rex captus & ad victorem Alexandrum Magnum perductus, cùm interrogaretur, quo tractari modo vellet? reſpondit, Regiè, rurſumq́; interroga-

rogatus, Ecquid vellet præterea? nihil, inquit: hoc enim verbo, Regiè, continentur omnia. *Plutar, Orat. 1. de. Alex. fortun.* Maroboduus, ait Tacitus, ad Tiberium ſcripſit, non ut profugus aut ſupplex, ſed ex memoria prioris fortunæ, *lib. 2. Annal.* Apud eundem Caractaci notanda conſtantia, qui à Romanis captus, neq; vultu demiſſo, nec verbis miſericordiam requirens, in hunc modum exorſus eſt, Si quanta nobilitas & fortuna mihi fuit, tanta rerum proſperarum moderatio fuiſſet, amicus potiùs in hanc urbem, quàm captùs veniſſem. *12. Annal.* In bello quod propter religionem in Germania exarſit, Ioh. Fridericus Saxoniæ Dux & Elector, captus & in conſpectum Caroli V. Cæſaris perductus, ſe principali more haberi, magno animo petiit, nec totâ quinquennali captivitate quicquam conſtanti Heroë indignum commiſit. *Sleidan. lib. 19* Sic Franciſcus I. Galliæ Rex, etſi captivus ſemper mores & ſpiritus regios retinuit. *Guiciard. & Iovius.* Atque cum iſthoc patientiæ ſcuto in ipſa quoque morte honeſtas Magiſtratui retinenda eſt. Phocio-

nis de Athenienſium Rep. optimè meriti, ſed indignis modis capitis damnati, admirationi fuit conſtantia. Nam ad carcerem ductus amicis ac neceſſariis undiq; lamentantibus, ipſe vultum haud alium, quàm ubi Imperator comitatus hominum catervâ domum iret, gerebat: quin etiam inimico in ipſius faciem conſpuente, ad Magiſtratus conuerſus, hoc tantum dixit: Nemòne hujus inverecundiam compeſcet? *Plutar. in eod.* Agis Rex Laconum populari factione in carcerem abreptus & laqueo addictus, cùm flentem quenduam ex miniſtris & ingemiſcentem vidiſſet, mitte tu me, inquit, deflere. Etenim ego qui ita nefariè & violenter pereo, præſtantior ſum interfectoribus. Ita fatus collum ultrò obtulit laqueo. *Plutar. in eod.* Quàm me delectat Theramenes, inquit Cicero, *1. Tuſculan. quæſt.* quàmque elato animo eſt! etſi enim flemus cùm legimus, tamē nō miſerabiliter vir clarus emoritur, qui, cùm conjectus in carcerem triginta juſſu tyrannorum venenum ut ſitiens obbibiſſet, reliquum ſic è poculo ejecit, ut id

ut id reſonaret. Quo ſonitu reddito, arridens, Propino, inquit, hoc pulchro Critiæ, qui in eum fuerat teterrimus. Profectò (exclamat hic Valer. Max. *lib. 3. c. 2.*) eſt ſupplicio ſe liberare, tam facilè ſupplicium perpeti!

Cæterùm in hac quoque virtute Magiſtratui prudenter verſandũ eſt, ut quavis in actione, bonum illud atque honeſtum, cui conſtanter inhærendum eſt, rectè dijudicet, & ſic innitatur honeſtati, ut ſi absque ejus fieri læſione poſſit, etiam utilitas conjungatur, ubique temporum, locorum, hominũ, conſideratione habitâ. Appoſitè Claudianus de bello Getico:

ductorq; placebat,
Non qui præcipiti raperet ſimul omnia caſu,
Sed qui maturo vel læta vel aſpera rerum
Conſilio momenta regit.

Tale fuit Marcelli monitũ: Multa ſunt magnis ducibus, ſicut non aggredienda, ita ſemel aggreſſis non dimittenda, quia magnæ famæ momentum in utramque partem fiat. *Liv. lib. 24.* Eâ de re quædam pruden

prudentiæ exempla adſcribere lubet, ex quibus ſimilia judicentur. Politici ſemel receptas in Rep. leges mutari vetant, & hanc conſtantiam requirunt ideò, quòd leges humanæ cauſſam à Magiſtratu, robur à conſuetudine habeant, utriuſque contemtum & perniciosam non obtemperandi legibus conſuetudinem crebra mutatio pariat. *Ariſtot. 2. Poltic. 6.* etiam experientiâ certum ſit, tutiſſimè eos agere, qui præſentibus moribus, legibuſque, etiamſi deteriores ſint, minimùm variantes Remp. adminiſtrant. *Thucyd. 6. Machiavell. 1. de Rep. 32. in f.* Attamen legum oportunitates & medelas pro temporum moribus & pro Rerump. generibus, ac pro utilitatum præſentium rationibus, proque eventuum, quibus medendum, fervoribus, mutari ſoleri ac flecti, ignorandum non eſt, *Gellius lib. 20. c. 1.* Ita prudenter Auguſtus ſub initia imperii non omnia ſtatim, uti decretum erat, executus eſt, veritus, ne parum ſuccederet, ſi ſimul homines transferre & invertere vellet, ſed quædam ex tempore diſpoſuit, quædam rejecit in

eit in tempus. *Dion. lib. 52.* Hoc modo victis populis priſtinis legibus ac conſuetudinibus ut vivant permittendum, dum modò non ſint tales, quæ rebellendi ventilare ſpiritum poſſint, aut aliàs impiæ & inhoneſtæ. Nã quia ſubitæ mutationes periculoſæ ſunt, Magiſtratus non facile quidquam ex antiquo movebit: quòd ſi movere neceſſe ſit, paulatim id fiat Naturam imitetur, quæ inter æſtatẽ hyememq; autumnum interponit, ſemina perquam exigua in arbores excelſas creſcere jubet, ſed tam occultè, ut nemo ſentiat, rerum quin etiam extrema inter ſe diſcrepantia ordinibus aptis ita conjungit, ut nulla vis magnavè mutatio adhibeatur. Eâdem prudentiâ Princeps ad regnum recens evectus prædeceſſoris ſui conſiliarios non facilè commutabit, à quibus multa gubernationi utiliſſima diſcere poterit, niſi manifeſtè improbi illi cõvincantur. *P. Gregor. 24. de. Rep. 6. n. 15.* Ex hoc principio ſuadent: ne majores Magiſtratus apud unũ eundemque hominem ſint diuturni, unde is potentiam nimiam acquirere & res

novas movendi arripere occaſionem poſſit. Verùm in omnibus Rerump. generibus hoc locum non habuerit, nec obſeruatum ſemper à Romanis fuit, qui temporibus & negotiis ita poſtulantib⁹ ſummas dignitates & imperia Magiſtratibus interdum prorogarunt. Imperatorum quoq; temporibus idem nonnunquam utile judicatũ. M. Antoninus Pius nulli eorum, quos Adrianus provexerat, ſucceſſorem dedit, fuitq; eâ conſtantiâ, ut ſeptenis & novenis annis in provinciis bonos præſides detineret. *Capitolin.* Non probitatem miniſtrorum, ſed aliam hujus rei cauſam Tiberius Cæſar habuit. Nam interrogatus, Cur non tam facilè magiſtratus & præfecturas ſuas mutaret? reſpondit, Naturâ omnes, qui rerum adminiſtrationi præſint, pecuniæ cupidos, ſi diutius in magiſtratu verſentur, ſegniores ad quæſtum faciendum fieri: Muſcas pariter, ſi diutius corporum ulceribus inſideant, minùs moleſtè ſentiri, ſanie ulcerum ad ſatietatem usque expletas. *Nicephor. Calliſt. Eccleſ. hiſtor. lib. 1. c. 17. add. P. Gregor.*
4. de

4. de Rep. 5. n. 36. & 37. Idem de ſententiæ in Republ. mutatione ſtatuendum eſt. Demades cùm inconſtantiæ in dicendis ſententiis argueretur, Se ſibi quidem ipſi contraria ſæpè, ſed nunquam contraria Reip. dixiſſe, reſpondit; *Plutar. in Demoſth.* Neque enim inconſtantis eſt, ſententiam, tanquam aliquod navigium aut curſum, ex Reip. tempeſtate moderari, *Cicer. pro Planc.* Temporibus namque aſſentiendum, nec permanendum in una ſententia converſis rebus ac bonorum voluntatibus immutatis. Nunquam enim præſtantibus in Rep. gubernanda viris laudata eſt in una ſententia perpetua permanſio, ſed ut in navigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiamſi portum tenere nequeas: cùm verò id nequeas, ſtultum eſt, eum tenere cum periculo curſum, quem ceperis, potiùs, quàm eo commutato, quò velis, tandem pervenire: ſic cùm omnibus in adminiſtrãda Rep. propoſitũ eſſe debeat cum dignitate otiũ, non idẽ ſemper dicere, ſed idẽ ſemp ſpectare convenit. *Idem*

1. Epiſt. famil. 9. Ita ſapiens ad eundem ſemper contendit ſcopum, quamvis nō eàdem ſemper viâ. Oportet itaque tanquam in talorum jactu, ad id quod ceciderit, res ſuas in Rep. aptare, quocunq; modo ratio id optimum eſſe dixerit: nō autem, quaſi pueros, ipſos quoque cadentes, firmiter eam rem tenere, in quâ inpegeris, & clamando quiritandoque tempus conſumere. *Plato de Rep. 10.*

Et fortitudo præcipuè bellica illam diſcretionis trutinam deſiderat, cujus præcepta ad ea, quæ ſupra de ſtratagematis ſuccinctè admodum ſtrictimque attigimus, non malè retuleris. Fortitudine enim bellicâ adverſus injurias uſurus Magiſtratus, non facilè omnes ſuas vires in certaminis unius aleam conjiciat: caveat, ne à tergo ſimul, & à fronte oppugnetur, præſertim hoſtibus impar: ſed potiùs fugâ ſimulatâ, aliiſque modis, aut locorum anguſtiis concluſos, hoſtes in inſidias præcipitet & circumveniat; aut diſtractos pluribus locis pugnare, vel etiam bellum alio transferre cogat: pugnantium aciem perrumpat, ſuam contineat:

tincat: cum deſperatis temerè manum ne conſerat: fugientibus exitum aliquem atque elabendi locum relinquat, ne fortitudo deſperatione ſalutis in furorem convertatur: victos aut jam fuſos inſectetur circumſpectè, nec longiùs ſineq; ordine prędæ cupiditate nimiâ procedat & diffundatur; ita tamen frangat debilitetq; hoſtes, ut bellicæ fortitudinis finem conſequatur, nempè injuriæ propulſationem, pacemq; tutam. Aut ſi ipſemet tetga vertere neceſſe habeat, reliquias exercitus incolumes ſervet, ſuisq; fugam ſecuram efficiat, viâ fugiendi tutâ, aut loco aliquo communito, aut etiam rebus precioſis abjectis, quibus prædandis hoſtes inſequentes detineantur. Et ſi nõnunquam expediat ſpem effugii militibus ſuis ante pugnam adimere, nempè ſi animo ſint abjecto, ſi iis non ſatis confidere, aut aliàs ſperare victoriam Dux poſſit, ſic enim fortiùs pugnabunt. Atq; ut bellum Magiſtratui non facilè ſuſcipiendum, ita honeſtè ſemel ſuſceptum conſtanter urgendum, nec ad petendam ſubitò pacem ſe adigi permittendum,

Digitized by Google

quòd alterum levitatis, alterum infirmitatis ſit argumentũ, utrumq; contemtũ pariat. Nihilominùs clade acceptâ rebusq́; inclinatis ſe quoq́; inclinet Magiſtratus, nec fallaces ſpes, vireſq; inanes ſibi fingat & proponat, atq; intempeſtivâ mali diſſimulatione cladis nuncios occultet, ſed rebus in dies magis magisq; peſſum euntibus, quavis honeſtâ conditione maturè pacem accipere malit, quàm pertinaciam calamitati adjungere, ſeq; perdere funditùs, præſertim cùm hoſtis pacem non abnuit, & æqua ab ipſo poſſunt impetrari. Nec enim exſpectandum, donec viribus exſutus ſis omnibus: quandoquidẽ de pace agendi tempus illud optimum & commodiſſimum cenſetur, dùm ſibi uterq; hoſtis confidit, & pares ambo videntur, nec dum virium inter ſe fecerunt periculũ. Etenim juxta verbum vetus, ſub clypeo meliùs ſuccedit pacis negotium. Aut fortè armorum præſidio dejectus omni, ſe fidentem tamen, quantum poteſt, & animo in bona cauſa eſſe erecto oſtendet, & hoſti metũ aliquem incutiat, qualicunq́; virium reparatione, licet infirmior ſit, quàm ut re-

ſiſtere poſſit. Sic pacis tractatione inſtitutâ, quamuis omni ſpe & auxilio orbatis pax interdū etiā ſuſpecta accipienda ſit, dùm non præſens periculū illa contineat, ſed commodam reſpirandi dilationem concedat: inhoneſta tamen, ignominioſa, & manifeſta turpis nunquam admittenda eſt: cùm laudabiliùs ſit probis & magnanimis viris honeſtè mori, quàm cum dedecore ſervire & vivere. Moriendum enim eſt omnibus, & id commune: at intereſt, quomodo, quave de cauſa, an probroſâ, an honorabili, animam & vitam effundas, *P. Gregor. 11. de Rep. 12. n. 12. Bodin. 5. de Rep. 5. Lipſ. 5. Polit. 18. & ſeqq. Zechius 2. Polit. 4. n. 5. & lib. 3. c. 5. n. 3.*

BONÆ FAMÆ STVDIVM inter virtutes hominis ad ſe ipſum nō dignitate, ſed naturâ poſtremum eſt. Quamuis enim bonæ Famæ qui ſtudet, ſui propriè gratiâ, non alterius hoc facit, hæc tamen virtus omnes non modò divinas, ſed humanas etiam virtutes alias includit, quòd Fama bona pietatis pariter & honeſtatis actionibus comparanda ſit, quin & artium cultu illarum, quæ veram laudem conciliare ſuo poſſeſſori poſſint, & bonæ ju-

dicantur. Sic ergo ſtudio bonæ famæ Magiſtratus imponat coronidem virtutibus, quæ ad ipſum immediatè porriguntur, & pièatq; honeſté factis ultrò ſeſe offerentem comitem gloriam amplectatur & teneat.

Cauſam bonæ famæ notavit Ageſilaus Spartæ Rex, qui interrogatus, Quâ ratione potiſſimum quis aſſequi poſſet honeſtam inter homines famam? Si loquatur, inquit, quæ ſunt optima, & faciat quæ ſunt honeſtiſſima. *Plutar. in apoph.* Et Cicero, Ea eſt gloria, inquit, laus rectè factorum magnorumq; in Remp. meritorum, quæ optimi cujuſq; magnitudine & teſtimonio cōprobatur. *1. Philipp.* & alibi, Gloriam definit illuſtrem & pervagatam multorum & magnorum, vel in ſuos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum, famam meritorum. *Pro Marcell.* Eum verum triumphum eſſe ſtatuit, cùm benè de Rep. meritis teſtimonium à conſenſu civitatis datur. *14 Philipp.* Suum gloriæ ſtudium profitetur, cùm ait: Nemo noſtrûm in Reip. periculis cum laude ac virtute verſatur, quin

Digitized by Google

quin ſpe poſteritatis fructuq; ducatur, *Pro C. Rabir.* Spartanorum mirari gloriæ ſtudium fas eſt, quorum Reges priuſquam irent in prælium, Muſis ſacrificarunt, cùm nihil videretur eſſe Muſis cum Marte cõmercii. Cauſam interrogatus Eudamidas, reddidit talem, Ut nempè rebus fortiter geſtis contingat honeſta commemoratio. Benè gerendæ rei laudem ſibi ante prælium fixâ animi confidentiâ proponebant: ut autem egregia facta ſplendidis verbis celebrarentur, hoc à Muſis eloquentiæ præſidibus petendum judicârunt, ſimul admonuerunt, non expetendam honorificam memoriam, niſi rectè factis promeritam. *Plutar. in Apoph. Lacon. & in Lyſandr.* Philippus Macedo quibuſdam ſuadentibus, ut durius in Athenienſes conſuleret, Illos ineptos eſſe, dictitavit, qui viro gloriæ causâ nihil non facienti & perpetienti ſuaderent gloriæ ſuæ theatrum projicere: ſignificans, ſeſe hoc agere, non ut Athenas everteret, ſed ut civitati celeberrimæ doctiſſimorum virorum copiâ florenti ſuas virtutes pro-

Q 5

Digitized by Google

baret. Atq; eadem gloriæ ſpe ob Græci nominis celebritatem Antigonus Macedonum Rex filium ſuum Demetrium ad liberandos Græcos numeroſâ claſſe miſſum exſtimulauit. *Eraſm. 4. Apoph. ex Plutar.* Alexander ille Magnus, cùm mirè hilarem nuncium accurrentē conſpiceret, dextramque porrigentem, Heus tu, quid mihi, inquit, es nunciaturus? ecquid revixiſſe Homerum? Quòd nihil faſtigium ſuum præterquam nomen ad poſteros deſiderare arbitraretur. *Plutar. de virt. provect.* In Phrygiam vectus, Achillis ſepulcrū coronis ornavit, felicem eum prædicans, cui vivo tam fidum amicum, mortuo autem tam magnum contigiſſet habere præconem Homerum. De Chœrilo Poëta non bono ſæpè dicere ſolitus fuit, Homeri ſe Therſitem eſſe, quàm hujus Hectorem aut Achillem, malle. Tulit tamen ejus de ſe ſcripta, non tam quòd probaret, quàm ut ad ſcribendum alios invitaret, ſingulos ejus verſus bonos Philippeo nummo redimens, pro malis colapho impacto. *Plutar. in eod.* Themiſtoclis fervens

laudis

laudis cupiditate reſponſum fuit, qui theatrum petens cùm interrogaretur, Cuj⁹ vox auditu illi futura eſſet gratiſſima? dixit, Ejus, à quo artes meæ optimè canerentur. Partâ de Xerxe Perſarum rege victoriâ, cùm Olympicis ludis ipſe in ſtadium veniſſet, & omnes qui tum aderant, nullâ decertantium ratione habitâ, in ipſo ſpectando, hoſpitibusq; demonſtrando & applaudendo totã diem conſumſiſſent, apud amicos confeſſus eſt, Tunc ſe fructum laborum ſuorum, quos pro Græcia pertuliſſet, percepiſſe. *Plutarch. in eod.* Nec ob rem aliam Scipio Major Ennium, Pompejus Theophanẽ Mitylenæum, Decius Brutus Accium coluit. *Valer. Max. lib. 8. c. 14.* C. Marius etſi illiteratus, literatos tamen fovit, L. Poltium & Licinium Archiam. *Cicer. pro Archia.* Alphonſus Aragonius Ant. Panormitam, inſignem ejus ſeculi Poëtã, & Barthol. Faccium hiſtoriæ ſcribendæ peritum, ſecum habuit. Magni quippè æſtimarunt viri præſtantiſſimi, ſi ad nominis ſui memoriam, quam hominum mentibus virtute im-

preſiſſent, literarum quoq; lumen accederet: illud Ciceronis comprobarunt: Neminem tam eſſe averſum à Muſis, qui non mandari verſibus ſuorum laborum facilè præconium patiatur, & optimi cujuſq; animum maximè ad immortalitatem gloriâ niti. *Pro Archia & in Caton. Major.* Hàc moti omnibus temporibus viri præclaris rebus geſtis magni in locis extremis, ad quæ cum exercitu vel claſſe penetraſſent, aliquod ſuæ expeditionis monimentum reliquerunt. Sic Bacchus colūnas duas erexit in Oriente, Alexander Magnus Indicæ militiæ terminos aras apud extremos Indos conſtituit. *Strab. lib. 3.* Hercules apud Gades duos montes, ut Dionyſius de ſitu orbis commemorat, ſuæ fortitudinis indices reliquit: Darius Rex ad Tearum amnem Thraciæ, cippum erexit, cum inſcriptione geſtorum ſuorum, *Herodot.* Auguſtus Cæſar Actiacæ victoriæ urbem Nicopolim apud Actium: Trajanus Imperator aliam Nicopolim in Iſtri ripa Myſorum & Dacorum devictorum teſtem condidit. *Sveton, Bonfin, lib. 1, decad. 1.* Idem indicant

dicant urbes ab Alexandro Magno nominatæ in India, apud Aſſyrios, Ægyptum atq; Aſiã, item à Seleuco Seleucia, Antiochia ab Antiocho, Cæſariæ quoq; per terrarũ orbẽ à Cæſaribus conditæ, nimirum, immenſum famæ deſideriũ, quia ſperabant hujuſmodi urbiũ conditores eâ appellatione, additis ſimul præclarè geſtis rebus, ſe æternitati nomina ſua conſecraturos. *Fulg. lib. 8. c. 15.* Alii arma, ſtatuas, imagines, tabulas, picturas, columnas, & alia ſuæ virtutis perpetua voluerunt extare in mundo encomia. Nec bonam hanc contemſit famam Ageſilaus, cùm neque pictam neque fictam, neque ſculptam ſuam eſſe imaginem voluit: ſed quòd externa illa ambitioſa monimenta duceret inania eſſe, niſi verâ virtutis baſi ſuffulta. Cæterum animi elaborare monimenta nunquam deſtitit, cùm ita conciperet, illud ſtatuariorum, hoc ſuum ipſius eſſe opus: rurſumque illud eſſe locupletum, hoc autem bonorum. *Cicer. in Epiſt. ad Luceium.* Quam ſuam mentem etiam clarius explicavit, cùm jam moriturus, ſi quod,

inquit, præclarum facinus geſſi, hoc erit monimentum mei: ſin minus, ne omnes quidem ſtatuæ, cùm ſint vilium ac nullius rei opificum opera, illuſtrabunt mei memoriam. *Plutar. in apoph.* Nec alio ſenſu M. Cato ſenior conſpiciens multorum erigi ſtatuas, Malim, inquit, ut de me quærant homines, quam ob rem Catoni non ſit poſita ſtatua, quàm, quare ſit poſita? ſentiens, ſe malle res præclaras gerere, ut olim ſcientes illum meruiſſe ſtatuam mirentur non eſſe poſitã. *Plutar. d. l. Plin. de vir. Illuſtr.* Nec enim honor in ſplendore titulorum, ſed in judiciis hominum reponendus. *Plin. in paneg. ad Trajan.* Et quidem non pauci ex poſteris ejuſmodi publicorum monimentorum ſplendore incitati, ſuam quoque nominis famam paribus virtutis actionibus futuris commendare ſeculis, nec iiſdem finibus gloriam quibus vitam ſuam, terminare ſummoperè cõtenderunt. Sic Themiſtoclem non ſivit dormire aut ſocordem eſſe tropheum Miltiadis. *Valer. Max. lib. 8. c. 14.* Julium Cæſarem Alexandri Magni imago ad captan-

captandas quamprimùm majorum rerũ occaſiones impulit. *Sueton.*

Ac ſanè Romanos inter gentes omnes alias ad veram gloriæ præſtantiam proximè acceſſiſſe videntur: id quod tot præclara ipſorum inſtituta planum faciunt, præſertim circa magiſtratus non ambitione & largitionibus, ſed virtute ac meritis, rebusque egregiè domi militiæque geſtis adquirendos. Mos enim erat Romæ, ut qui Magiſtratum aliquem petebant cives prenſarent togis in comitiis ſine tunicis amicti, ſivè quò magis eâ ſpecie ſubmitterent ſe ad petitionem, ſive quò ſubjicerent oculis qui cicatrices habebant, perſpicuas virtutis notas. Nam populus ſine ſuſpicione largitionis & ambitus diſcinctum volebat & ſine tunica ad comitia progredi candidatum. Suæ enim Reip. fundamenta in optimis moribus, in Deorum metu ac virtutis honore collocarunt, ut in bello fortes, atque domi juſtitiæ amantes eſſent, atq; inprimis ex majorum inſtitutis temperantiam, ac rem militarem curarent. *Plutar. in Romul.* Et quanquam ſerò multis

demum

demum ſeculis pòſt, nundinatio, & redemtio ſubiit, intervenitque comitialibus ſuffragiis pecunia, quin etiam in judiciis & ad exercitus corruptela progreſſa, ſeveriſſimis tamen legibus huic vitio ſemper itum obviam fuit. *Plutar. in Coriol. Alex. lib. 3. c. 17.* Nam & Honoris ac Virtutis templum ita ædificarunt, ut nemini pateret ad cellam Honoris aditus, niſi priùs patefactâ Virtutis portâ: præmia virtutis eò ducebant præſtantiora, quò ab utilitate & quæſtu abeſſent lõgiùs: ſupplicium ignominiâ majus nullũ eſſe arbitrabantur: quæ propria eſt & genuina gloriæ natura. Exinde plerique magnis facinoribus apud Romanos nobilitati viri diem ſuum obierũt pauperes, quòd nullum aliud quærerent virtutis ſuæ præmium gloriâ præſtantius. *Bodin. 5. de Rep. 4.*

Fuit tamen hoc Ethnicorum, eſtque adhuc hodiè omnium illorum mancum admodum & imperfectum bonæ famæ ſtudium, iis tantùm in virtutibus defixũ, quibus ſola honeſtas erga homines deſignatur. Quod ipſum quidem ut improbandum

bandum nequaquam ſit, totum tamen bonæ famæ curriculum non circumſcribit, ſed optimam ejus partem, nimirum ſanctas erga Deum pietatis Chriſtianæ actiones præterit & intra humanarum virtutum anguſtias famæ ſuæ ac gloriæ ambitum determinat. Sanè quidem ultrà mundanum hominum & inter homines gloriam,nihil hìc quærimus, ſed quæ ipſa tamen plena atq; perfecta cenſeri haud queat, hâc pietatis & actionū ad Deum relatarū laude detractâ: quòd conſentiens bonorum de noſtra virtute exiſtimatio, ac rectè judicantium incorrupta vox iſtam pietatis commendationem nunquam omittit, ſed ad perfectionem gloriæ omninò requirit. Et hactenus quidem, quantumcunque fuit Romanorum bonæ famæ ſtudium ingenti vanitatis labe non caruit: uti cæteras etiam virtutes Ethnici non intus & ſerio animi affectu,ſed ferè ore tantùm aut certè externâ duntaxat ſpecie & ad pompā coluerunt,Auguſtini eâ de re verba,quia graviſſima ſunt, adſcribere placuit: Qui libidines turpiores, inquit, fide pietatis, impetra-

impetrato ſpiritu ſancto, & amore intelligibilis pulchritudinis non refrenant, meliùs ſaltē cupiditate humanæ laudis & gloriç, non quidē jā ſancti, ſed minùs turpes ſunt. Tullius in lib. de Rep. ubi loquitur de inſtituendo Principe Civitatis, dicit, alendū eſſe gloriā, & conſequenter commemorat Romanos multa mira atq; præclara gloriæ cupiditate feciſſe. Huic ergo vicio nō ſolū nō reſiſtebant, verùm etiàm id excitandum & accendendum eſſe cenſebant, putantes hoc utile eſſe Reip. Itaq; gloriam ingentem, divitias honeſtas volebant: hanc ardentiſſimè dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hac & mori non dubitaverunt, cæteras cupiditates hujus unius ingenti cupiditate preſſerunt. Ipſam denique patriam ſuam, quoniam ſervire videbatur inglorium, dominari verò atque imperare glorioſum, priùs omni ſtudio liberam, deinde dominam eſſe concupierunt. Hoc etiam Deorum apud illos ædes indicant, quas conjunctiſſimas conſtituerūt, Virtutis & Honoris, pro diis habentes, quæ dantur à Deo. Undè intelligi poteſt,

teſt,quem finem volebant eſſe virtutis & quò eam referebant, qui boni erant, ad honorem, ſcilicet. *lib. 5. de civit. Dei c 12.* Proinde Magiſtratus mutilatum ac inane illud ſtatuat Gloriæ ſtudium, quod altiùs humanis virtutibus non attollitur, nulloq; pietatis erga Deum fulgore ſcintillat, ſine qua illæ quicquid ſplendoris habere videntur, perdunt. Nam ut maximè Ethnicorum gloria in mundo eſſe aliqua putatur, homini tamen Chriſtiano, quia pietatis laude non illuſtratur, nequaquam ea ſolida & integra.

Caput itaque bonæ Famę Magiſtratus pietatem Chriſtianam eſſe dicimus, cui virtutes, tam privatæ quàm publicæ honeſtati inſervientes, adjunguntur. Quam gloriæ palæſtram Magiſtratus cum reliquis hominibus communem habet, iſtam ſibi ſoli vendicat, quę in ejus officio proprio eſt. Nã in eo quoq; eſſe totus debet, ut propter res pace ac bello in Rep. præclarè geſtas apud omnes benè audiat. Hæc virtus, hoc ſtudium, acre eſt in optimi cujuſq; animo calcar, quod noctes dieſq; mentem ad officii ſui partes laudabiliter

biliter exſequendas, exſtimulat. Magiſtratus quidem eminentia, ut optimè, ita peſſimè audiendi pronam occaſionem habet; & hiſtoriarum monumenta quid ferè aliud, quàm bonorum Magiſtratuũ laudes, improborum vituperium continent? ſi quis igitur gloriæ ac poſteritatis ſenſu movetur, nomen ſuum & præſentibus, & futuris commendatum atque honoratum eſſe velit. Ad hanc gloriæ arcem per officii proprii egregiè adminiſtrati gradus conſcendẽdã, Magiſtratui duces & adminiſtræ ſunt adſciſcendæ præclariſſimæ artes, quarum omnibus Reip. temporibus eſſe uſus ſolet: quòd neminem oporteat, vel plura, vel meliora ſcire, quàm principem, cujus doctrina poſſit omnibus prodeſſe ſubjectis, *Veget. in proem. lib. 1. de re militar.* Platonis quaſi ex tripode vox: Tùm demum beatas fore Reſp. cùm aut regnarent philoſophi, aut Reges philoſopharentur. Nulla autem laudabilior philoſophiæ pars eſt, quàm agere negocium publicũ, cognoſcere, judicare, promere & exercere juſtitiam, quæque philoſophi doceant

in

in uſu habere. *Plin. Epiſt. 2.* Magnã laudem meretur Magiſtratus,ſi cum Achille *ποδώκεως* encomiũ ferat. *Homer. paſſim:* cum Epaminonda agili totius corporis omniumque membrorum motu ac promtitudine ſingulari præſtet. *Alex. lib. 2. c. 25.* cum Totila Gothorum rege equum diverſim calcaribus concitando in orbẽ frænis agiliter agere,obequitãdoque telum in auras ſurſum verſas aptè diverberare, & ipſum id rurſum ad terram delatum impigrè momento temporis receptum vibrare, & idem alternatim per manus transferre, & ſe ſuper equum ſupinare & viciſſim ad terram & in latera inclinare. *Sigon. lib. 19. Imp. Occid.* cũ Gelone alacriter & expeditè in equum inſilire. *Plutar. in apoph*; cum Julio Cæſare reductis retrò manibus atque in tergo complicatis incitatiſſimè equũ permittere. *Plutar. in Caſ.* cũ Mithridate Ponti Rege ſexjuges equos regere. *Plin. de vir. Illuſtr.* cum Fl. Claudio Imperatore inter fortiſſimos pugiles numerari. *Criſpin.* cum Commodo, Domitiano,& Gratiano Impp. certâ manu, quicquid oculo deſtinarit, jaculo & ſagittâ con-

tingere. *Sabell. lib.5. Enn.7. Sveton.* cum Iulio itidem Cæſare ſublatâ lævâ & paludamento mordicùs arrepto, per ducentos paſſus nando evadere, *Sveton.* facere multa alia poſſit, quæ ad corporis robur uſumq; militarem conducunt: ſed quantum illa majora ac præſtantiora ſunt ad officium Magiſtratus cum laude perficiendum adjumenta, quæ artes liberales animo ſuppeditant? Ad religionem veram à falſa diſcernendam, ad liberalium artium ſcholas inſtituendas, ad jus in foro dicendum, ad caſtrorum metationem, oppidorum expugnationem atque aciei ordinationem, ad publica munia alia obeunda, ſincerâ verbi divini cognitione, judicandi dicendique facultate, mathematicis diſciplinis opus eſt, flagitatur prudentia ſumma ac ſingularis, hiſtoriarum, optimorumq; autorũ lectione obſervata. Eos namque maximè decet, qui populos regunt benè gubernãdi rationem ex aliorum præceptis colligere, quod fieri ſine doctrina & lectione non poteſt, *Platin. in Iohan. II.* Demetrius Phalereus Ptolemæo Regi ſva

debat,

debat, ut libros de regno & principatu pararet & legeret: de quibus enim amici Reges monere non audent, ea in libris exſtare. *Plutar. in apoph.* Alphonſus Aragonum & Siciliæ Rex, ſe regno carere malle, quàm literis, dixit. *Panormit.* In polyarchiis, præſertim populari ſtatu, ubi verbis regendus eſt populus, ars benè & ornatè dicendi potiſſimùm valet. Unde Cicero, Ei, inquit, cui Reſp. commiſſa, neceſſaria eſt oratio, & ſapientia, quâ regat populos, quâ ſtabiliat leges, quâ caſtiget improbos, quâ tueatur bonos, quâ laudet claros viros, quâ præcepta laudis & ſalutis aptè ad perſuadendum edat ſuis civibus, quâ hortari ad decus, revocare à flagitio, conſolari poſſit afflictos, factaq; & conſilia fortium & ſapientum cum improborum ignominia ſempiternis monumentis prodere, *1. de LL.* Demoſthenes, immodicum eloquentiæ ſtudium objicientibus, ita reſpondit: Eloquentiæ ſtudium declarare hominem popularem, contra negligere ſtudium eloquentiæ, eſſe eorum, qui dominari populo quærerent, ut qui hoc agerent

agerent, non ut perſuaderent dicendo, ſed vi cogerent. *Plutar. in Demoſth.* Hac apud Græcos & Romanos ampliſſimi Magiſtratus ſemper claruerunt, quorum catalogum benè longum Cicero recenſet in libro, qui Brut⁹ inſcribitur: Et lib. 1. de Orator. Hæc una res, inquit, in omni libero populo, maximè q; in pacatis tranquilliſq; civitatibus præcipuè ſemper floruit, ſemperq; dominata eſt, poſſe dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere quò velis, unde autem velis, deducere. Atq; hac, aliisq; diſciplinis Monarchæ quoq; non pauci ad imperandum inſtructiſſimi acceſſerunt, nominisq; ſui famam æternitati cõmendarunt. Salomonis Regis Iudæorum ſapientia propè humanum captum exceſſit, unde & regum quotquot unquam vixerunt celebratiſſimus habetur. 1. *Reg. 3. v. 12. c. 4. ver. 29. & ſeqq. c. 10. v. 1. & ſeqq. ver. 23. & 24. 2. Chronic. 9. in pr. & ver. 22. & 23.* Perſarum potentiam adortus eſt Alexander Macedo ſublimitate animi, inteligentiâ, temperantiâ, fortitudine inſtructus à philoſophia, pluribus-

busq; à præceptore Ariſtotele, quàm à Philippo parente, præſidiis adornatus. Homeri Iliadem & Odyſſeam pro levamine laborum, traducendi temporis & fallendi otii causâ, comites adſumſit. Verum autem ſubſidium præcepta philoſophiæ fuere, & de animi fiducia, de fortitudine, de continentia item & celſitudine animi commentarii. *Plutar. orat. 1. de fort. Alex.* C. Julius Cæſar quem armorum laus & victoriarum gloria cœlo æquarunt, à ſtudio literarum, quamvis in medio bellorum ardore, non abſtinuit: præter alia plurima eruditionis ſuæ monumenta, maximè inſignia illa duo voluit extare: unum quòd anni totius ordinem, & biſſexti rationem, quidquid de menſura ævi vetuſtioris in eum uſq; diem vel ignotum, vel confuſum fuerat, ſummo ſtudio digeſſit, literisq; & memoriæ tradidit poſterorum, atq;, ut in Saturnalibus ſcriptum eſt, omnem conſtantiam temporis, vagam adhuc & incertam, in ordine ſtatæ diffinitionis coëgit, & edicto palàm poſito publicavit: alterum, quòd rerum à ſe

geſtarum tàm Gallici quàm civilis belli libros edidit ſuavi venuſtate & heroicâ gravitate. *Sueton. Gyrald. dial. 5. hiſt. Poet.* Auguſtus Cæſar liberalia ſtudia ab ineunte ætate cupidè & laborioſiſſimè exercuit, Mutinẽſi bello in tãta mole rerũ & legiſſe & ſcripſiſſe, & declamaſſe quotidiè fertur. Nec latinis modò, ſed græcis, nec rhetoricis tantũ, ſed & philoſophicis delectatus eſt. *Gyrald. d. l.* Trajanus Imperator doctrinâ non minùs quàm bonitate & rerum geſtarum gloriâ admirabilis fuit. *Cuſpin.* M. Antoninus Imperator ob excellentem philoſophiæ cognitionem, Philoſophi cognomentum accepit. *Suidas*, celebrati eodẽ nomine ſunt primorum Cæſarum Romanorum plurimi alii, quorum pleriq; literis & eloquentiâ adeò exculti fuiſſe ſcribuntur, ut in cunctis vitiis nimii fuiſſent, tantæ virtutes modica flagitia texiſſent. *Aurel. victor.* Carolus Magnus, qui Romanorum imperium ad Germanos transtulit, cùm atis ad naturam excellentem adjumenſti, tùm rerum cæleſtiũ cognitione, tùm liberalium artium ſtudiis, tùm denique

cre-

crebris exercitationibus, miſcendo arti virtutem, & virtuti artem, ſibi comparaſſet, omnem præclariſſimæ rei uſum ad Reip. utilitatem contulit. Nam morẽ fecerat uſus, ut & domi virtutis exemplum & foris Imperator optimus eſſet, videreturq́; , alto fruens pectoris ſulco probi, conſilia ex quo germinabant pulcerrima. Etenim præter ſacrarum literarum ſcientiam, Muſicæ, Aſtronomiæ, & Coſmographiæ notitiam habuit: nec ſolum patriâ linguâ, ſed etiam peregrinis eruditus fuit. *Aventin. lib. 4. Annal. Sigebert. Æmil. lib. 2. reg. Franc.* Fridericus II. Imperator in ſingulis philoſophiæ partibus non tantùm rudimenta primâ deguſtavit, ſed fontes ipſos introſpexit atq́; exhauſit: auxit ornamenta, imunitates & dignitates ſcholaſtici ordinis, latis de his ac ſancitis legib. publicis. *vid. tit. C. ne filius pro patre. Ph. Melanchth. 5. Chron.*

Πολυγλωττίαν quoq́; quantum Magiſtratui ad Remp. laudabiliter gerendam cõferre putamus? P. Craſſus profectò cũ in Aſiam ad Ariſtonicũ Regẽ debellandũ

Conſul veniſſet, omniaq; linguæ Græcæ genera penitus cognoviſſet, eo ipſo maximum ſibi ſociorum amorem conciliavit, quod eorum linguâ, quâ quisq; apud tribunal ejus poſtulaverat, decreta redderet. *Valer. Max. lib. 8. c. 7.* Godefredus Bilionius Comes, in bello ſacro, quod pro Palæſtina recuperanda geſtũ eſt, diſcordes ſæpè ac diſſidentes militũ ac ducum animos linguarum peritiâ conciliavit. *Æmil. lib. 4.* Otto III. Imperator à Saracenis captus beneficio linguæ Græcæ evaſit, quòd pro Græco haberetur. *Aventin. 5. Annal. Bojor.* Hinc Themiſtocles patriâ pulſus & ad Xerxem Regem, quem paulò ante devicerat, confugere coactus, ne peregrinâ linguâ Regis aures offenderet, Perſicam prius didicit. *Plutar. in Themiſt.* Turcæ Barbarorum ferociſſimi & à literis maximè alieni, cùm reipſa lingvarum utilitatem maximã eſſe videant, quot linguas quis callet, totidem viris illum æquivalere vulgato proverbio dictitant. *Gvil. Poſtellus.* Mithridatem Ponti & Bithyniæ Regem duarum & viginti gentium,

tium, quibua imperabat, linguis uſum certis autoribus accepimus, *Plin. lib. 7. c. 24. & lib. 25 c. 2. Gell. lib. 17. c. 17. Val. Max. lib. 8. c. 7. Plutar. in Lucull.* Primorum Cæſarum Romanorum paucos in hiſtoriis reperias, qui non Latinâ ſimul ac Græcâ facundiâ præſtiterint. Poſterioribus etiam temporibus Carolus Magnus Legatos Græcos ipſe audivit, & his Græcè reſpondit. *Bonfin.* Fridericus II. Imperator Latinam, Græcam, Saracenicam, Italicam, Gallicam, & Germanicam, linguas optimè calluit: tenuit Carolus IV. Imperator, Italicam, Gallicam, Boëmicam, & Latinam. *Cuſpin.* Sigiſmundo Imperatori inter linguas multas alias etiam Latina familiaris fuit. *Dubrav. lib. 25.* Maximilianum I. Imperatorem, Latinæ, Gallicæ, & Italicæ linguæ notitia exornavit. *Cuſpin.* Matthiæ Corvino, Ungariæ Regi, præter Turcicã & Græcã, etiam omnium Europæ linguarum ſcientia adſcribitur. *Bonfin. lib. 8. decad. 4.* Joachimus I. Marchio Brandenburgenſis & Elector, Academiæ Francofurtanæ ad Oderam fundator, ſummam ab elo-

quentia authoritatem & famam collegit. Trium quippe linguarum gnarus fuit, & in comitiis Auguſtanis Anno 1530. non tantùm à Carolo V. Imperatore demandatam provinciam reſpondendi Proteſtantibus geſſit, ſed Legatum etiam Pontificium nomine Epiſcoporum & Principum Eccleſiaſticorum, oratione latinâ, tã gravi, eruditâ, & ſplendidâ excepit, ut non tantùm omnes Eccleſiaſtici Principes ejus facundiam ſummoperè fuerint admirati, verùm etiam Caroli Imperatoris teſtimonio eximiam eruditionis ac facundiæ laudem indè abſtulerit. *Joan. VVolff. centenar. 16.* Orationem aliam, quam dicti Imperatoris nomine ad Legatos Liburnorum, auxilia adverſus Turcas ab Imperio petentium, idem latinè habuit, Georg. Sabinus tom. 1. declamationum Ph. Melanchtonis, à prudentibus omnibus propter conſilium & ſententiarum gravitatem, ab eruditis etiam propter genus verborum magnâ cùm admiratione adprobatam, teſtatur. Eloquentia igitur linguarumq; cognitio variarum ſi cum ſapientia conjuncta ſit, & ar-

artes liberales aliæ, ſi à Magiſtratu non ad oſtentationem aut curioſitatem umbratilium commentationum ac diſputationum, ſed ad publicum politię uſum conferantur, expeditiſſimum præſtant Reip. cum laude gubernandæ inſtrumentum.

Ad hanc ſummam gloriam viam ſternunt, qui filios Reip. gubernaculis deſtinatos optimarum artium & linguarum ſcientiis maturè & à primis, quod Græci ajunt, unguiculis, imbui curant. Romanorum filii ad Remp. aliquando acceſſuri, primò Hetruſcam linguam, pòſt Græcam cognoſcebant. *Dionyſ. Halicarn. lib. 4.* Sapientiſſimum eſt Romani Imperii decretum, quod in Caroli IV. Imperatoris aureâ, uti vulgò appellant, Bullâ ſancitum exſtat: ut Electorum Germaniæ filii primis annis Italicam, Latinam, & Illyricam linguam addiſcant, quò ſermonem cum multis gentibus communicare poſſent. *Sleidan. lib. 1.* Circiter annum Chriſti, 1473. novem Regum, viginti quatuor ducum, novendecim Comitum filii, exceptis Baronibus ac

Nobilib. in Leodienſi Schola optimarũ artium ſtudia ſectati ſunt. *Hedio in Chro. German.* Argentinenſi in Academia circa annum Chriſti 1590. Melchiore Junio, Wittebergenſi, Oratore diſertiſſimo, (quem virum, hoſpitem ac patronũ quondam meum liberaliſſimum, honoris cauſſâ nomino) Rectoratum perpetuum gerente, ultra quadraginta Principum, Comitum ac Baronum filii (ut Nobilium turbam taceam) eodem tempore, operam Eloquentiæ ac literis dediſſe conſtat: nec abinde Illuſtrium frequentiâ Schola iſthæc caruit. Memorabile eſt quòd de Gulielmo Arnoldi Principis Egmontani fratre Reinhard. Hadamarius in Inſtit. Princ, commemorat, eum ab expeditione Hieroſolymitanâ domum reverſum filios omnes literis imbuendos Lutetiam miſiſſe, nec in Patriam revocaſſe priùs, quàm Philoſophiæ Laureâ inſigniti eſſent. Johannem Ducem Megalopolitanum Primiſlai Wandalorum Regis nepotem, Rege Cypri & juniore Maſſiliæ Principe, Galliæ Delphino, & Henrico VIII. Comite Hẽnebergenſe, condiſcipulis, Pariſienſi

in Academia tam diu ſubſtitiſſe affirmant, donec Theologiæ Doctor ibi promot⁹ publicè eſſet. Crãzius eũ in Theologia Magiſtrũ factũ refert, *lib. 7. Vand. c. 42.* Henricũ VIII. Angliæ Regem Magiſterii gradum adſumſiſſe, auctore Lilio Gyraldo & P. Meliſſo *lib. 6. Melic.* accepimus. Hermannus, Ludovici Principis Haſſiæ filius, publicum Magiſtri titulum, eundemq; Benedictus de Waldſtein Baro, adſciviſſe in Academia Pragenſi, Richvinus Lotharingiæ Dux, trigeſim⁹ ſeptimus Epiſcop⁹ Argẽtinẽſis, Magiſter quoq; artium, Albertus Comes Hohenbergenſis, Epiſcopus Herbipolitanus, Decretalium Doctor fuiſſe, ſcribuntur. Sigiſmundus in Herberſtein L. B. variis legationibus ad Turcarum Imperatorem, ad Moſcovitas, ad Tartaros, cum laude perfunctus, is qui Moſcovitarum hiſtoriam latinè ſcripſit, in tabellis, in quibus functionum ſuarum feriem, ſucceſſum, habitum, depingi curavit, primâ fronte Baccalaurei gradum, ad quem Viennæ in Academia decimo ſexto ætatis anno promotus fuerit, ponit, nec

ſibi ignominiæ, ſed honori ducit, ab hoc principio reliquarum actionum ordinem continuare. Intellexerunt nempè omniũ ætatũ viri prudentiſſimi reliquas laudes, vel generis ſplendori, vel principali gratiæ debere, niſi eruditioni, veluti Caſtrẽſi bono, ac baſi, inniterẽtur: adeoque, uti Themiſtocles de die feſto & profeſto dicere ſolebat, Niſi profeſtus fuiſſet, feſtus non eſſet: ſic ipſi, Niſi literarũ cultu præſtitiſſemus aliis, ne dignitate quidem ac gloriâ, niſi præter meritum, excelluiſſemus.

Literarium hoc inſtitutũ Magiſtratus mirificè adjuvant Peregrinationes, quarum ratio ad officium Magiſtratus proprium magis magiſq; addiſcendum atq; excolendũ tota eſt dirigenda. Ideò namque peregrinandum eſt Magiſtratui, ut multarum nationum leges & inſtituta cognoſcat: obſervet, quænam Reip. forma, quibus hominibus conveniat, quæ ſint conſilia, conſuetudines, ingenia, mores hominum, locorum ſitus; deniq;, ut linguas ſibi maximè profuturas perdiſcat. Quare & judicio per ętatem maturo, & illarum ſcientiarum apparatu ſe

variis & longinquis det peregrinationibus, ut nihil in his ſibi querendum aliud ſtatuat, niſi eorũ, quæ domi de Rep. moderanda didicit, præceptorũ exempla viva & obſervationes αὐτοπτικάς. Nec inconſultum videtur, ad majus peregrinandi compendiũ, judicium, & memoriã, ut linguæ, quam arripere αὐτήχοος deſiderat, præcognita certis præceptis fundamenta ad peregrinos ſecum adferat, quod uſus longa admodum atq; incerta ſit via, niſi arte, tanquam cynoſurâ, regatur.

Talibus columnis, pietate ſcilicet, honeſtate, atq; arte imperatoriâ ſuſtinetur Magiſtratus Gloria: atq; inprimis imperandi ars omnium difficilima, niſi optimarum ſcientiarum utiliumq; linguarum radice inſiſtat, vix eſt, ut ad duraturæ gloriæ ſolidum decus proficiat.

Ex bonæ famæ ſtudio primus Nobilitatis flos enatus eſt, quaſi proprium quoddam Magiſtratus in politia publica ornamentum. Quamvis enim eximię virtutis fama quandã ſemper tribuere nobilitatẽ ſuis poſſeſſorib. videtur, nec virt⁹

Digitized by Google

ſplendorem ab hominibus accipit, ſed inſitâ luce fulget: non leve tamen momentum ad ſingularẽ nobilitatis excellẽtiam adfert publicus ille hominum conſenſus ad virtutem peculiariter inſignẽ peculiaribus etiã decoris atq; certis inſignibus publicè cohoneſtandam concurrens, quib. præ aliis omnib. cõſpicua ꝑpetuis publici honoris notis atq; radiis reſplẽdeat. Quicunq; enim grandinẽ ſanguinis à chara patria propulſat, exitiũ à civibus depellẽs, ſciat, ſe ſtirpi maximã gloriã accumulare & dũ vivit & dũ obierit. *Pind. in Iſthm. od.* 7. Namq; gloria maximè ſequitur virtutẽ ipſam, & ſanè longe magnificentius eſt, virtute adquirere parva regna, quàm ex Regũ Regib. naſci. *Æmil. lib.* 5. Ideo Lycurgus, Lacedæmoniorũ Regibus ad Herculẽ genus ſuũ referentibus, ut cives ad virtutis cultũ traduceret, Nec nobis, inquit, nobilitas, & ductũ ab Hercule genus proderit, niſi omni ſtudio & operâ illa ipſa geſſerimus, ꝑ quæ ille mortaliũ omniũ clariſſimus ac generoſiſſimus extitit, ac per omnẽ vitã, quę honeſta ſunt, & diſcamus, & exerceamus.

amus, *Plut. in Lacon.* Hinc cũ quidã Alphonſum Aragoniæ regem à nobilitate plurimum laudaret, quòd ſcilicet eſſet regis filius, regis nepos, regis frater: ille interpellans, Nihil eſſe, dixit, quod in vita minoris ipſe duceret, quàm quod laudator tanti facere videretur. Laudem enim illam non ſuam, ſed majorum ſuorum eſſe, qui juſtitiâ, moderatione, ſibi regnum cum excellentia comparaſſent: ſucceſſoribus quidem oneri regna cedere, & ita demum honori, ſi virtute potiùs quàm teſtamento illa ſuſcipiant. A ſe itaque, ſi qua modò exſtarent, eliceret ornamenta, non à parentibus jam mortuis extorqueret. *Panormit. lib. 2.* Primam igitur Nobilitatis originem virtutum ſtudium & hinc bona orta fama attulit, ſeque inprimis obtulit & inſinuavit illis, qui publico imperandi labore de genere humano mereri optimè ſunt viſi, & in Rep. tanquam in ampliſſimo theatro conſtituti facilè omnium in ſe ora vultuſque converterunt, recteque factorum gloriâ publica vota applauſusque abſtulerunt. Hæc nobilitas illa civi-

lis & publica eſt,publico cõſenſu Magiſtratui ob virtutẽ primùm tributa. Hanc clariſſimam nobilitatis facem multi obſcuro loco progreſſi homines ſuis familiis primi intulerunt, quorum tenuis ortus nequaquam contemnendus eſt, ſed potiùs virtutis ex caliginoſis incunabulis promicantis pulcritudo tantò magis ſuſpiciẽda, quantò minùs adjumenti ad ſui claritatem à majoribus accepit. Jac. Mutius Attendulus, Cotoniola, qui patre colono natus, poſteaq; Magnus Sforcia nuncupatus, Sforcianæ genti primũ nomen dedit, cuidam Ligonem objectanti, reſpondit: in hoc, uti video, ſtirpis origine pares ſumus, cum Adamus mortaliũ primus terrã & ipſe foderit. *Iovius in eod.* Ioan. Huniades Corvinus, regni Ungarici Adminiſtrator, à Ladislao Ungariæ & Boëmiæ Rege ad Comitis dignitatẽ evectus Huldricũ Ciliæ comitẽ vitæ ſuæ inſidiatorẽ ad ſe in caſtra per legatos evocàrat, ſed quibus ille, reſpondit: non ego Comes & Princeps & tam nobili familiâ natus ad te veniam hominem novum & noſtrâ ætate nobilitatum. Quòd cùm ac-

cepiſſet Huniades, at ego, reſpondit, nō tuis majoribus, ſed tibi, me comparo; quanquam neq; illis cedam, qui pugnā-do pro Chriſtiana religione nobilitatus, majus lumē poſteritati meæ comparavi. Atq; ut in te Cilienſis familia turpiter ex tinguitur, ita in me domus Niſtricenſis ſplendidè exoritur. *Æne. Sylv. de dict. Sigiſm. & Frid. Impp.* Aliàs nobilitas quæ longâ annorum ſerie à majoribus tranſ-miſſa cōnſtanti virtutum ſtudio à poſte-ritate colitur, non paucis paraſangis jam jam ortorum nobilium pubeſcenti cla-ritati præſtare intelligitur.

DE HUMANITATE, MODE-ſtia, Veracitate, & ſtudio Concor-diæ Magiſtratus.

CAP. XXIII.

A Virtutibus ergo Charitatis erga ſei-pſum, traducatur nunc Magiſtratus vita ad iſtā virtutū claſſem, quæ actiones ipſius cōmunes erga homines alios con-format, homines, inquā, alios, qualescūq; tandē illi ſint: eò, ꝙ Chriſtiana virtutū er-ga alios pfectio nullā admittat inter ho mines differētiā, ad quorū uſū ſeſe inclin re virt⁹ debeat. Nec verò cōmunis hōinū

hominũ ſocietas, quã hîc virtutũ ordo tuetur, amicis tantũ, divitibus, domeſticis, notis, verùm etiam inimicis, paupebus, extraneis, ignotis, conſtat. In quibus etiam præferendi, qui Magiſtratus virtute atque auxilio plurimùm indigent. Cùm verò inter omnes homines præcipui ſint ij, qui veram Chriſtianam religionem profitentur, his etiam inprimis optimè cupere, ad hos Magiſtratus præcipuè ſuas dirigere virtutum actiones debet.

Virtutes illæ ſunt, primò Humanitas, Modeſtia, Veracitas, & ſtudium Concordiæ: quæ nullo quidem peculiari aliquo erga proximum officio ſunt inſignes, & non pauca ſimul continent præcepta, quæ corpus animumque illius, qui eas exercet, ſingulariter inſtruunt & ad virtutum reliquarum actiones præparant. Hinc ergo quia cognationem cum præcedentibus magnam retinent, tanquam ſimpliciores ac *ἀιλιώτεραι*, inter virtutes hominis erga alios in prima ſtatim acie viſuntur.

Humanitas Magiſtratus benevolen-

volentiam erga homines ſignificat, vultu, voce, ſalutatione, dextræ datione, ſalutatione, amplexu, oſculo, aliisque receptis notis atque geſtibus, tum verbis ad humanitatem compoſitis, in alloquii facilitate & comitate, auſcultationis promtitudine ac patientiâ, reſponſionis lenitate ac benignitate. Quæ virtus Magiſtratum mirificè exornat & quoddam fundamentum eſt cæteræ omnis erga alios charitatis, unde & humanitas, homini quaſi propria, ſic ab ipſo dicitur. Nihil profectò ſubditorum erga magiſtratum provocare amorem tantoperè poſſit, quàm vera humanitas haud dubijs benevolentiæ ſignis declarata. Et verò omnibus animalibus faciliùs, quàm homini imperaveris: quòd nullum animal moroſius & majori arte tractandũ ipſo homine, qui in nullos magis inſurgit, quàm in eos, quos in ſe imperium affectare ſentiſcit. *Xenoph. 1. pæd. Senec. 1. de clement.* Præſertim in Magiſtratu nuper adepto, tantoque magis in populo libero, multo humanitatis ac benevolentiæ dulcore inſuetum aut ſaltẽ recens obedientiæ

dientiæ capiſtrum inſinuendũ erit, donec ex cauſa & ob ſuam utilitatẽ ſeſe gubernari intelligat. Non ſecus atq; equiſones feroces ac indomitos tractare equos videmus, quibus illi manibus applaudũt ac popyſmatis, ut recipiant frenum & ephippium, & patientiæ inducendarum ſolearum ferreatũ adſueſcant, ac demũ depoſito omni timore inſeſſorem peritum tergo admittere non reformident. Quod prudenter admodũ obſervarunt ſapientiſſimi viri, potiſſimũ in populari ac optimatũ ſtatu, aut in magnis Rerũp. converſionibus, cum libertas ſubditorũ magna eſt, aut recens amiſſæ dolor leniendus, ac memoria & deſiderium imperantis humanitate paulatim antiquandũ eſt. Malevolorum quoq; in Rep. invidiæ ac molitiones hilari ac ſuavi cũ omnibus converſatione & affabilitate ſæpè evertuntur. Alcibiades in quotidiana converſatione tam ſuavis erat & jucundus, ut etiam iis, qui eum vel metuerent, vel inviderent, præſentia ejus & adſpectus voluptati lætitiæq; eſſet: populum Athenienſem diſſolutè viventem ſuâ comitate ſibi devinxit, ut etiã vitia ejus benigniori

appellatione mitigarent, & maris imperiũ ei decernerent. *Plut. in eod.* Cleomenes qui Remp. Spartanam ad Lycurgi inſtituta revocavit, plebejo amiculo indutus cõvenientib⁹ occurrit, familiariterq́; eos excepit, hilariq; vultu humaniter collocutus eſt. Quibus morib⁹ demulſi homines, eũ ſolũ ab Hercule natũ dicebãt, nec leve momentum ad res Græcas ille adjecit. *Plut. in eod.* Themiſtocles Dux Athenienſiũ ideò quoq; plebi acceptiſſimus erat, quòd omnes cives nominibus ſuis ſalutaret, etiam ſine nomenclatore. *Plut. in eod.* Ageſilaus Spartanus longè omniũ Regũ cõmodiſſimus ſubditis fuit, quòd Regiæ naturæ humanitatẽ & popularitatẽ educatione adjeciſſet. Fuiſſe quidẽ ſtaturâ parvâ, & adſpectu contẽnendo, ajunt: cæterùm hilaritas animusque omni tẽpore lætus & urbanus, voxque & vultus ab omni moroſitate & auſteritate alienus, amabiliorem eum formoſis uſq; ad ſenectutem fecerunt. *Plut. in eod.* Ariſtides Athenienſiũ Dux ad bellum unà cũ Cimone miſſus, cũ Pauſaniã & reliquos Spartanorũ Duces moleſtos ſociis & difficiles eſſe animadverteret,

ipſe humaniter & placidè converſando, Cimonemque in obeundis imperiis facilem eis & popularẽ reddendo, occultè Lacedæmoniis Principatum, non armis, non navibus, non equis, ſed æquitate & prudentiâ civili abſtulit, reliquorũ Græcorum animis ad ſe & Athenienſes traductis. *Plutar. in eod.* Ad P. Valerium Poplicolam potiùs, quàm ad quemvis alium è Senatu Romano, Vindicius Aquiliorum ſervus conjurationem contra Remp. factam detulit, maximè viri ejus facilitate & humanitate adductus, ad quem omnibus, qui vellent, aditus eſſet, cujuſque fores omnibus paterent, & qui nullius quantumvis abjectæ ſortis hominis ſermonem uſumque adſperneretur. *Plutar. in eod.* In Romana hiſtoria advertimus tribunitiæ domus fores non interdiu, non item noctu ſolitas occludi, ceu planè portus quidam ac refugium celebre, quò indigentibus ſemper & facilè pateret aditus. Tribunum plebis M. Curio dixit oportere demiſſum eſſe, neque grave ſupercilium præferre, neque eſſe aditu difficilem, neque multitudini

titudini acerbum, ſed præ aliis & popularibus facilem, *Plutar. in quæſt. Roman.* Rep. Romanâ à Cæſare ad unius imperium redactâ, Imperatores peregrè profecturi & mox urbem repetentes, Senatores ex more oſculis excipere conſueverant, referente Cælio. Et verò his, & aliis humanitatis ac benevolentiæ indiciis tenera adhuc Monarchiæ principia mirum in modum conſtabilierunt. Hinc Auguſtus Cæſar die Senatus nunquam Patres, niſi in Curia, ſalutavit, & ſedentes ac nominatim ſingulos, nullo ſubmonente, & diſcedens eo modo ſedentibus ſingulis valedicebat. Promiſcuis ſalutationibus admittebat & plebem, tantâ comitate adeuntium deſideria excipiens, ut quendam joco corripuerit, quòd ſic ſibi libellum porrigere dubitaret, quaſi Elephanto ſtipem. Et fuit aliàs vultu vel in ſermone, vel tacitus adeò tranquillo ſerenoque, ut quidam è Primoribus Galliarum confeſſus ſit inter ſuos, eo ſe inhibitum ac remollitũ, quò minùs, ut deſtinarat, in tranſitu Alpium per ſimulationem colloquii propiùs admiſſus

miſſus in præcipitium propelleret. *Suet.* De eo Varus Declamator dixiſſe fertur: Qui apud te, Cæſar, audent dicere, magnitudinem tuam ignorant, qui non audent, humanitatem. Veſpaſianus Imperator non Senatores tantùm Romanos, ſed privatos etiam homines, publicè ſalutabat. *Suet.* Ejus filius Titus tàm mitis in omnes & clemens fuit, ut eum humani generis delicias & orbis amorem cives & peregrini appellarent. Trajanus Imperator amicis incuſantibus, quòd parùm memor Imperatoriæ Majeſtatis, nimium eſſet omnibus expoſitus, reſpondit, Talem præſtabo me Imperatorē privatis, qualem optarem ipſe privatus. *Eraſm. lib. 8. apoph.* Eundem Plinius teſtatur manſuetudine & peculiari quadā affabilitate, non frontis contractione & elato ſupercilio populorum reverentiā erga ſe paraſſe. Facilis, inquit, adiri, è proximo accipis vota hominum tuorum, ut quisq; ille cōſultor eſt, etiamſi meruerit, quod eſt rarum, repulſam, ferat tamē viſi numinis conſcientiā. Adrianus Cæſar in colloquiis etiā humilimorū mirè civilis

erat,

erat,eosq; deteſtari ſolebat, qui hanc humanitatis voluptatē ipſi inviderent, hoc prætextu, quòd dicerent, Principis majeſtatem ubiq; ſervandam. *Dion. in ejus vit.* M. Antoninus Pius Imperator ſummâ ſuâ affabilitate & popularitate plus crevit, recuſantibus aulicis miniſtris,qui illo nihil per internuncios agente, nec terrere poterant homines aliquādo, nec ea quæ occulta non erant,vendere.*Capitolin in eod.* De Gratiano Auſonius in Panegyrico, Laudabile eſt, inquit, Imperatorem interpellantibus faciles præbere aditus, nec de occupatione cauſari.Tunc confirmas adhuc cunctantes, etiam querimoniis explicatis, ne quid adhuc ſileatur, interrogas.

Verùm enim verò, quod Calliſtratus *in l.obſervandum.9.D.de offic.Præſid.* monet, Magiſtratus in adeundo quidem facilem ſe præbeat, ſed contemni non patiatur. Unde mandatis adjicitur:Ne præſides provinciarum in ulteriorem familiaritem, provinciales admittant. Nam ex converſatione æquali contemtio dignitatis naſcitur. Sic Ulpianus: Circa

advocatos

advocatos patientem eſſe Proconſulem oportet, ſed cum ingenio, ne contemtibilis videatur. *l. nec quicquã.9. D. de offic. Proconſ.* Ita ergo ſe gerat Princeps, ne illi aut facilitas authoritatem, aut ſeveritas amorem deminuat: quod de ſocero ſuo Agricola Tacitus prædicat. Miraculo fuit C. Gracchi comitatus conductorum, artificum, Legatorum, Magiſtratuum, militum, Philoſophorum, ab ipſo pendentium: queis cum ipſe quidẽ collocutus comiter, ſed gravitatem ſuam in facilitate conſervavit, unicuique pro dignitate ſuum tribuens. *Plutar. in eod.* Nec aliud Philippus Macedo Alexandrum filium monere voluiſſe videtur, cùm ſuaſit, ut cum Macedonibus comiter haberet conſuetudinem, vulgi conciliatâ benevolentiâ vires ac robur ſibi parans, dum liceret alio regnante eſſe humanum: quandoquidem difficilimũ eſt Remp adminiſtranti citra auctoritatis jacturam paſſim omnibus ſuam probare benevolentiam velle & ad cujuſvis votum proſtare. Difficultas autem hæc tollitur, ſi Magiſtratus omnibus quidem huma-

humanum & affabilem ſeſe exhibeat, ſed impudentiam importunorum hominum intempeſtivis interpellationibus ſuâ abuti facilitate, aut aliàs quemvis ſuam penitrare in familiaritatem per hanc liberi acceſſus januam non permittat. Sic enim humanitas permiſcenda Gravitate eſt, quæ ſequitur.

Aditum quendam ac quaſi oſtium ad ſocietatem humanam aperuit humanitas, cui porrò MODESTIA amico nexu ſe copulat, & Magiſtratum dictorum factorumq; temperantiâ, morumq; civilitate & elegantiâ erudiendum ſuſcipit, ut geſtus ejus externos ad naturam hominumq; conſuetudinem aliorum, cum quibus verſandum eſt, accõmodando, propiùs magisq; humanæ ſocietati eum inſinuet, ac tradat. Sic Modeſtia geſtus, & verba Magiſtratus humanitate conditos, nunc etiam decori colore tingit, prȩſertim ejus, quod introductis moribus gentis receptum cum natura, pietate, & honeſtate non pugnat. Ageſilaus Spartanus, teſte Plutarcho, ſecum ex peregri-

natione, quod pleriq; omnes faciunt Duces, non alios mores ac novos, domeſtica faſtidiens adſpernansque, attulit: ſed perinde atq; ii, qui Eurotam nunquã tranſiiſsẽt, patrias cõſuetudines amplexus, non cænam immutavit, non lavacrum, non uxoris cultum, non armorũ apparatum, non ædificia. Certè nulla res hominum oculos adeò perſtringit, omniumque animos ſibi facilè reddit obnoxios, quàm morum benignitas & dexteritas in altioris dignitatis gradu, ut verno tempore ſplendidi flores prætereuntium oculos in ſe convertũt. *Nicephor.* Vera utiq; & virilis pulcritudo ac proceritas, quæ in Saule Iſraëlitarum Rege. *1. Samuel. 9. v. 2. & cap. ſeq. v. 23 24.* In Hectore & Achille. *Homer.* in Turno. *Virg. 7. Æneid.* In Xerxe. *Herodot.* In Poro Indorum Rege, *Suid.* In Commodo & Maximino Impp. *Sabell. lib 5. Enn. 7. Capitolin.* commendata fuit, magnam conciliat homini in Magiſtratu conſtituto dignitatem: ſicuti P. Scipio Africanus Major propter formam barbaris in Hiſpania admirationi

tioni fuit. *Plutarch.* Ob hanc Ephæſtion unus ex Ducibus Alexandri Magni pro ipſo Alexandro à Matre Darii eſt habitus. *Arrian.* In Tito Imperatore decor oris cum quadam majeſtate auxiſſe famam refert Tacitus 2. *Hiſtor.* Idem Maximilianum I. Imperatorem inter triginta maximos Principes, ita conſpicuum fecit, ut ab his, qui ipſum nunquam antè vidiſſent, ſtatim interноſceretur. *Cuſpinian.* At multò pluris æſtimandus ille decor eſt, qui in Magiſtratus geſtibus ac ſermone totaq; vita, cum quadam proportione elegantiſſimâ acuto mentis judicio temperatâ, prominens gratiſſimam egregii diſpoſiti animi notam ſpectantibus imprimit. Nam ab hac morum civilitate tantũ illa diſtat, quæ in membris eſt pulcritudo, quantum à ratione corpus, à cõſilio fortuna. Corpus à natura, fortunam ex caſu nãciſcimur, nec qualia hæc ſint in noſtra eſt manu. Ut rationi mores, conſilio volũtas obtemperet, id demum noſtræ poteſtatis cenſetur, & virtute prçſtatur. Quin & ingenio mẽbrorũ deformitas

conſilio caſus ſæpè corrigitur, aut ſaltem virtutis indumento & pulchritudine velata, minus attenduntur, minuſq; nocent.

Modeſtia morumq; civilitas exprimitur Verecundiâ, Gravitáte, Urbanitate.

Primum modeſtiæ ſeminarium eſt in Verecundia Magiſtratus, quia non facilè quid in moribus intemperanter atq; indecorè committit, qui bonorum reprehenſiones metuit, ex iis rebus, quæ juſtum incutere pudorem poſſint. Ea itaque Magiſtratus loquatur, ea faciat, quæ audita viſavé ipſi non mutent colorem, aut animum tacitâ turpitudinis accuſatione convincant. Graviſſimo verbo Themiſtocles oſtendit, conditiones, quibus hominum gradus diſcriminantur, eas eſſe, quæ faciant, ut aliquid agere aut deceat, aut nõ deceat. Nam ad Salaminem cadavera in litore ejecta inſpiciens, ubi exornata vidit armilis aureis & torquibus, ipſa præteriit, ſe comitanti oſtendit amico, & dixit, Tolle ea tibi, neque enim tu es Themiſtocles. *Plutar.*

in

in eod. & in præcep. polit. Alexandro Magno cùm Darius ingentem auri vim, alia item eximia, & quod potiſſimum, dimidium Aſiæ regnum æquis portionibus obtuliſſet, ut ab inſtituto armorum diſcederet: Parmenio inter Alexandri amicos prępotens, Acciperem, inquit, ſi Alexander eſſem; cui ille, Et ego per Jovem, inquit, ſi Parmenio forem. *Plutar. in apoph.* Conſulatum petens L. Craſſus, cùm omnium Candidatorum more circum forum ſupplex populo ire cogeretur, nunquam adduci potuit, ut id præſente Q. Scævolâ graviſſimo & ſapientiſſimo viro ſocero ſuo faceret. Itaq; rogabat eum, ut à ſe, dum ineptæ rei deſerviret, diſcederet, majorem verecundiam dignitatis ejus, quàm candidæ togæ ſuæ reſpectum agens. *Valer. Max. lib. 4. c. 5.* Pudorem affert verecundi animi viris ea agere aut ſuſcepiſſe videri, quæ humiliora, aut ſupra vires poſita, vel aliàs indecora. Q. Sertorius in conviviis modeſtiſſimus erat, nec quicquam turpe vel audire ſuſtinebat, ut ſecum quoque cœnantes adſuefecerit compoſitis ac libe-

ralibus uti jocis, atque confabulationibus. *Plutar. in eod.* M. Porcio Catoni eximiam verecundiæ laudem populus Romanus adſcripſit. Ludis namq; Horalibus, illo præſente ut Mimæ pro more nudarētur, poſtulare erubuit, ac propterea ex theatro digreſſum Catonem ingenti plauſu proſecutus, plus ſe majeſtatis uni tribuere, quàm univerſo ſibi vendicare confeſſus eſt. *Valer. Maxim. lib. 2. cap. 10.* Erat Maximilianus I. Imperator verecundus adeò, ut nemo unquam ex cubiculariis viderit naturæ opera exercentem. *Cuſpin.* Nec fruſtrà Spiritus Sanctus Saulis Regis in ſpeluncam receſſum, ut ab hominum oculis remotus naturæ ſatisfaceret, annotavit, *1. Samuel. 24. v. 4.* Præcipuam in C. Julio Cæſare fuiſſe verecundiam & ſæpenumerò apparuit & ultimus ejus dies ſignificavit. Compluribus enim parricidarum violatus mucronib⁹, inter ipſum illud tēpus, quo Spiritus mortali diſcernebatur à corpore, ne inter tria quidē & viginti vulnera verecundiæ oblitus eſt, ſiquidē utrâq; togā manu demiſit, ut inferiori corporis parte tectâ honeſtiùs

caderet. *Valer. Max. lib. 4. c. 5. Suet. Plut.* Sed quis aut verecundiæ, aut gravitatis, quæ mox ſuccedit, latifundia oratione percurrat? difficilius hoc decorum ad eloquendum, quàm intelligendum, *Cicer. 1. offic.*

Gravitas enim & ipſa univerſas Magiſtratus actiones dirigit, non quidem ut turpitudinis in his modum & fugam, quemadmodum Verecundia, ſed dictorum factorumq; congruentem venuſtatem ac cõcinnitatẽ doceat. Nec enim Gravitas propriè oſtendit, Quid, ſed quàm Ritè, quamq; Decorè, pro rei, perſonarum, loci, temporis, ratione dicendum faciendumve ſit. Motus animi, impetus & cupiditates, geſtus itẽ hominis externi, in vultu, oculis, pedũ ac manuũ, totiusq; corporis habitu ac cõpoſitione, riſus, vox, ſermo, veſtitus, cõſortia cum aliis, adſunt homini naturâ, nec tolli ex ea debent aut poſſunt. Verùm certus quidam modus illis imponendus ad rationis deliberationem ac imperiũ aptè revocanda ſunt, & temperatè cõponenda naturæ acrimonia, nimi-

amque intenſa vehementia moderatè remittenda, & ad εὐπρέπειαν reducenda eſt. Hæc Gravitas Magiſtratum ſummè decet, ut cuncta quæ dicit, facitvé, excellentor dicta factaq; appareant, inprimis, cùm aut publicè ſubditis ſe conſpiciendum præbet, aut in congreſſibus cum Magiſtratibus aliis, ſingularem oſtendere dignitatem debet: ne aut officii autoritas apud ſubditos, aut Reip. Majeſtas apud peregrinos contemtibili atq; incultâ Magiſtratus ſpecie vileſcat. Atq; hanc morum inprimis Gravitatem, ut alia Legati obſervabunt, qui Remp. ac Magiſtratus perſonam apud alios repræſentant, ne ſuâ immodeſtiâ & joculari levitate malam turpium morum ſuſpicionem adverſus eos, quorum negotia gerunt, concilient, aut ſeſe ab aliis contemni ac dehoneſtari patiantur: ſed convenientibus modis ſuæ Reip. ac Magiſtratus adſerere decus ac dignitatem ſemper ſtudeant. Iſmenias Thebanus Legatus ad Regem Perſarum miſſus patriæ causâ, cùm more ſolito Regem adorare juberetur, antequam ſermonem

cum

cum eo conferret, annulum, quem digito geſtabat, detraxit, atq; clam ante pedes Regis abjecit, confeſtimq; ſe inclinans, tanquam adoraret, eum rurſus ſuſtulit. Et hoc quidem modo is & Regis ſuperbiæ, & Patriæ dignitati conſulere voluit. *AElian. lib. 1. var.* Ante omnes Romanorum heroica quædam fuit in Reip. ſuæ Majeſtate tuendâ Gravitas. Q. Fabius J. C. ad Carthaginenſes Legatus, cùm eſſent duæ teſſeræ poſitæ, una pacis, alteri belli: arbitrio ſibi dato, utram mallet referre Romam, utramq; ſuſtulit, & ait, Carthaginenſes petere debere, utram mallent. *Pompon.* C. verò Popillius à Senatu Legatus ad Antiochum miſſus, ut bello ſe, quo Ptolemæum laceſſebat, abſtineret, cùm ad eum veniſſet, atque is dextram porrexiſſet, ſuam dare noluit, ſed tabellas Senatusconſultū continentes tradidit: cū Antiochus ſe cū amicis collocuturū dixiſſet, indignatus Popillius virgâ ſolum, quo inſiſtebat, circūſcripſit, &, Priùs, inquit, quā hoc circulo excedas, da reſpōſum, quod Senatui referam. Non Lega-

tum locutum, ſed ipſam Curiam ante oculos poſitam Rex arbitratus, continuò affirmavit, fore ne amplius de ſe Ptolemeus quereretur. Ac tùm demum Popillius manum ejus tanquam ſocii apprehendit. *Valer. Maxim. lib. 6. cap. 4. Liv. 45.* Q. Martius Philippus Romanorum Legatus, ut populi Romani dignitatem ſervaret, cum Perſeo Macedonum Rege congreſſurus flumen utriuſque Imperii finitimum tranſmittere noluit, ſed quadã verborum urbanitate uſus, Major, inquit, ad minorem, Perſeus ad Philippum. Erat autem Martius ſtaturâ longiſſimus, Perſeus breviſſimus, cujus pater Philippus quoque dictus erat. Cæterùm Perſeus arridens flumen trajecit. Friſiorum Legati Romam profecti, dùm aliis curis intentum Neronem operiuntur, intravere Pompeii theatrum, quo magnitudinem populi viſerent. Ibi per otium (neque enim ludicris ignari oblectaban-

lectabantur) dum conſeſſum caveæ,diſcrimina ordinum, quis Eques, ubi Senatus, percontantur, advertére quoſdam cultu externo in ſedibus ſenatorum, &c, quinam forent, rogitantes, poſtquam audiverunt, earum gentium legatis id honoris datum, quæ virtute & amicitiâ Romanâ præcellerent, Nullos mortalium armis aut fide antè Germanos eſſe, exclamant, digrediunturque & inter Patres conſident. quod comiter à viſentibus acceptum, quaſi impetus antiqui, & bona æmulatio. Nero civitate Romanâ ambos donavit. *Tacit. lib. 13. Annal.* Verùm Legati & ſuæ Reip. & aliorum, ad quos miſſi ſunt, jus, nobilitatem, dignitatem,rectè hìc diſcernant,legationis ſuæ vim ac modum intelligant, ſuorum decus & authoritatem ſic retineant & tueantur,ne alios cõtemtui habeant, & pervicaciter lædant,ubiq; modeſtè graviter,ac prudenter ſe gerant. *Bodin.ſ. de Rep.6.* Exercetur Gravitas Magiſtrat⁹,Sex

Sermone, Veſtitu, Geſtibus, Converſatione.

Sermo potiſſimus animi index à Magiſtratu accuratiſſimè uſurpandus, quia plerunq; talis quisq; eſſe creditur, qualem verba oſtendunt, magnamq; autoritatis vim oratio continet. Lacedæmoniorum breviloquentia in Proverbium abiit: unde Homer⁹, Menelaũ ceu Lacedæmoniũ, pauca quidẽ prolocutum, ait, ſed planè argutiſſima. Et Reges monoſyllabos eſſe debere, vetus verbum eſt. Spintharus Epaminondam celebrans, Haud temerè, ait, qui vel plura ſciret, vel pauciora loqueretur, offendiſſe ſe alium. *Plutar. de audiend.* Singula enim Magnatum verba quaſi oracula quædam & exempla, & legum ſunt inſtar. Pericles in dicendo cautus fuit, ac quoties in concionem progrediebatur, comprecatus eſt Deos, ne quod ſibi præter voluntatem verbum excideret, quod ad rem propoſitam non faceret. *Plutar. in eod.* Phocion coactâ contione dicenti, Videris mihi, ô Phocion, cogitabundus: Rectè, inquit, conjicis? delibero enim, an aliquid

aliquid amputare poſſim de verbis, quæ ſum ad populum facturus. *Plutar. in apoph.* Turpè duxit Demoſthenes magno populo conſulentem oratione uti tumultuariâ. *Plut. in eod.* Catonem Majorem Tullius adſeverat, nullum nunquã emiſiſſe verbum, quod emiſſum doleret. Auguſtus Cæſar poſt bellum Mutinenſe, neq; in Senatu, neq; apud populum, neq; apud milites, locutus eſt unquam, niſi meditatâ & compoſitâ oratione, quamvis non deficeret ad ſubita extemporali facultate. Ac ne periculum memoriæ adiret, aut in ediſcendo tempus abſumeret, inſtituit recitare omnia. Sermones quoq; cum ſingulis atq; etiam cum Livia ſua graviores non niſi in ſcriptis & è libello habebat, ne plus minusvé loqueretur ex tempore. Genus eloquendi ſecutus eſt elegans & temperatum, vitatis ſententiarum ineptiis atque inconcinnitate & reconditorum verborum, ut ipſe dicebat, fœtoribus: præcipuamq; curam duxit, ſenſum animi quàm apertiſſimè exprimere. Quod quò facilius efficeret, aut necubi lecto-

rem vel auditorem obturbaret ac moraretur, neq; præpoſitiones verbis addere, neq; conjunctiones ſæpius iterare dubitarit, quæ detractæ adferunt aliquid obſcuritatis, etſi gratiam augent. Cacozelos & antiquarios, ut diverſo genere vitioſos, pari faſtidio ſprevit. *Sueton.* Scipionẽ, Livius adſeverat, legatos Hiſpanos allocutũ ita elato ab ingenti virtutum ſuarum fiduciâ animo, ut nullum ferox verbũ excideret, ingensq; omnibus quæ ageret tùm majeſtas adeſſet, tùm fides. Magiſtratus priſci Romanorum ad ſuam populiq; Romani majeſtatem inter cætera obtinendæ gravitatis indicia, illud quoque magna cum perſeverantia cuſtodiebant, ne Græcis unquam niſi Latinè reſponſa darent: quin etiam ipſa linguæ volubilitate, quâ plurimum valent, excuſsâ, per interpretem loqui cogebant, non in urbe tantùm Romanâ, ſed etiam in Græcia & Aſia: quo ſcilicet Latinè vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. *Valer. Max. lib. 2. c 2.* Hinc Cicero de ſe in Verrinis teſtatur, graviter ſe à Ro-

ſe à Romanis accuſatum, quòd Syracuſano Senatui Græcè locutus eſſet. Tiberius Nero Cæſar ſermone Græco, quamquam aliàs promtus & facilis, non tamen uſquequaq; uſus eſt, abſtinuitque maximè in Senatu, adeò quidẽ, ut Monopolium nominaturus, prius veniam poſtulârit, quòd ſibi verbo peregrino utendum eſſet: atque etiam in quodam decreto Patrum, cùm ἔμβλημα recitaretur, commutandam cenſuerit vocem, & pro peregrina noſtratem requirendam: aut ſi non reperiretur, vel pluribus, & per ambitũ verborũ, rem enunciandam. Militem quoque Græcè teſtimonium interrogatum, niſi Latinè reſpõdere vetuit. *Sueton.* Breviter, ſit Magiſtratus ſermo, ſine ore prolatus, ſive ſcriptus, ſine vanitate ac levitate ſerius, ſine verborum ampullosâ oſtentatione nervoſus & efficax, non qui ex triviis atque culinâ depromptum ſtylum, ſed heroicum & elegans dicendi genus, qui nihil vulgare atque abjectum, ſed generoſam altæ mentis indolem repræſentet, qui denique perſonis, loco, tempori,

tempori, atq; negotiis prudentes accomodatus ſit. Archidamus, Ageſilai filius, Græcis ei obtemperare cũ Antigono & Cratero Macedonibus inita pacta libertatemq; amplecti recuſantibus, quia moleſtiores ſibi fore Spartanos, quàm Macedones putarent, Ovis, dixit, ſemper voce utitur eadem, homo multis & variis, dum conficiat quod vult. Quod eò referendum, ut pro tempore, proq; re natâ variandum eſſe ſermonis habitum diſcamus. Eſt enim, ubi loquendum ſit ſeveriùs, eſt ubi blandiùs, ubi magnificentiùs, ubi ſubmiſſiùs: id ſi fit citra perfidiam, magna eſt prudentia. *Plutar. in Lacon.* Nam neque addecet.

Compellare iiſdem ſermonibus omnes,
Sed bello ſuper atq; armis rogitare magiſtros
Bellandi, nautas ſuper æquore, deniq; lætos
Sementum de meſſe, canes nutrire paratos,
De canibus, peregrè venientes, quæ loca & urbes,

Quos

Quos fluvios, quid quiſq; ignoto viderit orbe:
Inter ea ſervare vicem, atq; alterna modeſtus
Alloquia, & ceptis finem quoq; ponere rebus.

Gravitas in ſermone Magiſtratus etiam TACITURNITATE conſtat, præſertim neceſſario arcanorum ſilentio, quo neq; conſcientia, neq; DEUS, neq; publicum bonum læditur. Hoc optimũ atq; tutiſſimum rerum adminiſtrandarum vinculum. *Valer. Max. lib. 2. c. 2.* Regalem virtutem Caſſiodorus vocat, celerius neceſſaria ſentire, & tardius in verba prorumpere, quòd neſciat pœnitenda loqui, qui proferenda ſuo prius tradit examini. *lib. 3.* Tiberius Imperator, Principis animum aut nemini aut paucis cognitum eſſe oportere, dixit. *Dion. lib. 57.* Fidum erat & altum Reip. pectus, Curia Romana, ſilentiique ſalubritate munitum & vallatum undiq;, ut tanto Senatorum numero, non dicam unum, ſed neminem audiſſe crederes, quod tam multorum auribus fuerat com-

commiſſum ut arcana conſilia Patrum conſcriptorum multis ſęculis nemo Senator enunciaverit. *Valeri. Maxim. d. lib.* 2. *c.* 2. Apud Perſas, ait Ammianus, nemo conſiliorum eſt conſcius præter Optimates taciturnos & fidos, apud quos ſilentii quoque colitur numen. *libr.* 21. Itaque Alexander Magnus allatam aliquando à Matre epiſtolam, quâ arcana crimina & delationes contra Antipatrum continebantur, unà legenti, ut ſolebat, non prohibuit Hephæſtioni. Cæterùm eâ lectâ detraxit ſibi anulum, atque ori illius impreſſit, ſilentii fidem ab ipſo exigens. *Plutar. in apoph. & oration.* 1. *de Alex. fortuna.* Athenis in Areopago cauſſæ capitales audiebantur, idque noctu magnâ attentione, & nefas erat, quæ ibi fuiſſent acta, apud vulgus effutire. Unde Areopagitarum judicum taciturnitas in proverbium abiit. Extant &

apud

apud Weſtphalos reliquiæ generis judicum, qui Certi vulgo dicuntur, in quorum ordinem qui admittuntur, magna religione adiguntur ad ſilentium. Eſt enim ratio quædam deprehendendi crimina, quam nullus intelligit præter illos juratos. *Eraſm. in adag. Aventin. lib. 4. Annal.* Nefas apud Hiſpanos habetur poſt evictam à Senatu ſententiam mentionem de his facere, qui ab ea ſententia, quæ ſuperata eſt, ſteterint. *Laur. Valla, lib. 2. hiſtor.* Cameræ Imperialis in Germania ordinatio Aſſeſſores, quæ in Senatu geſta, dicta & judicata ſunt, æterno ſilentio involvere, nullique injuſſu Cæſaris revelare jubet. *part. 1. tit. 13.* Iſtâ ſermonis Gravitate in conſiliis bellicis tegendis nihil utilius, ut quod fieri debeat, cum multis tractet belli Dux: quod facturus ſit, cum pauciſſimis vel potius ipſe ſecum. *Veget. lib. 3.* Quandoquidem nulla ſunt ſtratagemata meliora, quàm quæ igno-

rave-

raverit adverſarius antequam fierent, aliàs non ſaltem nihil profectura, ſed etiam proprium authoris in caput recaſura. *Machiavell. 3. diſp. polit. 14.* Fama eſt, cùm adoleſcentulus etiãnum Demetrius Poliorcetes ex Antigono patre quæſiſſet, Quando caſtra eſſent moturi? Illum reſpondiſſe ſtomachabundum, Times, ne ſolus tubam tu non exaudias? *Plutar. in Demetr.* Cæcilius Metellus Macedonicus, cùm in bello omnia proprio & ſubito conſilio ageret, amico cuidam interroganti, Quidnam acturus jam eſſet, poſt Arbachos in Macedonia ſubactos? Tunicam, inquit, meam exuerem, ſi eam conſilium meum ſcire animadverterem. *Plutar. in apoph. Plin. de vir. illuſt. c. 61.* Cùm Aſiæ Rex Eumenes amantiſſimus Romanæ urbis, bellum à Perſeo adverſus populum Romanum comparari Senatui nunciaſſet, non antè ſciri potuit, quid aut ille locutus eſſet, aut Patres reſpondiſſent, quàm captum Perſen cognitum eſt. *Liv. lib. 42.* Q. Fabius Maximus tantùm per imprudentiam de tertio Punico bello indicendo,

quod

quod ſecreto in curia erat actũ,P.Craſſo rus petens domum revertenti in itinere narravit, memor eum triennio antè, Quæſtorem factum, ignarusq; nondum à Cenſoribus in ordinem Senatorium allectum. Sed quamvis honeſtus error Fabii eſſet, vehementer tamen à Conſulibus objurgatus eſt. *Valer. Max. lib. 2. c. 2.* Hinc profluunt omnia ea ſtratagemata, quibus noſtra conſilia clanculum aperimus & ſignificamus aliis, qualicunque indicio, nunciis occultis, igni, fumo, geſtu & actione ſingulari, ſono, ſtrepitu, clamore, lanceâ, picturâ, epiſtolis ſagittæ alligatis & conjectis, aut placentæ vel lepori inſertis, aut ſtigmatibus, abraſo pilo, capiti inſcriptis, tranſpoſitione literarum, & modis infinitis aliis, quorum exempla paucis prehendi pagellis nequeunt, nec in hiſtoriis, aut uſu ſunt infrequentia.

Accedit Taciturnitatis Magiſtratus gen⁹ peculiare, quod per ſimulationẽ & diſſimulationẽ in reb. quarũ judiciũ nõ eſt neceſſarium, veritatem occultat. Adhibetur autem rectè non ad operculum

ac

ac tegumen nequitiæ atque improbitatis, ſed ad innocentium & piorum defenſionem. Ejuſmodi occultatio Salomonis fuiſſe videtur, cùm in ancipiti duarum meretricularum controverſia, vivi infantis, quem utraque ſuum eſſe dicebat, diſſectionem & æquam inter ipſas partitionem ſimulans, veram matrem ex affectu inveſtigavit. *1. Regum 3. verſ. 16. & ſeqq.* Claudius ita Cæſar fœminam non agnoſcentem filium ſuum, dubiâ utrinque argumentorum fide, ad confeſſionem compulit, indicto matrimonio juvenis. *Sueton.* Rex pius David inſaniæ ac furoris ſimulatione periculo ſeſe ſubduxit. *1. Samuel. 21. v. 13.* Quæ in tacendo Gravitas & veritatis occultatio plurimum prudentiæ complectitur, præcipuè in armis, ut ſpecie aliquâ hoſtium oculis atque animis objecta ille noſtro bono in errorem inducatur. Legitimum enim juſtumq; bellum nõ ſolùm Marte aperto, ſed prudẽtiâ etiam & quavis machinatione, quæ cum vitio nihil conjunctũ habeat, geritur, ubi ſimulatio & diſſimulatio

mulatio hæc ferè dominatur & perficitur innumeris rationibus. David Rex Judeorum, filiū ſeditioſum Abſolonem per Chuſai ſimulatâ amicitiâ & verbis etiam ad fallēdū cōpoſitis circumvenire nō dubitavit. *2. Sam. 15.* Joſua dux Iſraëliticꝰ ipſius DEI juſſu collocatis inſidiis ac fugæ ſimulatione militibus civitatis Ai extra confinia longiùs pellectis impoſuit. *Joſue. 8. verſ. 2. & 15.* Singula quis referat? neque enim in bellis quidquā uſitatiùs, quàm inopiæ & paucitatis militum, aut obitus Ducis, aut fugæ & cladis, aut contrariarum rerum diſſimulatione, ſimulare cōtraria, nempè aut quietem & caſtrorum mutationem, aut præparationē ad pugnam, aut abitum & regreſſum, pacis, fœderis, ſocietatis compoſitionem, deditionem, aut proditionem & inſidias, irruptionem, obſidionem, periculum quodcunque, nova auxilia, victoriā, & ſimilia. Quin & ſæpè negotia Reip. & tempora periculoſa poſtulant, ut principes ne quidem conſultoribus propriis ſuum

patere

patere animum velint, ſed omnium quidem ſententias & conſilia diligenter audiant & perpendant, at quid ipſi ex his ſequi cogitent, prudenti taciturnitate atq; occultatione, nec verbis, nec geſtibus ulli, aut ſaltem pauciſſimis & ſecretiſſimis aperiant. Quà in re Principem nec rudem, & acuti ingenii prudentiâ vacuum ad verum conſilium rectè apud ſe diſcernendum, nec confidentem, nimis eſſe velim.

Gravitas Magiſtratus in Veſtitu naturæ, conſuetudini ac dignitati ſe accommodat ornatu corporis externo, quo & ipſo non tantùm animus viri ſe variè prodit, ſiquidē ut eſt apud Nicetā τό σχῆμα φαίνει τὸν τόπον, καὶ τὸν τρόπον, habitus & locum, & mores indicat: ſed plurimum etiam autoritatis homini accedit, & reverentia conciliatur, ut eſt apud Poſidippum, chlænam alloquebantur meam, non me antea: haud namque quiſquam verba nunc mihi facit. Auguſtum Imperatorem togis nec reſtrictis, nec fuſis, cum thorace laneo femo-

femoralibuſque & tibialibus inceſſiſſe, memoriæ proditum eſt. Calceamentis altiuſculis utebatur, ut procerior, quàm erat, videretur, *Sueton.* Alexander Magnus ex cultu barbarico, quod inſolens & tragicum erat, rejiciens, gerebat ſtolam quandam Macedonico & Perſico ritu temperatam, ut Imperator communis eſſet, & Rex popularis veſtitus honore, devictorũ ſibi concilians charitatem, quò in fide perſiſterent, & diligerent Macedonas ut Principes, non ut hoſtes averſarentur. *Plutar. orat. 1. de Alex. fortun.* Idem regio habitu, tùm Siculo amiculo & lineo thorace, auro, gemmisq; ornatus, ſemper bella geſſit, ejus caſſidem criſtata juba & pennæ cãdidiſſimæ circumcingebant. *Alex. lib. 1. c. 20.* Carolus Magnus veſtitu, calceatu & cætero habitu patrio, hoc eſt, Teutonico, utebatur: peregrina atq; exotica veſtimenta, precioſa licet, omninò contemſit; præſentibus exteris, ſplendori regali ſtuduit. *Aventin. 4. Annal.* Xenophon Athenienſiũ Dux eloquentiſſimus & fortiſſimus, arma pulcra &

T expo-

expolita ſemper habebat: quòd hæc & decorem viventi, & mortuo jacenti autoritatem aliquam apud hoſtes pareret. Habuit igitur ſcutum Argolicum, thoracem Atticum, galeam Bœotico artificio factam, equum Epidaurium. Elegantiam ſcilicet vir ſapientiſſimus laudavit, quæ fortitudinis opera non modò non impediret, verùm etiam promoveret. *Ælian lib. 3. var. hiſt.* Apud Romanos tunicam palmatam & palmatam togam triumphalem, & togam pictam Conſules, & hi, qui devictis hoſtibus triumpharunt, veluti Auguſtas atq; illuſtri & excelſo honori debitas, acceperunt, præcipuiq; cultus ornatusq́ue fuere, in quibus decus totius imperij ingentisq; virtutis ſpecimen noſcebatur. Palmata veſtis in pace Conſulis, victoriâ verò partâ triumphantis, indumentum erat, quæ quidem purpurea auro intexta erat, & niſi triumphalibus viris atq; ex Capitolio & Palatio, haud aliter, dari ſolita. *Alex. lib. 5. cap. 16.* Apud eosdem purpuram quinq; generibus hominum, exactis regibus, fuiſſe con-

conceſſam legimus; Magiſtratibus, pueris prætextatis, Senatoribus, Sacerdotibus in ſacrificijs peragendis, & denique triumphantibus, imò & viris clariſſimis, nobilibus, & rebus geſtis inſignibus. *Livius lib.* 34. Octavianus Imperator purpuram voluit diſtinguere perſonam & dignitatem imperantis, eorumq́;, qui ejus juſſu & poteſtate præerant populo reliquo. *Sueton.* Poſterioribus temporibus, ne in ſpeciem quidem muricis, ob uſum illius Imperatoribus proprium ſacri dicti, tingere pannos privatis licuit. *l. 1. C. quæ res vender. neq; lic. l. vellera. 3. C. de veſtib. holober.* Leo Imperator cultum & ornamenta Imperatorum propria à privatis ne fieri quidem ac præparari voluit, ſub colore ac prætextu muneris Imperatori offerendi; quòd regium cultum à privatis accipere majeſtati Imperatoriæ haud conveniat. *l. un. C. Nulli lic. in fræn. & eq.* ut nec impunè licuerit ante Leonis Imperatoris tempora, quibus Cæſares purpurâ toti veſtiebantur, ſegmenta purpuræ & particulas vẽdere, aut eme-

re, aut ferre. *Novel. Leon. 80.* Tant
gravitatis in veſtitu apud antiquo
giſtratus obſervatio! Eſt enim tin
purpuræ, ex ſententia Theodoric
gis Gothorum, opus Regale: quia
nimio lepore vernans, obſcuritas r
nigredo ſanguinea, regnantem d
nit, dum conſpicuum facit, & p
humano generi, ne de adſpectu P
pis poſſit errari. *Caſſiod. lib. 1. var.*

Atq; iſta dignitas Gravitasq; I
ſtratus etiam alijs quibusdam ſign
ternis exprimi atq; illuſtrari conſu
Regum propè omnium commun
ſigne eſt Diadema capitis & Scept
Regis Ammonitarum bello victi
nam auream gemmis precioſiſſim
ornatam ſuo capiti David Iſraëlit
Rex impoſuit. *2. Samuel. 12. v. 30*
daris, Perſarum & Armeniorum
gum inſigne capitis, faſcia cærulea
diſtincta, fronti applicata fuit: ſeu
pureum diadema diſtinctum albo
Curt. lib. 3. & 6. Alexandrum Mag
cum equo deſiliens caſu Lyſimac
vulneraſſet, diadema ſibi detra

(nam candida erat faſcia) illoq́; vulnus obligaſſe, idq́; Lyſimacho omen futuri regni fuiſſe, idem Curtius tradit. Interdum Perſarum Lydorumq́; regum inſigne candys, pro diademate tiara, Pileus erat, ex quo redimicula, quibus maxillæ velantur, defluebant. *Alex.lib. 1.c.28.* Aurelianus Imperator Romanus diadema capiti primus innexuit, gemmisq́; & auratâ veſte uſus. *Aurel. Vict. in epit. Cæſ.* Electum Romanorum regem & Imperatorem Gloſſa ad Clement. unic. in verb. veſtigijs. De jurejur. ait, primò coronam accipere ferream Aquisgrani ab Archiepiſcopo Colonienſi, deindè argenteam ab Archiepiſcopo Mediolanenſi in villa Modicenſi, deniq́ue auream à Pontifice Romano in templo D. Petri ad altare D. Mauritij. Utut illud ſit, nos hîc dignitatem, ac in habitu ornatuq́ue externo Magiſtratus Gravitatem ſpectamus: ad quam facit etiam pompa auguſta Curiæ Imperatoriæ in congreſſibus ſtatuum Imperij, quam Carolus IV. Imperator in bulla, uti appellant, aureâ, inſti-

tuit: ut in proceſſione ſolenni Imperatori Dux Saxoniæ enſem, Comes Palatinus pomum, ſeu globum imperialẽ, Marchio Brandenburgenſis ſceptrum præferat, fiant quędam alia, quæ imperatoriam majeſtatem deceant. Ad dignitatem Cõſulum Romanorum ipſis prodeuntibus duodecim faſces à tot lictoribuś præferebantur, quibus illigatæ ſecures erant, dabatur purpurea prętexta curulisq; ſella, *Alex. lib. 2. c. 27.*

Gravitas Geſtuum Magiſtratus decorum & concinnitatem in totius corporis & ſingulorum membrorum ſitu motuq; tenet, ut ſtatus, inceſſus, ſeſſio, accubatio, vultus, oculi, manus, eam præ ſe ferant dignitatem, quæ animum virtute præditum, ac ſeria meditantem demonſtret, tacendo loquatur, & quaſi mandando in ſui admirationem & reverentiam alios abripiat. Præter ingentia animi bona, quibus P. Scipio Africanus cæteros alios anteibat, præ ſe etiam ferebat eximiam formã & omni amplo dignam imperio. Erat præterea vir benignus in audiendo, facundus in reſpon-

reſpondendo & in conciliandis hominibus egregius artifex: habitu corporis virili, cæſarie promiſsâ utebatur. Pulcritudine oris & totius corporis formâ conſpicuus erat, lætâ atq; hilari fronte, quæ plurimum valent ad gratiam hominum conciliandam. Habebat & in geſtu, & in motu ſummam dignitatem. Ad hæc animi bona muneraq; naturæ cùm militaris accederet gloria, dubium erat, gratiorné gentibus domeſticis virtutibus, an mirabilior bellicis artibus foret. Eum Maſiniſſa Numidiæ Rex ſalutatum veniens, ut primùm conſpexit, ſic virum admiratus eſſe dicitur, ut nec ab eo dimovere oculos, nec intuendo explere deſiderium poſſet, *Auctor ejus vit.* Alexandro Magno virilis ferè vultus & leoninus hilaritate oculorum mixtus fuit. In cupiditate honorũ gravitas ei præter ætatem & magnanimitas aderat. Non enim quosvis neque à quibusvis honores gratos habebat: in Olympiæ ſtadio ſe decurſurum recepit, ſi Reges habiturus eſſet ἀνταγωνιςὰς: ex Perſarum Legatis nihil puerile aut

parvum, ſed quæ ad rem pertinerent publicam, de itinerum ſpaciis, & commeatus in ſuperiorem Aſiam modo ac ratione, de Rege, qualem ſe is erga hoſtes præberet, quod robur, quæ potentia Perſarum eſſet, quæſivit. *Plutar. oration. 2. de Alex. fortun. & in ejus vit.* Cn. Pompejo ad conciliandos multitudinis animos haud parum attulit momēti vultus voci viam ſternens. Erat enim adſpectus amabilis & blandus, ſed qui tamen haberet aliquid majeſtatis & in florente ætate ſtatim indoles veneranda & regius animus elucebant. *Plutar. in eod.* In Demetrii, qui Poliorcetes dictus, facie cum venuſtate & elegantiâ Gravitas terrorque inerat, & confuſa cum juvenili & feroci vultus adſpectu penè inimitabilis heroica quædam ſpecies & majeſtas regia, adeò, ut qui eum adibant peregrini, cùm decorem viderent regali excellentiâ ornatum admirarentur, & in profectionibus ſpectandi gratiâ ſubſequerentur. Perinde mores inerant ei pariter formidabiles hominibus & grati. *Plutar. in eod. Diodor. lib. 20.*

lib. 20. Henricus I. Cæſar etiam in relaxationibus animi eam ſervavit integritatem, ut nemo ſolutum eum, qui attenderet, videret. In conviviis ſatis jucundus, nihil tamen de regali diſciplina remiſit. Tantum auctoritatis in eô pondus fuit, ut etiam ludente ipſo nemo auderet ſe ad aliquam laſciviam libertate morum convertere. *Crantz. 3. Saxon. 11.* Quæ geſtuum gravitas plurimum quidem dignitatis à natura corporisque ac membrorum diſpoſitione eleganti & heroicâ nanciſcitur, ſuum tamen verum decus in moribus certo judicio formatis habet, qui faciunt, ut naturalis dignitas ad humanam cõverſationem aptè cõgruat. Nam decorum in geſtibus animo magis & intellectu, quàm externis inſtrumentis corporis regitur ac judicatur. Undè morum elegantiam etiam in deformibus corporibus probamus, internâ mentis, non externâ membrorum, pulcritudine æſtimatum. Quocunq; igitur modo Magiſtratus agat cum aliis, & aut ſerio ſermone diſſerat, aut jocetur & rideat, re-

prehendat quemquam & objurget, irâ commoveatur, aut amore & lætitiâ, vel mœrore afficiatur, hoc decorum ore, vultu, manibus, omni deniq; corporis motu ac geſtu exprimendum ipſi eſt, ut cum dignitate Gravitatem tueatur.

In Converſatione verò gravis Magiſtratus in congreſſibus ac cõvictu ſuo familiari non niſi honeſtate ac virtute præſtantes homines admittit. Epicurus olim Reges hortare ſolitus eſt, ut conviviis non ſcurras, non cantores, nõ citharædos, non hujusmodi hominum genus, adhiberent, ſed viros peritos, qui cùm ipſi non modò rebus gerendis interfuiſſent, verùm etiã ſępè prędfuiſſent, de bello, de caſtris, de acie, de tota deniq; militari diſciplinâ (addo ego de religione) diſſererent, aut populorum regendorum imperiiq; propagandi & vectigalium conſervandorum rationem demonſtrarent: quòd his ſermonibus audiendis animus paulatim ad ea effingatur, quæ audit. Princeps bonus fit, ait Capitolinus, ſi bonis amicis utatur, *in vit. Alex.* Et ſcitum eſt illud Græcorũ;

Sapien-

Sapientum congreſſu principes ſapiũt. Ex Senatoribus Principes noſcũtur, Otto Imperator apud Tacitum ait. *1. hiſt.* Neq; majus ullum indicium bonæ mẽtis oſtendere poteſt Princeps *(ut graviter Comineus lib. 3. & 4.)* quàm ſi eligat ſibi, & iis familiariter utatur, viros virtute & famâ celebres: nam omnes ſtatim judicabunt, talem eſſe principem, quales ſunt eorum mores, quorum familiaritate ipſum implicatum animadvertunt. Aulicos igitur miniſtros, conſiliarios, officiarios, Magiſtratus circa ſe habeat tales, quorum converſatio & miniſterium nullum ipſi dedecus, ſed Gravitatis procreare opinionem apud alios queat. Quamdiu Joas Rex Judæ conſiliis Jojadę Pontificis uſus eſt, ſanctè vixit, poſt obitum ejus Principum ſuorum impiis vocibus ſeductus eſt. *2 Reg. 12. v. 2. 2. Chron. 24. v. 2. & 17.* Ex Anaxagorę Clazomenii converſatione ac conſuetudine Pericles non modò animum orationemq; ſublimem, neque infectam plebejâ & impoſtoriâ ſcurrilitate, habuit, ſed & in vultu gravitas ei

aderat, in inceſſu lenitas, in veſtitu m
dities in oratione nihil propter ull
affectum perturbabatur, vox comp
ta & placida, deniq; id genus multa a
quibus ingentem ſui apud omnes
mirationem excitabat. *Plutar. in Pe*
Primo Platonis adventu in aulam I
nyſii junioris, modeſtia cõvivio iur
aulæ mutatus habitus, ipſiusq; in c
dis reſponſis Dionyſii lenitas, in am
ſimam ſpem Syracuſanos erigeba
Itaq; & ad philoſophiam miro om
impetu ferebantur, eratq; regia (ut r
ratur) plena pulveris, ob multitudin
eorum, qui Geometriæ vacarent: in
per Tyrãnidis vocem, ut execratione
Rex abhorrere cepit. Eam converſi
adulatores aulici ægrè ferentes & I
tonis potentiam tempore & conſue
dine confirmatam inexpugnabilem
re metuentes, ſiquidem is paucor
dierum convictu animum adoleſce
adeò mutaſſet, Philoſophi cum R
converſationem interruperunt. *Plu*
in Dion. Ægyptiorũ Regum olim c
tui obſequioque nullus deputatus e
neq

neq; emtitius, neque domi genitus ſervus, ſed nobilium, ſacerdotum filii, tùm ultrà viginti annos nati, tùm doctrinâ præ cæteris eruditi, ut horum corporis miniſtrorum die noctuque adſtantium conſpectu motus Rex nil turpe cõmitteret. *Diodor. lib. 1. c. 6.* Franciſcus I. Galliæ rex doctorum conſuetudine variam ſibi cognitionem comparaverat. Nam prandens atq; cænans ferè loquebatur de literis & avidiſſimè quidem, uſus ad eam rem hominibus doctiſſimis, à quibus quidquid eſt in Poëtarũ, Hiſtoricorum, Coſmographorũ, Phyſicorum libris, hauſerat. De Mathematicis etiam & rebus divinis frequẽs erat collocutio. Circumſiſtebant menſam omnis ordinis viri magnifici: & quoniam de variis argumentis inferebatur ſermo, vix erat, ut non ex iis aliqui ſemper in medium aliquid adducerent: & id quidem unicuique licebat, qui modò eſſet paullò notior. Exemplum etiam iſtud ſtudiumq; Regis multos, ut cum laude coram eo diſſerere poſſent, ad majorem diligentiam exacuit. *Sleidan,*

dan. libro decimo nono. Ac prudenter illi faciũt Magiſtratus, qui nobiliorum ex ſua ditione liberos in aulas recipiunt, unde & ſubditorum erga Magiſtratum benevolentia, à quo cohabitatione iſthac quotidianâ ſe amari maximeque fidem ſibi tribui intelligunt, mirificè inflammatur ac confirmatur, & multorum genere clarorum miniſterio ac comitatu Magiſtratus dignitas ac Gravitas magis fulgurat, magisq́; amplificatur. Quin etiam negocia ſua non niſi magnis viris, hoc eſt, ſi non genere, virtute ſaltem, prudentiâ, eruditione, authoritate eminentibus peragenda committat, præſertim in Legationibus. Rectè in eo Tiberius Imperator, qui res ſuas ſpectatiſſimo cuiq́; mandabat. *Tacit. 4. Anal.* Conſiliarios Sevēri & Antonini Imperatorum, viros ex omni virtutum ſcientiarumque genere fuiſſe ſeleCtiſſimos, ſuprà ex Lampridio & Capitolino probavimus. Quidquid enim in excelſo faſtigio poſitum eſt, humili & tritâ cõſuetudine, quo ſit venerabilius, vacuum eſſe convenit. *Valer. Max. lib. 2. c. 6.*

2. c. 6. Pericles ad Remp. accedens, ut hac converſationis Gravitate venerabilis eſſet, ita vitam ſuam inſtituit, ut unicâ viâ in urbe uteretur eâ, quæ ad forum & curiam duceret, convivia & omnem id genus comitatem atq; convictum planè vitaret, adeò ut toto eo tempore, quo in Rep. verſatus eſt (quod fuit ſanè longum) ad nullius amicorum cœnam venerit, quin & ad nuptias cõſobrini cùm iviſſet, ſtatim libatione pfectâ diſceſſerit. Etenim ea vis eſt conſuetudinis, atq; convictus cum amicis, ut omnem majeſtatem deprimere valeat, & in familiaritatibus retineri gravitas, quæ ad gloriam requiritur, vix poteſt. At in eo, qui verâ ſit virtute prçditus, ea pulcerrima videntur, quæ maximè apparent, neque quidquam in viro bono tãtoperè exteri mirantur, quãtum domeſtici quotidianam vitç rationem. Quin etiam veritus, ne continuâ præſentiâ ſuâ ſatietatem ſui apud populum gigneret, quaſi per intervalla in concionem venit, non quâcunq; re oblatâ orationem habens, neq; ſemper ad

mul-

multitudinem progrediẽs, ſed tã
mùm ſui copiam faciens, cùm
aliqua res operam ipſius requirer
liqua amicis & ſociis oratoribu
miſſis expediebat. *Plutar. in eod.*
majeſtati major ex longinquo re
tia eſt. *Tacit. 1. Anal* continuu
adſpectus minus verendos magn
mines ipsâ ſatietate facit. *Livius*
Nõ igitur hominum ſocietati, ſed
paſſim familiaritati Magiſtratum
trahimus.

Neq; verò illud modeſtię genu
giſtratui negligendum eſt, cui U
NITATIS nomen, ut in jucundi
congreſſibus, cùm res & occaſio
runt non poſſit ipſe tantùm joci
ralibus ingeniosè ac dextrè uti,
aliis quoque in ſe miſſos excipere
torquere modeſtè ac lepidè. Au
Cæſar non minor Cicerone in jo
modeſtior tamen, ſalvo nimirum
jeſtatis pudorisq; reſpectu, abſq;
litate fuit. *Macrob. 2. Saturnal.*
ſpaſianus Imp. pro innata ſua e
mnes clementia atq; humanitat

tantùm jocabatur apud amicos, ſed jocosè etiam ſe ludi ab aliis patiebatur. *Xiphilin.* Cleomenes Rex Spartanorum in victu parcus, in conviviis admodùm jucundus erat. Aurium oblectatio neque adhibebatur ulla, neque deſiderabatur: nam cōvivium ipſe ſuo ſermone jucundum reddebat, modò quęrens, modò narrans, oratione ita temperatâ, ut & quæ ſeriò dicebantur non injucunda, & facetiæ elegantes, non inurbanæ, eſſent. *Plutar. in eod.* At cùm jocis non aliter, quàm ſomno ac quiete utendum ſit, maximeq; nomen Magiſtratus, & vita calumniis ſit expoſita, Urbanitatis verò exercitatio non tantùm mentem remiſſiorem, ſed præcipuam etiam quandam naturæ dexteritatem requirat, Magiſtratui inprimis rarò aut ſaltē moderatè, nec niſi apud familiariſſimos, loco & tempore perquam opportuno, facetiis prudēter ludendum eſt: ne fortè joco aliquantulum inconcinniore atque ineptiore emiſſo, inſulſi ac nugatoris, aut ſolutiore ac liberiore ſcurræ, turpem ac vilem

de

de ſua dignitate imaginationem aliorum animis offerat.

Potiſſimum ac Princeps humanę ſocietatis vinculum, quod per virtutes hominis erga alios paullatim coaleſcit, ſermonis eſt cõmunicatio, quia loquelam homini natura elargita eſt, non ut ipſemet ſecum, quod vanum eſſet & ſupervacaneum, ſed cum aliis hominibus verba permutaret, mutuumque amorem & conjunctionem coleret. Ac primò quidem humanitas ſermonem eſſe benevolentię indicem voluit, mox etiam ad decorum & gravitatem modeſtia compoſuit, ejusdem nunc integritatem in re uti ſeſe perfectè habet efferenda VERACITAS cuſtodiet. Admirandus fuit veracitatis amor in Epaminonda Thebanorum Duce, qui ne joco quidem mentitus perhibetur. *Alex. lib. 9. c. 10.* Ex ejus collo, qui inter Ægyptios Judices primarium obtinebat locum, imago numinis, quod ipſis Veritas nuncupabatur, pendebat gemmis & auro cõfecta. Quo oſtendebant, judicis cordi oriq; veritatẽ ineſſe ſemper

per debere. *Ælian. lib.* 14. Catonis minoris in ſermone integritatem magna populi Romani arguit de eo exiſtimatio, adeò ut Orator quidam Romæ, unico teſte in judicium producto, diceret: Uni teſti, ne ſi Cato quidem is eſſes, credendum. Et vulgò de rebus incredibilibus veluti proverbium jactabatur: Ne Catone quidem affirmãte hoc probabile eſt. *Plutar. in eod.* Amplectendus itaque Magiſtratui Veracitatis cultus, cujus regula potiſſimùm Candore & fidelitate gubernatur.

CANDOR Magiſtratus ſine circuitione ſineque involucris ſimplicem & apertam veritatem & ipſe profert, & liberas ac ſinceras aliorum voces, præſertim cùm de Rep. capiendum conſilium eſt, libenter audit & amat, adulantium verò aſſentationibus nõ delectatur, nec fucatis blandientium laudibus os ſibi obliniri patitur. Rex Macedonum Philippus cuidam amico in omnibus ſibi annuenti dictasque ſententias probanti, Diverſum, inquit, ſemel ſenti, ut duo eſſe videamur. *Plutar. de diſcrim. adulat.*

lat. Candorem in ſuis conſiliariis F
dericus III. Imp. deſideravit, cùm h
ſe in votis habere oſtendit, ut in curi
vocati illi ſimulationem & diſſimu
tionem in veſtibulo deponerent, q
& ipſi rectè conſulerent, & ſibi eti
conſilia rectè dijudicare faciliùs eſ
Æneas Sylv. lib. 3. comment. de Alph
Rex Antigonus reſpexit, atq; ideo
ſacrificans quotidiè precabatur, ut
ſimulatis ſervarent amicis: ſiquidē h
ſtis apertus cavetur tutiùs, quā ocul
& amicitię pallio velatus, *Stob, Serm*
213. Laudatur à Plinio Trajanus, qu
eo ſententias rogante, liberè dicere
ceret, vinceretque ſententia, non p
ma, ſed melior. Ne authoritatem r
gis, quàm veritatem conſultores ſeq
rentur, Cyrus, Alexander Magnus, A
guſtus, alii, ultimo loco ſuas dicere ſ
tentias ſoliti leguntur: idque obſer
tum apud Romanos fuit, ut quotie
gendum cum populo eſſet, priùs ho
nibus privatis cōcio daretur, quàm M
giſtratibus: ne quis potentioris (ut ſ
aſſolet) ſententiâ præventus, ſuam ſ
pri

primeret, ſed ſummâ cum libertate exponeret. *Dion. lib.* 39. Alexander Magnus per fluvium Hydaſpem navigans, cùm ei Ariſtobulus Poeta quidam carmen obtuliſſet, in quo ei ita aſſentabatur, ut elephantos interimere, turres proſternere, muros perfodere diceret, indignatus Rex, Apage iſthæc, inquit, mendacia, quæ vera etiamſi eſſent, poſſent in mendacii ſuſpicionem venire: & ſimul librum in profluentem abjecit, ſimilia authori minatus, ſi tale quid in poſterum ederet. *Gyrald. dial.* 3. *de hiſt. poët.* Eundem cum amici factis ſupergreſſum Herculem jactarent, At enim ego, inquit, res meas in imperio geſtas ne unico quidem Herculis verbo conferendas arbitror. *Plutar. in apoph.* Nec leviter commotus eſt in quendam nobilem, qui in curſus certamine, in quo de pernicitate certabatur, ipſi ultrò cōcederet. *Plutar. de tranquilli. anim.* Alexander Seuerus Imp. quia cum Peſcēnino nigro viventes laudare irriſionem duceret, maximè Imperatores, à quibus ſperatur, qui timentur, qui præſta-

re publicè poſſunt, qui poſſunt necare, qui proſcribere, non libenter audiebat Oratores & Poëtas, qui ſibi Panegyricos & præconia laudum recitarent: ſalutari nomine tantùm volebat, ita: Salve Alexander: inanes titulorum ambitioſorum pompas apud ſe uſurpare ſalutantes vetabat. Si quis caput flexiſſet aut blādiùs aliquid dixiſſet, vel ut adulator abjiciebatur, ſi perſonæ ratio pateretur, vel ingenti riſu excipiebatur, ſi propter dignitatem graviori contumeliæ ſubjici non poſſet. *Lamprid.* Sigiſmundus Imp. ſupra modum eum laudanti & diis ſimilem eſſe jactanti alapas dedit, dicentiq́; illi, Cur me cædis, Imperator? Cur me, reſpondit, mordes, adulator? *Æneas Sylv. lib. 2. de Alphon.* Alphonſus Aragonius Rex nihil magis in vita exhorruit, quàm mendaces, nihil magis averſatus eſt, quàm paraſitos & adulatores, quos etiam peſtem Principum appellare conſuevit, & variis interdum pœnis ac cruciatibus affecit. *Panormit. de reb. ejus geſt. Æn. Sylvius de dict. ejusd.* Nam magnæ for-

tunæ

tunæ ſemper comes eſt adulatio. *Vellejus Paterc. lib.* 2. Perpetuumq; Regum ac principum malum, ſed quod caveri poteſt, ſi laus falſa perinde cohibeatur, quàm malitia, quàm crudelitas. *Tacit.* 15. *Annal.*

Pariter nec Calumniatores Magiſtratus amans Veritatis admittet, ſed dicta factaq; aliorum & ipſe interpretabitur in partem meliorē, & malitioſis delatorum ac calumniatorum perverſionibus haudquaquam aures ſuas aut fidem adhibebit. Cùm Romæ delatorum improbitas & multitudo in inmēſum excreviſſet, eos Nero aliquantum compeſcuit, ut cùm anteà dimidiā pœnæ partem ex lege Papia haberēt, quartam duntaxat de proſcriptorum, quos detulerant, bonis acciperent. Verum Domitianus Imper. fiſcales calumnias magnâ pœnâ repreſſit: ferebatur vox ejus, Princeps, qui delatores non caſtigat, irritat. Pius verò Antoninus Imp. delatores ſi non probarent, capitali pœnâ affecit, ſi probarent, oblato præmio dimiſit infames. Opilium quoque Ma-

crinum

crinum Imp. delatores minin
ſiſſe memorant, ſed undique c
tos pœnis & damno multaſſe
lib. 4. c. 22. Titus Veſpaſianus
foro flagellis ac fuſtibus cæſos
ſimè per amphitheatrum duc
re tales juſſit, partim in aſper
ſularum avehi. Utq; etiam ſin
doque auſuros perpetuò coërc
tuit inter cætera, de eadem re
legibus agi, quærive de cujusc
functorũ ſtatu ultrà certos ann
ton. Quo pertinet malitiosè ac
um, à Magiſtratu coërcitio, &
inauditâ alterâ, aut probation
ritè & plenè factis quemquan
mnet, ſed in ambiguis human
benigniorem ſententiam ſecte
moriâ dignum eſt Matthiæ R
noniæ factum, quo Nicolaum
Epiſcopum Madruſienſem, I
Legatum, ſummos quosq; Re
cipes proditionis apud ſe inſi
in coventum Principum nil
nantem produxit, & clarâ vc
nam ſunt illi, inquit, quos vi

Digitized by Google

tunis meis toties jam inſidiantes te certò comperiſſe, aſſeruiſti? Legatum obmuteſcentem & veniam deprecantem intra biduum regno excedere juſſit. *Joach. Cureus in Annal. Sileſ.*

FIDELITAS Magiſtratus promiſſiones juſtè à ſe factas bonâ fide ſine retractatione ſervat ac præſtat, præſertim ſi etiam jurejurando atque adeò divino humanoq; vinculo ſe obſtrinxerit. Cicero juſtitiæ & omnis amicitiæ fundamentum fidem, hâc nihil vehementiùs Remp. & ipſam vitam cõtinere ſtatuit, eamq; dictorum conventorumq; conſtantiâ ac veritate definit. *1. & 2. offic. in Lælio, pro Roſcio.* Et alibi, Quod affirmatè, inquit, quaſi DEO teſte promiſeris, id tenendum eſt. Qui igitur jusjurandum violat, is fidem violat, quam in capitolio vicinam Jovis majores noſtri eſſe voluerunt. *3. offic.* Publica enim fides quondam Romanis adeò venerabilis & ſancta erat, ut eam pro Numine colerent. Itaq; apud eos ſolenne & ſacrarium erat inſtitutum fidei, in quo pacis leges, fœdera, induciæ, jurejuran-

do confirmabantur, ut ejus, qu
larer, ſacrum diis inferis capt
Liv. lib. 1. & 24. Fides enim qu
mittitur etiam hoſti ſervanda e
tra quem bellum geritur, ſecu
guſtinum. *23. q. 1. c. Noli.* Et ſi
ſticia, ait Ambroſius, etiam in b
vanda eſt, nec ullum decorum
ſi violetur fides, *1. offic. c. 29.* Q
Alphonſus Hiſpaniarum Rex
valere ad fidem, Principis ver
bere dixit, quantùm privatorum
num jusjurandum. *Panormit.*
ejus dict. & fact. Tiſſapherne jur
ĉte inducias ad bellum clàm
dum convertente, Ageſilaus S
rum Rex, etſi id ſentiebat, ju
jurandum ſervavit, multumqu
conſequi dixit, quòd Tiſſaphe
jurio ſuo & homines ſuis rebu
naret, & deos ſibi iratos redder
tem ſervatâ religione confirm
citum, cùm animadverteret,
numen facere ſecum, homine
conciliari amiciores, quòd ii
conſueſſent, quos conſervare f

derent. *Prob. in Ageſil.* Nam & Joſue Dux Iſraëlitarum fraude ac mendacio fœdus per Gibeonitas impetratum ac jurejurando confirmatum non revocavit, ſed bello poſt afflictis ipſis ſuccurrit, opemque attulit. Id quod DEVS etiam ratum habuit. *Joſ. 9. & 10. 2. Samuel. 21.* David Rex Semei homini ſeditioſo ac maledico, & læſæ Majeſtatis reo, fidem juratam dedit, ſervavitque. *2. Samuel. 19. v. 19. & ſeqq.* Pompejus fidem pro Rep. cum Piratis pactus erat, ne fraudi illis eſſet Piraticam exercuiſſe, quæ niſi Senatus, populusq; Romanus rata habuiſſet, bellum iſtud exitum periculoſum habiturum fuiſſet. Nam Piratarum numerus viginti millium erat, urbesque ſuprà quadringentas cum aliquot inſulis occupaverant. *Plutar. in Pomp.* Jugurtham Numidiæ Regem, crudeliſſimũ parricidam, ad cauſam dicẽdam Romani venire Romam interpoſità fide publicà ſunt paſſi, eademque fide, licet peſſimas pœnas meritum, fremente etiam populo, incolumem illo tempore in regnum dimiſe-

runt, quem poſteà juſto bello de
in carcere mori coegerunt. *S*
Jugurth. Plutar. in Mario. Car
Imp. D. Martino Luthero, que
tifex Romanus diris omnibus,
Eccleſiæ Romanæ hoſtem, dev
fidem dedit, ne ad Wormatiæ C
venire dubitaret. Adverſariis
bus, hæreticis, juxta decretum
Conſtantienſis, fidem non eſſe
dam, Imp. ne ſecuritas publica
retur, Lutherum per caduceato
duci juſſit. Interrogatus, Cur ho
ſet? nunquam ſatis laudatam ill
cem edidit: Fidem rerum prom
etſi toto mundo exſulet, tame
Imperatorem conſiſtere oporte
noccar. lib. 1. Bodin. 5 de Rep.
thias Corvinus, Ungariæ Rex,
divit Rudolphum quendã Pont
Legatum, hortantem, ut Georg
miæ Regis ſoceri ſui, in ſumma
ſtias bello redacti filios, qui hur
tem ac fidem Matthiæ ſecuti a
mucenſe inſtitutum de pace cõ
um ſe contulerant, caperet & a

bello finem imponeret, utpote, qui iis reditum nô eſſet pollicitus, & qui præterea hęretici eſſent. Verùm torvo Rex vultu ſceleratum conſilium deteſtatus, fidem ſuam non Boëmiæ modò, verùm etiam totius terrarum orbis imperio, ſibi antiquiorem eſſe, dixit, utq; à ſimilibus conſiliis deinceps abſtineret, Legato edixit. *Cureus in Annal. Sileſ. add. Molanum de fid. hæretic. ſervandâ.* Promiſſa igitur, uti & contractus tàm publicè quàm privatim factos, implere Magiſtratus ex hac virtute tenetur: modò cum pietate & juſtitia non pugnent, ſed fidei dandę legitima cauſſa fuerit. Cùm Leo Magnus recèns imperium adeptus ab Aſpare Duce urgeretur, ut, quod pmiſerat, alterum filiorum ipſius Cæſarem declararet, Imperator verò id facere cunctaretur, Aſpar purpurâ ejus apprehensâ, Hâc, inquit, veſte indutum mentiri nefas eſt. *Zonar.* Exigenti promiſſa veterano militi cùm Imp. Sigiſmundus diceret, At immoderata fuit petitio tua: reſpondit miles, Poteras negare cùm peterem, nunc ſine turpi-

tudine quod promiſſum eſt, reſcindere non poteris. Tùm Sigiſmundus: Si ex duobus alterum me facere oportet, faciliùs rerum, quàm famæ jacturam ſubibo. *Æn. Sylv. lib. 3. comment. in Panormit.* Cæteris mortalibus, inquit Tacitus, in eo ſtant conſilia, quid ſibi conducere putent: Principum diverſa ſors eſt, quibus præcipua ad famam dirigenda.

Fidelitatis filia eſt FIDENTIA, quâ Magiſtratus non temerè de bonorum promiſſis dubitat, & ſuſpicioſè aliorum fidem elevat, ſed ſicuti ipſe candidè ac fideliter agit cum aliis, ita benè ſecum viciſſim agi ſperat. Syracuſanus Dion admonitus, ut adverſus quoſdam amicorũ, quorum fidei plurimùm credebat, tanquam inſidias ei nectentes cautior eſſet, reſpondit, Se vitâ malle excedere, quàm metu mortis violentæ amicos, inimicosq; juxtà ponere. *Valer. max. lib. 3. c. ult. Plutar. in Dion.* Apud Claudianum ſingularis laus eſt Theodoſii Imper. quòd non fuerit ſuſpicax. Dignâ admiratione fuit Alexandri Magni

gni ergà Philippum Medicum ſuum confiſio. Cùm is enim Regi graviter ac periculosè ægrotanti potionem medicam ſuâ manu temperaſſet, & interea temporis literę à Parmenione fidiſſimo purpuratorum ſuperveniſſent, quibus Alexandro denunciabatur, caveret ſibi à Medico, donis ab hoſte corrupto, nec ei vitam ſuam concrederet, Rex medici fidem perſpectam habens poculum hauſit interritus, tùm legendas Philippo literas tradidit. Pro quo tam conſtãti erga amicum judicio digniſſimam incolumitatis falſo indicio non interpellatę mercedem tulit. *Curtius lib. 3. Plutar. in Alex.* Literis Caſparis Schlickii, quæ Hungaris nonnullis inſcriptæ erant, ad Fridericum III. Imp. perlatis, cùm non deeſſent, qui eas aperiendas dicerent, ne quid fortè proditionis in iis contineretur, Imperator animo fiduciâ pleno, Ego, inquit, Caſparem & probum virum, & mei amantem exiſtimo. Sin fallor, malo per ſeſe error pateat, quàm meo ſcelere inveſtigetur. *Æn. Sylv. lib. 4. comment. de geſt. Al-*

phon. Carolus V. Imp. Franciſci I. Regis Galliarum fidem ſecutus per medium ejus regnum iter fecit, quem ipſe antea hoſtem ad Papiam bello captum in Hiſpania detinuerat. Vult ſibi quisq; credi, inquit Livius, & habita fides ipſam obligat fidem, *lib*.22.

Nec tamen fides indifferenter omnibus tribuenda, pręcipuè rerum circumſtantiis non vanam ſuſpicionis dubitationem ingerentibus, quæ animadverſio in bello præſtantiſſima magnæque prudentiæ eſt. Nam aliàs vix fieri poteſt, quin, quod efficaciter adſeveratur, ambiguos reddat animos, etiam eorũ, qui ſecus credere conſtitutum habent. *Guicciard. lib*. 3. Et ad virum aliis inſiantem, qui aliud linguâ promtum, aliud pectore clauſum habet, cavendum magnâ ſapientiâ opus eſt, & numinis Divini auxilio. *Nicet. lib*. 7. Quo ſenſu inimico reconciliato, cujus atroces injurias multoties experti ſumus, nunquam fidẽdum Syracides monet. Nam ut ferrum, inquit, quod ſemper ærugine contrahit, ſic nequitia illius. Quã-
vis

vis enim inclinat ſe & coram te incurvat, nihilominùs contine animum tuum, & cave tibi ab illo. Etiamſi illum tanquam ſpeculum perpolias, ſemper tamen aliquid retinebit æruginis. Quare ne colloces eum juxta te, ne te excluſo ſellam tuam occupet. Bona quidem ſunt inimici verba, quibus tuo luctu ſe indolere ſimulat, & lacrimulas etiam exprimere novit, ſed in corde ſuo de tua ſubverſione cõſilia agitat, arreptâque occaſione ſanguine tuo exſatiari nequit: hoſtibus tuis ſeſe conjungit, & ſub amicitiæ atq; auxilii ſpecie ſubvertet plantas tuas, teq; inopinatò dejiciet. Tum verò concuſſo capite in ſinu ridebit, nec ſine faſtu tibi inſultabit, *cap. 12. v. 10. & ſeqq.* Romani ſuam fidentiam à Samnitibus tandem non fruſtrà illudi paſſi ſunt. Illis namq; multoties perfidis deprehenſis cùm ultimo Legatos de pace Romam miſiſſent, hoc reſponſi retulerunt, Niſi ſæpè bellum parantes pacem petiiſſent Samnites, oratione ultrò citroq; habitâ de pace tranſigi potuiſſe: nunc quando verba vana ad id

V 5 loco-

locorum fuiſſent, rebus ſtandum eſſe. Conſulem cũ exercitu brevi in Samnio fore: eum ad bellum pacemnè inclinẽt animi, falli non poſſe, comperta omnia Senatui relaturum: decedentem ex Samnio Conſulem, Legati ſequerentur. Itaque cùm pacatum Samnium exercitus Romanus benignè præbito commeatu peragraſſet, fœdus antiquum Samnitibus redditum. *Liv. lib. 9.* Hujus farinæ ſunt defectores, transfugæ, proditores, qui fide malitiosè ruptâ, aut ſuâ ſponte, aut ſpe vel præmio inducti Magiſtratum ſuum legitimum deſerunt, aliisque proſtituere conantur. Romani transfugas hoſtium, detractis armis, ne quid inſidiarum ſimulatâ tranſitione moliri poſſent, in poſtremã aciem ducebant, nec illis quidquam credebant amplius. *Alex. ab Alex. lib.* 4. *cap. 7.* Antigonus Rex proditores ſe tantiſper, dùm produnt, amare, ubi prodidiſſent, odiſſe, dictitabat Rhimotalcem Thracum Regem, qui ab Antonio ad Auguſtum tranſierat, ſolitum illi inter pocula ſocietatem petulantiùs exprobare,
cùm

cùm ægrè ferret Auguſtus, cuidam ex accumbentibus propinans, ἔγω, inquit, προδοσίαν φιλῶ, προδότας δ' οὐκ ἐπαινῶ, proditionem quidem amo, ſed proditorem non laudo. *Cælius lib. 5. A. L. c. 3. Plut. in apophth.* Ita Philippus Macedo interrogatus, quos amaret præcipuè, & quos maximè odiſſet? Reſponvit, Proditurosquidem inprimis amo, eos verò, qui jam prodiderunt, odi maximè. *Stob. Sermon. 52.* Idem Laſtheni Olynthio, qui patriam ipſi prodiderat, conquerenti, quòd eum proditorem vocarent milites, facetè inquit, Rudes naturâ & ruſticos eſſe Macedonas, ac Scapham Scapham vocare. *Plutar. in apoph.* Cùm tres Duces exercitus Philippi Auſtriæ Ducis, quos Carolus IV. Imp. magnis pollicitationibus corruperat, inanem metum Philippo injeciſſent, ut clàm fugâ ſibi conſuleret, & jam illi pactam proditionis mercedem ab Imperatore peterent, is pecuniam, quæ vix vigeſimam juſtæ monetæ haberet, numerari juſſit. Quâ re ab illis animadverſâ, cùm de fide expoſtula-

rent, commotus Carolus, Abite hinc perfidi proditores, exclamavit, adulterina fides, adulterino auro recompenſatur. *Hieron. Zigler. de vir. illuſtr. German.* Neque enim prodendorũ Regum exemplum ſuo probare judicio Reges convenit. Aut quis fidem ſervaturum aliis credat, qui patriæ & Principibus ſuis non percepit? *Vopiſc. Æmil. lib. 1. de Franc.* Hinc Agis Spartanus, mandãtibus aliquando Ephoris, ut adſumtâ juvenum manu quendam in ejus patriã ſequeretur, qui eſſet ipſum in arcẽ ducturus, reſpondit, Quomodo verò cõvenit tot homines credere ei, qui ſuam ipſius patriam prodit? *Plutar. in Lacon.* Cæterum animus proditoris, ipſaque proditionis occaſio Magiſtratui perpẽdenda, omnibusque ex circumſtantiis fidei ac fidentiæ ratio ſubducenda, ut cogitet, quis ſit, qui dicat, quid, & de quo dicat, & longiori tempore eadem de aliis ſciſcitetur, *add. P. Gregor. 22. de Rep. 11.*

Corporis geſtus externos ac verba Magiſtratus ad benevolentiam, deco-

rum,

rum, & fidem hactenus effinxit humanitas, modeſtia, & veracitas, quibus quaſi cuniculis in hominum animos & conſortium ſenſim illabimur ac penetramus, ſed undè rurſus facilis ſit lapſus, niſi mutuæ cõſenſionis atq; Concordiæ Studio communiantur: ex quo potentiſſimi affectus, nempe iræ, moderatio exiſtit. Prima imperandi ac parendi incunabula agnoſcimus in animorum ac voluntatum conſenſione publicâ, quam cõcordiæ ſtudio in Rep. altam ac educatam Magiſtratus, quantum in ſe eſt, nutrire ac roborare, & ad florentem ætatis ἀκμὴν perductam ſaluberrimo pacis pabulo quotidiè reficere & perpetuo adoleſcentem vigore cuſtodire debet. Quæ virtus in Rep. in tanta hominum multitudine, tantâque animorum varietate difficultatis plurimum habet, perficiturque, cùm Magiſtratus offenſionum, diſcordiarum & odiorum cauſas & occaſiones, quantâ poteſt maximâ, ſolicitudine circumſpicit & amolitur, eò ſuas omnes cogitationes, conſilia, & actiones dirigit, ut

jucun-

jucundum pacis nomen & inter ſuos ſanciat ac conſervet, & porrò inter alios quoque homines longè lateque propaget, ut verè Pacificus & dici, & haberi queat.

Principiò ipſum Magiſtratum, cum Magiſtratibus in eadem Rep. aliis, cum ſubditis, cum vicinis populis, Concordiam colere, eamque inter ſuos ſtabilire ſubjectos oportet. Stultâ enim & præpoſterè quæritur pax inter exteros, quá ipſe domi tuæ & intra tuæ Reip. pomeria retinere nequeas: quemadmodum Gorgiæ & Philippo Macedoni inter Græcos pacem facere aggreſſis reſponſum fuit, quorum uterque domeſticis diſſidiis laborabat. *Lud. Vives de pacificat.* Hoc pacis bonum, ut inter ſe & alios, interque ſuos, Magiſtratus nanciſci poſſit, ſic omnia ad Concordiam pacemque conſtituta habeat, ſeque ita conformet, ut ſibi multa iniqua ſurdis auribus, oculis clauſis, transmittēda & tanquam animalcula minuta à Leone prætereunda ac deſpicienda, nonnunquam de optimo etiam jure ſuo receden-

lendum, eſſe perſuadeat. Cicero antè
cedere Clodianis & excedere urbe ma-
uit, quàm ſumtis armis ſe defendendo
pacem turbare publicam. *Plutar. in
od.* Otto quoque Imp. cùm videret aut
leponendum imperium, aut magnâ ci-
rium ſtrage tuendum, ſtatuerat ſpontè
nori, & amicis ac militibus hortanti-
us, ne tàm citò de belli eventu deſpe-
aret, negavit ſibi ſuam vitam eſſe tan-
i, ut hac de cauſſa bellum civile naſce-
ētur. *Eraſm.* 8. *Apoph.* Planè inter Ma-
iſtratus ipſos, præſertim ejusdē Reip.
nembra hoc Concordiæ vinculum ar-
tiſſimè conſtringendum, quorum au-
piciis conſentiens animorum benevo-
entia in vulgus bono ſpargi exemplo
ebet, quorumvè unanimitate Reip.
lus nititur. De ſua cum Ulyſſe in con-
liis de Rep. capiendis Concordiâ glo-
atur Neſtor apud Homer. Odyſſ. γ.

Non in conſiliis unquam populivè
coronâ
Ore ſumus vel judicio diverſa ſe-
cuti:
Sed nobis eadem mens & ſententia
concors *Fecit*

Fecit nos populo ſic conſultare Pelasgûm,
Ut fierent ſemper pro veſtris optima votis.

Q. Fabius Max. etſi Scipionem non amaret, ejus tamē actiones, quas Reip. utiles arbitratus eſt, defendere ac promovere non dubitavit. *Plutar. in Fab.* M. Æmilius Lepidus bis Conſul & Pōtifex Maximus ſplendorique honorum par gravitate vitę diutinas ac vehementes inimicitias cum Fulvio Flacco ejusdem amplitudinis viro geſſit, quas, ut ſimul cenſores renunciati ſunt, in campo depoſuit, exiſtimans, non oportere eos privatis odiis diſſidere, qui publicè ſummâ juncti eſſent poteſtate. *Valer. Max. lib.* 4. *c.*2. Tùm verò etiam magis inter vicinos, aut ejusdē Reip. Magiſtratus, cōcordia cōſtet, cùm aut extrinſecus hoſtes & pericula metuuntur, aut ſupremus Magiſtratus Tyrānidē affectat, denique in omnibus diſcordiis undecunque ortis, quæ communi omnium ſaluti nocere valeant. Cùm adverſus Annibalem Senatus Romanus Claudi-

um Neronem & Livium Salinatorem Conſules mitteret, eoſque ut virtutibus pares, ita inimicitiis acerrimè inter ſe diſſidentes videret; ſummo ſtudio in gratiam reduxit, ne propter privatas diſſenſiones Remp. parùm utiliter administrarent. Iſta Concordia Cōſulum in aſpero ac difficili temporum articulo plurimum ſalutis urbi atque Italiæ attulit; quia pari virtutis impetu conixi terribiles Punicas vires contuderunt. *Valer. Max. d. lib. 4. c. 2. & lib.* . *c. 2.* Nam concordi collegâ nihil firmius ad tuendum Remp. & diſcordi nihil periculoſius ad eandem evertendam. *Liv. lib. 1. deca. 1.* Aureum illud eſt & memoratu digniſſimū, quod de Achęorum Rep. ſcriptum Plutarchus reliquit, eorum neque authoritatem magnam neque potentiam fuiſſe, cùm Sicyonii ſe illis adjungerent. Nam & pleræq; eorum urbes, inquit, paucis civibus frequentabantur, neque bonum agrum poſſidebant, ad mare habitantes ad litus ſcopuloſum & ſine portu. Verùm hi maximè demonſtrarūt Græcorum

corum vires inexpugnabiles eſſe, quoties unanimi ordine ii cōponantur atq; regantur & cordatum habeant ducem. Quippe cùm ne minima quidem eſſent portio ejus, quod olim in Græcia viguit, roboris, & tunc viribus ſuis omnibus in unum collatis unius alicujus prçcipuæ urbis potentiam non æquarent: conſilio tamen & Concordiâ, & quia norant virtute præſtantiſſimo abſq; invidia obtemperare, non modò ſuam libertatem in medio tot urbiũ, tam potentium civitatum atque Tyrannorum tutati ſunt, ſed & reliquorum Græcorum plurimos in libertatẽ adſeruerunt. Sic enim exiſtimãdum eſt, urbes ſingulatim imbecilles mutuò ſervari, tanquã illigatas commodo publico. Ac quemadmodum membra corporis viventia & conſpirantia, propterea quòd invicẽ adnata ſibi hærent, ſi quod eorum avellatur & à cæteris ſeparetur, non alitur amplius, ſed tabeſcit: ita urbes ab iis quæ Remp. divellunt perduntur, augetur autem una ab alia & omnes mutuò, cùm veluti magni alicujus corporis

partes

artes communem habent procuratio-
em. *Plutar. in Arato.* Laudabiliter
Cretenſes, qui cùm frequenter factio-
ibus & bellis inteſtinis inter ſeſe pu-
narēt, invadentibus aliundè hoſtibus,
iiſsâ contentione cōjuncti ſunt. *Plu-
tr. de fratern. amor.* Namque unitæ vir-
itis acerrima vis eſt: quod Scytharum
Rex Scilurus moriens filios ſuos docu-
, cùm telorum faſciculum ſimul fran-
i non poſſe, ſingula autē facilimè rum-
i, oſtenderet. *Plutar. in apoph. & de
garrulit.* Scorio Dacorum Rex popu-
um Romanum, licet civilibus armis
iſſociatū, non tamen laceſſendum ex-
timulandumvè rectè judicavit: quo-
iam velut ex ſpecula fieri poſſe prævi-
ebat, ut bello externo ingruente do-
neſtica reſtinguerentur incendia, &
oluntatum coalitu in idem tendenti-
im funeſtior clades peregrinis inflige-
etur. Atque ut hoc ſuis demonſtraret
larius, ipſis inſpectantibus, duos canes
commiſit, iiſque mox acrius ac perin-
niciter compugnantibus, lupum im-
niſit, quem illi, omiſsâ protinus inter
ſe

ſe irâ, ut communem hoſtem alacriter invadentes confecere. *Cæl. lib. 9. A. L. c. 50.* Xerxe contra Græcos exercitum ducente, quicunque libertatis ſtudioſi erant Græci in unum convenerunt, cōſilioq; habito viſum eſt ante omnia remittendas pecunias debitas, ſimulque inimicitias tùm privatas tùm publicas. *Herodot. lib. 7.* Ad Concordiam animorum & pacem publicam inter cives & ſubditos ſuos conſtituendam, talem rationem Numa Pompilius ſecundus Romanorū Rex iniit. Cùm enim urbs ex duabus gentibus, nempè Romanis & Sabinis, conſtare videretur, re autem ipsâ diſſideret, ac in unum coaleſcere nullo modo vellet, neque diverſitatem & differentiam liceret abolere, ſed eſſent perpetuæ inter partes offenſæ atq; contentiones: Numa animo ſuo reputans, ea corpora, quæ ſuapte naturâ difficulter aliis ob duritiem miſceri poſſent, cōfracta in particulas, propter harum exiguitatem, inter ſe demum coire atque commiſceri poſſe: ſtatuit univerſam multitudinem in plures portio-

nes

ſes partiri, atq; ita primum illud & magnum diſcrimen in minora tributum è medio tollere. Diviſit autem ſecũdum artificia, ut ſuum peculiare corpus haberent tibicines, ſuum aurifices, architecti, tinctores, ſutores, coriarii, fabri ærarii, figuli: reliquas artes etiam ſingulas omnes in unum ſuum quamque corpus redegit. Porrò unicuique generi ſuos peculiares conventus & religiones præſcribens, tùm primùm ex urbe auſtulit eam diverſitatem, quâ alii Romani, alii Sabini, hi Romuli, illi Tatii cives cenſebantur, ſuâque diviſione id conſecutus eſt, ut omnibus cum omnibus conveniret, ac commercia intercederent. *Plutar. in Numa*. Nec aliud efficere ſunt conati veteres illi legumlatores, cùm ſuos cives mutuis inter ſe cõviis conciliarent. Hinc Minos convivia Cretenſium, quæ ipſi ἄνδρεια vocarũt, Lycurgus φειδίτια vel φιλίτια, Plato συμποσια, Moſes σκηνοπήγια & magnum Paſcha feſtis epulis coli juſſit: hinc Athenienſium σιτήσεις in Prytaneo, tùm etiam epulæ in Panathenæis ac Theſmo-

phoriis, hinc Romanorum cænæ in capitolio & in publicis ſacrificiis, ad idq; creati Epulones, quorum exemplo Veneti quatuor publica convivia inſtituerunt. Quin etiam legislatores Helvetiorum mutuas illas compotationes in tribuum atriis (auff den Zunfftſtuben) uſurpari voluerunt, ut non modò cives agreſtes ac rudes ad humanitatem & honeſtatem, ſed etiam ab odio, vindicta, litibus, ad pacem, amorem, ac benevolentiam revocarent. *Bodin. meth. hiſtor. c. 6. & 3. de Rep. 7.*

Majori etiam adnixu Magiſtratui Concordiæ eſt ſtudendum in ipſo motuum publicorũ inter ſuos ardore jam flagrante reſtinguendo: ſeditionis, bellorum civilium, turbarumque ſeminibus in prima ſtatim herba omnib. modis, ſummâ prudentiâ, ac vigilantiâ, ſuffocandis, ne vires ubi adquiſierint, univerſam Rempub. peſſumdent & ex fundamentis evertant; ſiquidem ſeditio proprium ſubditorum officium penitus tollit: eô autem ſublatô, ipſa hominum conſociatio publica diſſolvitur

ac

ac concidit. *Plutar. in Polit.* Sylla, ut pernitioſam ſuorum militum ſeditionem diſcuteret, hoſtem adeſſe nunciantium & ad arma cõclamantium voces in caſtris tolli juſſit *Frontin. lib. 1. c. 9.* Ita Julius Cæſar, quoties tumultuari milites videret, exſpectari ab hoſtibus majores copias non ſolùm non inficias ibat, ſed vehementioribus verbis etiam augebat & amplificabat. *Polyæn. lib. 8.* Turbulentis quoque tribunorum concionibus deditum populum Romanus Senatus bello aliquo excitato diſtinere atque involvere ſolebat, Medicorum exemplo, qui ea, quæ tumultibus in corpore movendis faciunt foràs avertunt. *Plutar. in Camill.* Eodem conſilio Sigiſmundus Imp. quos inter Bohemos ſuſpectos de novis turbis habebat, ad militiam Turcicam eduxit, ut quà fortitudine prius in Chriſtianos abuſi eſſent, eà in Turcos uterentur, & vel vincentes, vel victi prodeſſent. *Crantz. 12. Vandal. 4.* M. Cato minor, Cæſare populum ad res movendas ſollicitante, induxit Senatum, ut inopi plebi frumen-

ti con-

ti congiarium daret. Quo munere populares procellæ conquieverunt, & fuerunt motus compreſſi. *Plutar. in præcept. Polit. & in Caton.* Olaus verò Gothorum & Sueonum Rex, laxatis quàm pluribus tributis, quæ priores Reges impoſuerant, animos procerum ac populi efficaciter ſibi reconciliavit, pacemque domeſticam penitus labefactatam hoc modo reſtituit. *Joh. Magnus lib. 17. c. 9.*

Quinetiam magno in populo cum ſæpe coorta
Seditio eſt, ſævitq; animis ignobile vulgus,
Jamq; faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat:
Tum pietate gravem ac meritis ſi fortè virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectisq; auribus adſtant:
Ille regit dictis animos & pectora mulcet. Virg. 1 Æn.

Ad tumultus & diſſidia præcavenda in caſtris, Turcarum legibus, ne militiæ quidem tempore, ſemper armatum eſ-

ſe li-

licet, cùm hoſtes longiùs abſunt; ar-
a verò carris ac jumẽtis ferè circum-
runtur. Et promiſcuus armorum uſus
pace jure veteri Imperatorio & ho-
è Italorum Gallorumque ferè mori-
is, nec non quibusdam Germaniæ in
cis, prohibitus. *Bodin. 4. de Rep. 7. P. regor. 23. de Rep. 9. n. 6. l. un. C. ut ar- or. uſ. inſc. Princ. interd. Novell. 85.*
erpenna literarum Sertorii ſcrinia na-
us, cùm Pompejo promiſiſſet, ſe cõ-
larium & potentiſſimorum Romæ
rorum epiſtolas ipſorum manu ſcri-
as oſtenſurum, qui Sertorium in Ita-
im evocaſſent, nimirùm multis res
ovas & immutationem Reip. expe-
ntibus: cæterùm Pompejus gravis
lmodum prudentisque animi facinus
lidit, eoque Romam magnis terrori-
is & tumultibus liberavit. Nam lite-
s illas in unum congeſtas, cùm neque
ſe legiſſet, neq; legere quenquam paſ-
s fuiſſet, cremavit. Ipſum quoq; Per-
nnam ſtatim interfecit, ne nomini-
is ad alios emanantibus defectiones
rbæque exiſterent. *Plutar. in Sertor.*

Correſpondet Conſtantini Magni Imper. factum, qui cùm in Nicænâ Synodo Epiſcoporum libellos utrinq; accuſatorios magno numero accepiſſet, in ſinum conjectos non legit, ſed Vulcano conſecravit & ad Concordiam atq; ἀμνηστείαν Eccleſiaſticos cohortatus eſt. *Euſeb.* Sapienter Fridericus I. Imp. ſubacto Mediolano, omnium ordinum cõventu Roncaliis indicto, de pace Italiæ ſtabiliendâ conſultavit, ſtatuitque, ne civitas civitatem, privatus privatũ oppugnaret injuſſu Regis: edictumq; additum, ut ſi qua civitas hæc jura violaret centenas Marcas auri dependeret, ſi Marchio, quinquagenas, ſi Comes, quadragenas, ſi Capitaneus ſeu alius Valvaſor major, vicenas, alii verò denas, usque ad ternas. Quòd ſi ſolvendo non eſſent, per quinquennium quinquaginta millibus paſſuum à Patria exſularent. *Sgon. 12. Regn. Ital.* Ad hunc finem Conſtitutio de Pace publica in Imperio Romano ſollicitè ab optimis Imperatoribus ſancita ac repetita fuit: *de qua Gail prolixè in tract. de pace publ.*

P. Gre-

P. Gregor. 11. de Rep. 14. Utiliſſimum etiam ad Concordiam inter ſubditos conſervandam compendium Magiſtratus fecerit, ſi in judiciis temerè litigandi pruriginem, pragmaticorum & rabularum futilem catervam & colluviem, litium emtores ac mangones, terminorum agendi protractiones, nimiam appellandi provocandiq́ue licentiam, ea omnia profliget, quibus controverſiæ in foro magis magisq; creſcunt & immortales redduntur, unde animorum in perpetuis litibus exacerbationes, quæ tandem inter potentiores in Rep. in aperta bella prorumpunt. Auguſtus Cæſar Cinnam nobilem adoleſcentem Pompeji nepotem, vitæ inſidiatorē, humanitate & beneficiis reddidit ſibi fidiſſimum. *Sueton.* Carolus IV. Imp. hominem, quem ſibi necem parare cognoverat, mille aureis donavit, quibus filiā nubilem elocaret. Quâ liberalitate is delinitus ad conſpiratores reliquos, Neſciebam, inquit, Carolus qualis eſſet: nunc liberalem & clementem Principem ferire nullo pacto

 poſſum,

poſſum, *Æn. Sylv. lib. 4. comment. de Alphon.* Conſalvus magnus in militum ſtipendia flagitantium furiosâ ſeditione, uni ex gregariis atrocibus oculis cuſpidem intentanti, lævâ haſtæ ſuppoſitâ arridens, Attolle, inquit, miles incaute, attolle cuſpidem, ne me per ludum transfodias: idque tam familiari vultu, ac ſi miles ille alioqui peracerbè dentibus infrendens jocari videretur. *Jovius in eod.* Nam plebis ferocia in ſolis ferè verbis, ultrà quæ vix illa quidquam auſura. *Tacit. 2. & 3. hiſt.* Proindè nō quidem ſemper cedendum multitudini, ſed nec ſemper obſiſtendum vehementiùs, ſed quemadmodum Agricolæ caprificos, pyros ſylveſtres, oleaſtros, in ficus, pyros, oleas, cicurant & manſuefaciunt; ſic ſubditi rebelles duriter & aſperè non ſunt tractandi, ſed benevolentiâ & lenitate potiſſimùm corrigendi. *Plutar. in Fabio.* Atque ut cytharædus ſi qua in fidibus diſcrepat, non ſtatim abrumpit, ſed paullatim ad conſonantiam reducit: ſic in motibus publicis verſabitur prudens

magi-

magiſtratus, ut concordia conſervetur. *P. Gregor. lib. 23. de Rep. 9. Bodin. 4. de Rep. 5. & 7. Antimach. 3. theor. 30. Lipſ. 6. Polit. Althuſ. Polit. 26.*

Nec pigeat Magiſtratum diſſidentibus etiam aliis ſuo interventu ac interceſſione conciliandis operam navare: non quidem, ut alienis negotiis ac controverſiis ſeſe immiſceat, ſed ut innocens pacis ſtudium oſtēdat, citra cujusquam injuriam. Auguſtus Cæſar Reges ſocios inter ſemetipſos neceſſitudinibus mutuis junxit, promtiſſimus affinitatis cujusq́ue atque amicitiæ conciliator & fautor: nec aliter univerſos, quàm membra parteſque imperii, curæ habuit. *Sueton.* Ortâ inter Bavarię & Auſtriæ Principes finium regundorum cōtroverſiâ, Fridericus Barbaroſſa Imper. Auſtriaco, apud quem propter arctiorem cognationē plus valebat, perſuaſit, ut propter pacem publicam & auſpicia Imperii recèns adepti, ferret hanc jacturam leviter, armisq́ue deſiſteret: addidit pręterea familię Auſtriacæ Ducatus titulum. *Phil. Melanchth.*

 in

in chron. de Frider. Heinricus IV. Imp. ut diſſidium atrox inter Boleslaum Poloniæ Regem & Vratislaum Boëmiæ Ducem ſuâ authoritate ſopiret, cõventu Myſiæ indicto utrumque ab ira & armis dehortatus eſt, hac comminatione additâ, fore ſe ei ſocium, qui prior arma deponat, ad oppugnandum alterum, *Matth. Dreſſer. millen. 6* Fuit enim hoc ſemper in more poſitum, ut populorum diſſidia amicorum ac ſociorum cõmunium ſententiis & authoritate, & eorum potiſſimùm, qui opibus ac potentiâ cæteris præſtarent, componerentur, bello illi denunciato, qui juſtas conditiones recuſaret, infirmosq; armis ac imperio opprimere conaretur. Romani profectò, opibus ac potẽtiâ nulli populo ſecundi, ſi qua inter ſocios cõtroverſia incidiſſet, ad communes ſocios arbitrium deferebant. Hinc in fœderibus concipiendis nil æquè neceſſarium putatur, quàm unum aliquẽ potentiâ vel autoritate pręſtantem populum vel principem excipere, qui ſociorum ac fœderatorum arbiter ſit futurus

arus, ne aut bellum temerè inferatur, ut illatum non facilè exitum reperire poſſit. Nam ſi teſtibus aut tabulis quæſtio explicari poſſit, quid iniquius, quàm principes aut populos armis decernere, ſi communium ſociorum arbitrio ac ſententiâ res ipſa dirimi queat? aut quid ſtultiùs, quàm vicinæ domus incendia, quæ tuis quoque ædibus interitum minantur, ſi modò potes, reſtinguere nolle? *Bodin.5. de Rep.6. Gail. 2. de pac. publ. 18. n. 10. & ſeqq.* Nec aliud Solon eâ lege, quâ infamiæ notam illi irrogat, qui in ſeditione neutri parti ſe adjunxiſſet, innuere voluiſſe probabile eſt, niſi ut bonorum virorum interventu, qui illorum partibus, quorum cauſſa melior eſſet ac juſtior, accederent, ſeditio compeſceretur: quod non fieret, ſi neutrarum partium manerent. *Gellius lib. 2 noct. Attic. c. 12. Plutar. in Solone.*

Porrò Magiſtratus, qui in omnibus ſuis actionibus ſic ſtudioſus Concordię eſt, eundem quoq; Mansuetudini addictum fieri oportet, cujus virtutis

imperio Ira Magiſtratus ſubjicitur & paret. Ubi enim perpetua Concordiæ agitantur cõſilia, ibi dominari iracundia, diſcordiæ genitrix, non poteſt, ſed è veſtigio cedere, atque indè exſulare cogitur. Conſtat autem manſuetudo Lenitate, Longanimitate, & Placabilitate: tribus iræ capiſtris.

Lenitas Magiſtratus iræ principiis obſiſtit, nec ſibi facilè bilem ac ſtomachum fieri patitur, ut erga alios in motus turbulẽtos exardeſcat & erumpat, ſed mitem ſe placidumq; ſine vehementiâ præbet. Sanè qui ad rerum gubernacula conſtituti, nõ civium modò ſuorum, ſed interdum etiam aliorum experiri proterviam ac maledicẽtiam, plurima videre, audire, devorare peracerba coguntur, ſi animum dictis factisq; ſiniſtris omnibus adhibere velint, neç finem nec modum iraſcendi, turbarum atque rixarum, inveniant: ut hìc etiam verè illud quadret: Qui neſcit diſſimulare, neſcit imperare. Quod Tiberius Imp. agnovit, qui in Senatu dictis quorundam hominũ parùm honeſtis

neſtis adſperſus, admonitus ut maledicos puniret, Non tantum, inquit, habemus otii, ut implicare nos pluribus negotiis debeamus. Si hanc feneſtram aperueritis, nihil aliud agi ſinetis. *Eraſm. 6. apoph.* Idem liberas mentes ac linguas in civitate liberâ, eſſe oportere dixit. *Sueton.* Cùm in Fridericum III. Imper. nonnulli dicta probroſa jactaſſent, referentibus aulicis, ille, An neſcitis, inquit, Principes quaſi ſignum ad ſagittam expoſitos eſſe? turres quidem fulgura præaltas feriunt, humilia tecta prætereunt. At nobiſcum benè agitur, ſi verbis tantùm impetimur. *Æn. Sylv. lib. 1. comment. in Panormit.* Quæ etiam Auguſti Imp. ſentētia fuit, ſatis eſſe ducentis, ſi hoc haberet, ne quis ſibi malefacere poſſet. *Sueton.* Rex Judæorum Saul initio ſui Principatus à nonnullis improbis contemtui habitus, injuriam diſſimulavit. 1. *Samuel.* 10. *in fin.* Hinc Teleclus Rex fratri cives accuſanti, quòd ſe nō tantâ. quātâ ipſum, benevolentiâ proſequerentur. Cauſſa eſt, inquit, quòd ferre injurias tu non

 noſti.

noſti. *Plutar. in apoph.* Quidam interrogatus, Quomodo rariſſimam rem in aula conſecutus eſſet, ſenectutem? Injurias, inquit, accipiendo & gratias inſuper agendo. *Senec. lib. 2. de ira. c. 33.* Nam ad civilem vitam tranquillè peragendam, opus eſt gravitate ac manſuetudine. *Plutar. in Coriol.* Phocionem Athenienſem, cùm pro concione quidam multis convitiis debachans interpellaret, omiſit quod ceperat, locumq; dedit maledico. Poſtquam ille vix dicendi finem feciſſet, Phocion, ſuggeſtu rurſus conſcenſo, vultuq; placido, perindè ac ſi nihil eſſet dictum, ceptam prius orationem perſecutus eſt: De pedeſtribus, inquit, copiis, audiſtis, ſupereſt, ut de velitibus ac levis armaturæ milite dicam. *Plutar. in polit.* Pericles quoque, Athenienſium alioquin Princeps, in foro convitiis & opprobriis à quodam impuro atq; impudico homine impetitus, totum diem tacitus eum ſuſtinuit, interim quod habebat negoti conficiens. Veſperi domum modeſtè abiit, illo comitante & maledicen-

tiæ

tiæ nihil ſibi reliquum faciente: & tamen Pericles, cùm jam ſe tenebræ noctis primæ intendiſſent, famulo ſuo mandavit, ut ei domum ſuam præluceret. *Plutar. in eod.* C. Jul. Cæſar dictator, reſiſtēti voluntati ſuæ Metello tribuno plebis, Nunquam efficies, inquit, ut iram Cæſaris mereare. *Sueton.* Auguſtus Cæſar Timagenem hiſtoricum, qui multa petulātiſſimè in ipſum, multa in uxorem, multa in totam illius familiam dixerat, tantùm admonuit, ut moderatiùs linguâ uteretur. Verùm cùm in inſtituto perſeveraſſet, nil aliud, quàm domo ſuâ illi interdixit, neq; Mecænatem, qui eum poſtea recepit, eam ob rem odio habuit. *Sueton. Senec. 3. de ira. 23.* Et quid faciliùs fuit Antigono, quàm duos manipulares duci jubere, qui incumbentes regio tabernaculo faciebant, quod homines & periculoſiſſimè & libentiſſimè faciunt, de Rege ſuo malè exiſtimantes? audierat omnia Antigonus, cùm inter dicentes & audientem palla intereſſet. quam ille leviter commovit, &, Longius, in-

quit,diſcedite,ne vos Rex audiat. Idem tam miti animo hoſtium ſuorum maledicta,quàm civium tulit. Cùm enim in parvo quodam caſtello Græci obſiderentur & fiduciâ loci contemnentes hoſtem multa in deformitatem Antigoni jocarentur, & nunc ſtaturam exilem, nunc colliſum naſum deriderent: Gaudeo, inquit, & aliquid boni ſpero: in caſtris meis Silenum habeo. Cumq; hos dicaces fame domuiſſet, captis ſic uſus eſt, ut eos, qui militiæ utiles erāt, in cohortes deſcriberet,cæteros præconi ſubjiceret: id quoque negavit ſe facturum fuiſſe, niſi expediret his dominum habere, qui tam malam haberent linguam. *Senec. ibid. c. 22.* Similiter de Agathocle Siciliæ Rege,narratur, eum ab obſeſſis contumeliis laceſſitum & interrogatum, Figule, (erat enim figulo patre natus) unde militibus tuis perſolves ſtipendium? placidè, riſuque reſpondiſſe: Hanc ubi cepero: urbe etiam vi potitum ad captivos venditos dixiſſe, Si me denuò convitiis affeceritis, apud dominos veſtros querar de vobis.

Plutar.

Plutar. in apoph. Propè ſtupenda fuit Philippi Macedoniæ Regis erga Democharem Legatum Atheniẽſium lenitas. Auditâ enim benignè legatione Philippus, Dicite mihi, inquit, facere quid poſſum, quod ſit Athenienſibus gratũ: excepit Demochares: Te ipſum ſuſpendere. Indignatio circumſtantium ad tam inhumanum reſponſum exorta eſt: quos Philippus conticeſcere juſſit, & Therſitem illum ſalvum incolumemque dimittere. At, vos cæteri Legati, inquit, nunciate Athenienſibus, multò ſuperbiores eſſe, qui iſta dicunt, quàm qui impunè dicta audiunt. *Senec. d. lib. 3. c. 23.* Locus hìc eſt proverbio Salomonis: Melior eſt expugnatore urbium, qui dominatur animo ſuo.

Cùm verò ira non ſemper penitus ita caveri poſſit, quin ex acri animi dolore interdum ſuboriatur, alterum adhibẽdum eſt Magiſtratui, hoc LONGANIMITATIS moderamen: ne laxas habenas permittat iræ ferociẽti & ad vindictam ſtimulanti, quæ rationis perturbare arbitrium poſſit, & furorem accendat.

Vindictæ igitur ſtudium Longanimitas prohibet præpoſterum, præceps, inſanum. Notârunt hoc Romani inſigni emblemate. Majoribus enim apud eos Magiſtratibus virgæ annexis ſecuribus colligatæ præferebantur: quæ nota eſſet, non debere præcipitem & ſolutam iram eſſe Magiſtratus. Sed & mora allata & cunctatio, cùm virgæ ſenſim ſolvuntur, identidem conſilium mutare poterat de plectendo. *Plutar. in quæſt. Rom.* Hùc collineavit Athenodori Philoſophi monitum, quod Auguſto Imp. valedicens reliquit tale: Cùm iraſceris, Auguſte, nihil antè vel dixeris vel feceris, quàm tecum viginti quatuor orationis elementa repetieris. *Plutar. in apoph.* Theodoſium quoque Imp. poſtquam iræ præcipitantiâ, in Theſſalonicẽſes ob cauſſam leviorem magnâ crudelitatẽ ſæviiſſet, eâdẽ deinceps uſum cũctatione ferunt, ut quoties irâ ſe corripi ſentiret, notas omnes literarum expreſſè recenſuerit, adhoc legem tulerit, ut ſententiæ principum capitales in diem tertium (Sigon. *lib. 9. Imp. occid.*

habet

habet triginta) differrentur, quò interim vel pœnitentiæ, vel miſericordiæ locus daretur. *Platin*. Maximum namque remedium iræ eſt dilatio, ut primus ejus fervor relangueſcat, & caligo, quæ mentem premit, aut decidat, aut minus denſa ſit. *Senec. lib. 3. de Platon.* Sic Cotys Thracum Rex cùm eſſet naturâ celer ad iram, acerbusq; caſtigator eorũ, qui in miniſterio deliquiſſent, longanimitati ſuæ ita conſuluit. Cùm enim hoſpes quidam fictilia ei vaſa attuliſſet, tenuia & fragilia admodum, alioquin elegãter & ſubtiliter ſculpturis cælaturiſque adornata; hunc quidem donis affecit, ſed vaſa omnia contrivit, ne miniſtros, ea ſi confringerent, ſęvius puniret. *Plutar. in apoph.* Idem Vedium Pollionem monere Auguſtus Cæſar voluit, cùm illius omnia cryſtallina vaſa virgulâ perfregit, vivariaque evertit, quia ob cryſtallinum fractum ſervum muręnis objici mandaverat. *Sueton.* In curſu verò jam conſtitutam iram coërcere, longè etiam præſtabilius eſt, quàm ejus graſſandi occaſionem è medio tollere.

Saul

Saul Iſraëlitarum Rex, celebri victoriâ de Ammonitis potitus, cùm priſtini ipſius contemtores ad mortem poſcerentur, ultionem non admiſit, feſtumq; diem funeribus hominum fœdari vetuit, *1. Samuel. 11. v. 13.* David jam Rex unctus & deſignatus de æmulo & perſecutore ſuo Saule privatam vindictam ſumere, quamvis commodiſſimâ occaſione datâ, & inſtigatus, noluit. *1. Sam. 24. v. 7. & 12.* Hinc magnâ ipſe conſcientiæ confidentiâ *Pſalm 7. v. 5. & 6.* canit: Si reddidi tribuentibus mihi mala, decidam meritò coram inimicis meis inanis: ſi retribui malum iis, qui pacificè mecum vixerunt, & ſpoliavi hoſtes meos ſine cauſſa, perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat. Nunquam placet mihi in Imperatore, ait, M. Antoninus Imp. vindicta ſui doloris, quæ etſi juſtior fuerit, acrior tamen videtur. *Vulc. Gallican. in Caßio.* Charillus Rex uni ex heilotibus ſervis, ferociùs ſe adverſus ipſum gerenti, Per Ca-

ſtores,

ſtores, inquit, occiderem te, niſi iraſcerer. *Plutar. in apoph.* Philippus Macedonum Rex, indignè ferētibus amicis, quòd ipſum Peloponneſii, de quibus erat benè meritus, Olympiacâ feſtivitate exſibilarent, Quid ergo, inquit, facient, ſi à nobis maleficium accipiant? *Plutar. ibid.* Epaminondas, poſtquam à Meneclide oratore, accuſatus, quòd Bæotarchatum, contra leges, quatuor menſibus, ſibi ipſe prorogaſſet, magiſtratu dejiceretur, mox etiam viarum ſternendarum officium ipſi ab æmulis per contemtum imponeretur, tulit calumniam iſtam moderatè, nec animum ad vindictam exacuit, civilium injuriarum tolerantiam in magna virtutis parte collocans. Officium quoque injunctum recepit, ex ſordidiſſimo ſplendidiſſimum redditurus. *Plutar. in Pelopid. & Epaminon.* Laudatur in Adriano Imper. quòd ex æquo diſceptârit, cum Phavorino, quem jure ſuo poſſet evertere. Ex quo Homericum illud ſic à Philoſtrato enunciatur: *κρέϊτλων δὲ βασιλεὺς, ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηι, ἣν ὀργὴν κρατέῃ.*

Præſta-

Præſtabilior cenſetur Rex, ſi inferiori iratior indignationẽ comprimat. Nam & privatus quos habuit inimicos, Princeps præſtitit incolumes, atque in his unum, in quem infeſtiore fuit animo, jam Princeps factus cùm ſibi timentem animadvertiſſet, Sis, inquit, bono animo, evaſiſti. *Sabellic. l. 4. Enn. 7.* Lodvicus XII. Dux Aurelianus, poſtea Rex Galliarum factus, quibusdam ſuadentibus, ut ulciſceretur inimicos, quorum fraude & injuriis, bello pulſus, captus, & in carcerem detruſus eſſet, quoniam eorum nihil Carolo, ſuo anteceſſori, adſcribi poſſit, tùm adhuc puero, ſed ipſius tutoribus atq; educatoribus, memorabile hoc reſponſum protulit: Minimè decere, Galliæ Regem ulciſci injurias, Duci Aureliano illatas. *Fulgoſ. lib. 4. c. 1. Annal. Franc.* Archelaus à quodam aquâ perfuſus, amicis adverſus hominem inſtigantibus, Atqui, inquit, non me is perfudit, ſed eum, quem me putavit eſſe. *Plutar. in apoph.* Imprudentia certè, etiam in præpotentes impingẽs, veniam meretur. Quod itidem Alphon-

Alphonſus Aragonius probavit, cui in itinere cùm à quodam, qui præcedebat, fortè ramuſculo arboris dimiſſo, graviter læſus oculus eſſet, amicis vulneris atrocitatem miſerantibus, Regem dixiſſe ferunt: Nihil profectò ſe dolere, niſi percuſſoris dolorē, ac metum. *Panorm. lib. 4. de Alphōſ.* Diogenes Grammaticus Sabbathis Rhodi diſputare ſolitus, Tiberium Imp. ad ſe venientem, ut ipſum extra ordinem audiret, nō admiſit, ſed per ſervulum ſuum in diem ſeptimum diſtulit. Is, cùm Romam veniſſet, & pro Cæſaris foribus adſtaret, cupiens illum ſalutare, Tiberius juſſit, ut poſt ſeptimum annum rediret, nec aliâ pœnâ tantam Grammatici ſuperbiam ultus eſt. *Eraſm. 6. apoph.*

Duo potiſſimùm ſunt belli articuli, in quibus rectè verſari, ſine Lōganimitate, Magiſtratus vix poteſt, nempè illius ſuſcipiendi, ac perſequendi. Injuriâ namque affectis non ſtatim ad arma conclamandum, moreq; beſtiali in adverſarium irruendum eſt, ſed cum mora quadam ad violētiſſimum armorum

reme-

remedium progrediendum, quod ſit belli denunciatione. Nam & aura ſibilat, antequam frangat, domus gemit, antequam opprimat; generoſus canis latrat, antequam mordeat. Veteres priùs ad colloquium, quàm arma veniebant. Iſraëlitæ contra reliquos Judęos, trans Jordanem habitantes, qui in malam mutatę religionis ſuſpicionem venerant, arma moturi, Pinehas ſacerdotem, & decem cum ipſo Principes, antè ad illos verbis expoſtulatum miſerunt, *Joſ. 22.* eandemq; viam, adverſus Benjamitas, uſurpârunt, *Judic.20 v.12.* Apud Romanos legatus res repetitum mittebatur, qui ubi ad fines eorum venit, unde res repetebantur, capite velato, Audi Jupiter, inquit, audite fines (nominabat autem gentem cujus fines erant) audiat fas: ego ſum publicus nũcius populi Romani, juſtè pieq; legatus venio, verbiſq; meis fides ſit. Peregit deinde poſtulata: inde Jovem teſtem fecit ita: Si ego injuſtè impieq; illos homines, illasq; res, dedier populo Romano mihi expoſco, tùm patriæ compo-
tem

tem me nunquam ſinas eſſe. Hæc cùm fines ſupra ſcandit, hæc, quicunq; ei primus vir obvius fuerit, hæc portam ingrediens, hæc forum ingreſſus peregit. Si non dedebantur, quos expoſcit, diebus tribus & triginta peractis, bellum comminatus eſt, invocato Deorum numine. Eo Romam reverſo, patribusq; conſultis, & bello conſenſu decreto, demum fecialis haſtam ferratam, aut ſanguineam præuſtam, ad fines hoſtium tulit, & non minus tribus puberibus præſentibus, verbis conceptis, bellum indixit, haſtamq; in fines eorum emiſit. *Liv. lib.* 1. *Gell: lib.* 16. *c.* 4. *Halicarn. lib.* 2. *Alex. ab Alex. lib.* 5. *c.* 3. Veteribus quibusdam Romanarum rerum monumentis proditum Q. Fabium Romani exercitus Imperatorem ad Carthaginēſes literas dediſſe, quibus ſignificavit, Caduceum & Haſtam, pacis & belli teſſeram, populum Romanum mittere: utrum acciperent, ſibi Pœni miſſum exiſtimarent. M. Varro tamen neque haſtam neq; caduceum miſſum exiſtimat, ſed teſſerulas duas, in qua-

rum

rum una caducei inciſum fuerit, in altera haſtæ ſimulacrum. Idq; belli Punici ſecundi initium fuit. *Gell. lib.* 10. *c.* 27. *Sabell. lib.* 1. *Enn.* 5. Suetonius bellum geſturos Romanos renunciaſſe amicitiam ſcribit in Caligula: eoque modo Germanicum uſum adverſus Piſonem Syriæ Proconſulem Tacitus refert. *lib.* 5. Ipſe Deus non, niſi pace prius oblatâ, ad urbem vi expugnandam ſuos accedere Iſraëlitas voluit. *Deuter.* 20. *v.* 10. Fruſtrà tamen hac denunciationis interpellatione utaris, cùm illata injuria & malitia luce meridianâ clarior, & hoſtium jam incumbentium vis, & urgens impetus, non verba & expoſtulationem, ſed arma & propulſationem, flagitat.

Nec aliter perſequendum, quàm ſumendum bellum eſt & multâ Longanimitate cruentus Martis furor frenandus: nulla Magiſtratui occaſio negligenda, quâ ſeverioris in hoſtes animadverſionis declinare & effugere neceſſitatem poſſit: & non ſolùm induciæ ad pacis deliberationes & actiones, liberaliter

liter dandæ, Legati concordia honeſtaque cauſsâ aliâ miſſi inviolabiles præſtādi: ſed quia ex Scipionis Affricani ſententia, hoſti via fugiendi etiam munienda eſt, *Frontin. lib.* 4. *c.* 7. fugientibus hoſtibus pertinaci ulciſcendi cupiditate non ſemper inſtandum. In acie Pharſalica Cæſar proclamavit, Miles parce civibus. *Sueton.* Scipio, unum ſe malle civem ſervare dixit, quàm mille hoſtes occidere. *Capitolin. in Anton. pio.* Olim ſignū quo canebatur receptui omnem militibus adimebat hoſtis perſequendi & occidendi facultatem: adeò ut à Cyro Perſarum Rege laudatus ſit miles, qui cùm ſublato gladio fuerat hoſtem interfecturus, mox, ut ſenſit cani receptui, eundem dimiſerit. *Eraſm. in Adag.* Lycurgus Spartanorum Legiſlator ſuis civibus pręcepit, ut ſi prælio hoſtem fudiſſent ac viciſſent, tantisper modò inſequerentur fugientes, dùm victoriam conſtabilirent, deinde ſtatim ſe reciperent, non modò quia Græcanicum non eſſet, cadentes interficere: ſed & utilis hæc ratio. Hoſtes enim ſi ſcirent ceden-

tibus

tibus parci, repugnantes occidi, fugam pugnâ utiliorem ſibi arbitraturos? *Plutar. in Lacon. & in Lycurg.* Fridericus III. Imp. victis in Hungaria Gurzienſibus, Magnum, inquit, actum eſt opus: nũc majus reſtat, ut vincamus nosmetipſos, atque avaritiæ & ulciſcendi cupiditati frenos imponamus. *Æn. Sylv. lib. 2. comment. in Panormit.* Pius ſimul & manſuetus fuit Ladislai Hungariæ Regis animus, qui Hunnos ex devaſtata Tranſylvania & Hungaria, magnam pecudum hominumq; prædam abducẽtes, ubi prælio fuſos fugere vidit, Parcite, exclamavit, parcite humano ſanguini, ô milites, ſat cruoris hoſtilis effuſum eſt: fugientem capite multitudinem, ut ſi forſan orthodoxam fidem amplectantur, populum Dei amplificent. *Bonfin. lib. 4. decad. 2.* Longanimum quoque & candidum victorem Conradus III. Imper. ſe præbuit, in eo bello, quod contra Heinrici ſuperbi Saxoniæ & Bavariæ Ducis fratrem Guelphum geſſit. Hic namque Guelphus intra urbem Weinſperg/ cui amœna vi-

neta

neta nomen dederunt, compulſus, tandemq; armis & fame expugnatus, cùm & ſeſe & ſuos victori, quibuscunq; cõditionibus potuit, dedidiſſet, & Imperator præcepiſſet, ut is cæterique equeſtris ordinis viri in cuſtodiam vincti traderentur, opidum à militibus diriperetur, cives vitam ac libertatem retinerent: mulieres, quæ fuerant in urbe, antequam portę aperirentur, petierunt, ut cum rebus ſuis, quas portare unaquæq; poſſet, ſibi abire ſalvis liceret. Quod cùm illæ à victore manſueto & Germano facilè inpetraſſent, auro, gemmis, mundoque muliebri cum pecuniâ, militum prædæ relictis, maritos ſolos humeris ſublatos & parvos liberos in ſinu atque amplexu tenentes urbe aſportarunt. Quo ſpectaculo mirificè delectatus & delinitus Imperator iram depoſuit, omnesque convivio accepit. *Phil. Melanchth. lib. 4. Chronic.* Nam bono vinci ſatiùs eſt, quàm malo more injuriam vincere & victoriâ ex libidine ſua uti. *Saluſt. in Jugurth.* Quidã Hungariæ Palatinus cùm imprudenter age-

re Sigiſmundum Imp. diceret, qui victis hoſtibus non ſolùm vitam & opes relinqueret, ſed etiam eos inter amicos reciperet, extolleretque: Tibi, reſpondit Sigiſmundus, videtur utile, inimicum occidere, neque enim mortuus bellum excitat: at ego inimicum occido, dum parco, & amicum facio, dum extollo. *Æn. Sylv. lib. 3. comment. de Alphon.* Ac commune vinculum humanitatis ſuadet, ne captivis abutamur, gentiumq; omnium jure æquum ſemper agnitum, captos bello non occidere, ſed ſervare, unde Servitutis origo. *§. 2. & 3. Inſtit. de jur. perſon. l. 4. D. de ſtat. homin. l. pupillus* 239. *§. 1. D. de V. S.* Chriſtianum tamen habere mancipium Chriſtianis haud licet, ſed lytrũ pro captivis in bello conceditur. *lib. 1. C. tit. 10.* Deus ſanctiſſimus Iſraëlitas captos fratres ſuos ex Juda impunè dimittere *2. Chronic. 28. v. 8. & ſeqq.* impiorum quoque urbibus, extra Judaicam ditionem ſitis, vi captis, parci mulieribus & infantibus præcepit: quin etiam in obſidionibus arbores ſuccidi

ferti-

fertiles, & vaſtationes fieri non neceſſarias prohibuit. *Deuter.* 20. *v.* 14. & 19. 20. Etiam Indi bella gerentes hoſtium agricolas inviolatos ſervarunt. Stultum enim eſſe dicebant, eos lædere, qui, ut frugifera humus eſſet, labore ſuo curarent: ſiquidem & in bello parti utrique fruges neceſſariæ eſſent, & inclinante ad alterutrum victoriâ, qui ſupereſſent fructus, cum cæteris rebus in ejus futuri poteſtate eſſent, qui victoriâ potiretur. *Fulgoſ. lib.* 2. *cap.* 1. Leonis natura imitanda Magiſtratui, de quo ita Poëtæ;

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni,
Pugna ſuum finem, cùm jacet hoſtis, habet. Ovid. 3. *Triſt. eleg.* 5.

Prætereunt ſubjecta feræ, torvique Leones
Quæ ſtraviſſe valent, ea mox proſtrata relinquunt,
Nec niſi bellantis gaudent cervice juvencæ. Claudian.

Longanimitatis etiam eſt, quod Camillus & Fabricius Conſules Romani fecerunt: quorum ille Faliſcanâ in obſidione proditos ſibi à Ludimagiſtro Faliſcorum pueros non attigit, ſed ad parentes remiſit. *Liv. lib. 5. dec. 1.* hic verò Pyrrhum hoſtem veneno à profuga extingui noluit, etiam ſibi ut caveret ab inſidiis monuit. *Cice. 3 offic.* Qui enim non occidit cùm jure poſſit, locum dat pœnitentiæ inimico, ſuamque in eo Longanimitatem demonſtrat.

Omnes denique Manſuetudinis numeros PLACABILITAS complet, quę in ira coercenda eousque procedit, ut ipſas injurias, offenſas, odia cupidiſſimè deponat: nō tantùm, cùm is, qui primam diſcordiæ cauſam dedit, culpam facilè agnoſcit, ſed & læſus qui fuit, pari facilitatis affectu culpæ ignoſcit, mutuâ deprecandi condonandiq; prōtitudine: ut ruptæ gratiæ commiſſura utriusque partis glutine faciliùs coëat tenaciusq; cohæreat. Cùm David Rex deſignatus Iſraëlitarum Nabalem hominem ingratum & injurioſum cum

ota familia morti deſtinaſſet, jamq; n itinere rearmatus cum ſuis eò contenderet, p pcibus occurrentis Abigaëis fœminæ prudentiſſimæ ſeſe exorari ultrò paſſu eſt, ne humanum fundere ſanguinem neceſſe haberet. 1. *Samuel.* 25. *v.* 32. *& ſeqq.* Quàm promtè idem Simei, à quo læſus haud leviter fuerat, deprecanti ignoverit ex 2. *Samuel.* 19. *v.* 20. *&* 24. ſatis liquet. M. Cato cuidam veniam petenti, à quo fuiſſet in balneo per imprudentiam percuſſus, Atqui reſpondit, nunquam tu me, quod meminerim, percuſiſti. *Plutar.* M. Craſſum, qui ad bellum Parthicum profecturus, ut Ciceronem amicum Romæ relinqueret, cùm apud eundem ſe cænaturum obtuliſſet, Cicero comiter accepit. *Id. in Ciceron.* Inter hunc Craſſum & Pompejum unà Conſules crebræ fuerunt offenſæ, quippè omnibus in rebus diſſentientes, & creverunt inimicitiæ magis etiam ſub fine conſulatus. Tandem C. Aurelius, equeſtris ordinis homo, & qui hactenus in otio vixiſſet, concione frequenti in roſtra

progreſſus, Jovem ſibi in ſomnis viſum dixit, monuiſſeque: Conſulibus mandaret, ne, priusquam in gratiam rediiſſent, Magiſtratu ſeſe abdicarent. Ibi tum quidem Pompejus uti adſtiterat, ita immotus perſtitit: Craſſus autem dextram ei protendens, priorque compellans, Nihil, inquit, ô cives, indignum aut humile facere me arbitror, ſi prior Pompejo concedam, quem vos imberbem etiamnum Magni cognomento affeciſtis, nondum in Senatum recepto duos triumphos dare dignati eſtis. Sic inter ipſos reconciliata gratia eſt. *Idem in Pompej.* Marcellus quartùm Conſul à Syracuſanis inſtinctu æmulorum accuſatus, Senatus verò ſententiis abſolutus, cùm ei ſe flentes Syracuſani ad pedes abjeciſſent, obteſtantes, iram adverſus præſentes uti dimitteret, & miſericordiâ duceretur reliquæ civitatis perpetuam ipſius meritorum memoriam grato animo colentis, non modò cum his in gratiam rediit, ſed & ſemper benefacere Syracuſanis perrexit, *Id. in Marcell.* Hoc inter

omnia

omnia ſua decora maximum ac præclariſſimum Pericles agnovit, quòd nemo Athenienſium propter ipſum atram veſtem induiſſet. Admiratione profectò dignus vir non æquitatis tantùm & manſuetudinis nomine, quam in tot actionibus tantasque inter inimicitias conſervavit: ſed etiam propter animi altitudinem iſtam, qui inter ſua bona hoc primum duxerit, in tanta potentia ſe nihil neque invidiæ neque iræ indulſiſſe, neque ulli adverſariò implacabilem fuiſſe. *Id. in Pericl.* Xerxes Darii filius fratri Arimeni, cum quo de regno contendebat, deſcendenti ex Bactris miſit dona & dicere miniſtros juſſit: Hiſce te nunc honorat frater Xerxes: quòd ſi Rex fuerit renũciatus, tibi primam dignitatem proximamque à ſe poteſtatem decrevit. Arimenes ſub hęc Regem conſalutatum Xerxem adoravit primus, regioque inſigni revinxit, cui & locum Xerxes à ſe proximum conceſſit. *Idem in apophth.* Jucundum relatu & illud verè Ger-

manum germanorum fratrum Friderici & Gulielmi Saxoniæ ducum exemplũ, qui cùm hæreditatis paternæ cauſsâ, incitantibus paſſim privati quæſtus gratiâ aulicis, crudelia inter ſe bella exercuiſſent, tandem Fridericus de pace cum fratre acturus, eum, ut Libercam ad ſe veniret, rogavit. Gulielmus ſpretis conſiliariorum vocibus, ne ſe perditum iret, ſed inſidias paratas caveret, hortantium, At ego, inquit, libens moriar, ubi vos prius necatos videro, qui fraternas contentiones alitis: & ſic maſculâ erga fratrem fiduciâ locum deſignatum adiit: ubi illi, ſemotis arbitris, pacis inter ſe fœdus compoſuerunt, ac firmarunt. *Æn. Sylv. c. 32. Europ.* Adverſus hoſtes immortales inimicitias gerendas non eſſe, Romani demonſtrarunt in eo, quòd hoſtium ſpolia, poſtquam longo ævo conſumta invenirentur, prohibuerint renovari. Odium enim, quod durantibus ſpoliis retineri videbatur, tempore cum ſpoliis ipſis deleri curabant. *Plutar. in quæſt. Roman.*

man. Nam in bello quoque ſupplicibus parcendum eſt, nec iracundiâ animus obfirmandus. Quod apud veteres diligentiſſimam obſervationem habuit; præcipuè in dedititiis, qui ſeſe fidei victoris commiſiſſent, quos violare piaculum credebatur. In Faliſcos multoties rebellantes, ſed Q. Luctatio Romanorum Conſuli ſe dedere coactos, cùm populus Romanus ſævire conſtituiſſet, omnem iram placidâ mente depoſuit, pariterque & viribus odii, non ſanè facilè vinci adſuetis, & victoriæ obſequio, quæ promtiſſimè licentiam ſubminiſtrat, ne juſtitiæ ſuæ deeſſet, obſtitit, poſtquam non poteſtati, ſed fidei, ſe Romanorum commiſiſſe illos cognovit. *Valer. Max. lib. 6. cap. 5.* Affirmat Cicero, eos qui armis poſitis ad Imperatorum fidem confugerant, quamvis murum etiam aries percuſsiſſet, receptos à Romanis fuiſſe: quo nomine, non minus gloriæ ſibi pepererunt, quàm tot de Pœnis victoriis; à quibus cùm ad internecionem usque

Romanum nomen deductum eſſet, victis tandem illis inclinatisque eorum ad pacem animis, cùm ad Senatum Romanum Legatos mitterent, is tali erga eos manſuetudine uſus eſt, ut & ipſis parcendum, & qui in urbe captivi detinerentur, ſine ullo precio Carthaginem remittendos, decreverit. C. Julius Cæſar civili bello victor, cùm in campis Pharſalicis caſtra Pompeji cepiſſet, gemens, ait, Hoc voluerunt, atque huc me neceſſitatis redegerunt, ut maximis perpetratis bellis, ab exercitu ſi diſceſſiſſem, damnatus eſſem. Erga devictos tam manſuetè ſe geſſit, ut neminem ex illis extra aciem occidi paſſus ſit, vitamque iis conceſſit, qui in necem ipſius conſpiraverant. Poſtquam in Ægyptum venit adverſarii ſui Pompeji percuſſores tolli curavit: Romam reverſus, adverſariis non ſolum ignovit, ſed præfecturas inſuper & provincias iis demandavit. Initio belli civilis omnes eos amicos ſe habiturum edixit, qui neutrarum partium armis abſti-

abſtinuiſſent, cùm Pompejus edicto contrario tales etiam hoſtes ſuos fore pronunciaſſet. *Plutar. in Cæſar. Sueton.* Alphonſus Aragonius Ferdinandum Filium adverſus hoſtes exeuntem monuit, ne victoriam crudelitate & inſolentiâ defœdaret, & non tantùm hoſtes, qui ſuæ fidei ſe permitterent, benignè ſuſciperet, ſed adverſus etiam vi dejectos ſuæ potius manſuetudinis, quàm ipſorum pertinaciæ, meminiſſet. *Panormit. in eod.* Nam quantâ pertinaciâ in hoſtes, tantâ beneficentiâ erga ſupplices utendum eſt. *Tacit. lib. 10. Annal.* Philippus Macedoniæ Rex, cùm in oppugnatione Mathonæ urbis ſagittâ è muris ictus ita eſſet, ut dextrum ei oculum cum ſpiculo effodere Chirurgus neceſſe haberet, nihilo tamen iracundior in hoſtes & inclementior factus eſt, ſed pacem illis implorantibus æquis conditionibus dedit, & vulneris autorem neutiquam perquiſivit, moderatum ac mitem ſe omnibus præbens, ac ſi nihil adverſi ea in

um: & cogitare, utrum mundi ſtatus gratior oculis, pulcriorq; ſit ſereno & puro die, an cum fragoribus crebris omnia quatiuntur & ignes huc atq; illuc micant? *Senec. 1. de clement. 7. add. l. unic. C. ſi quis Imp. maledic.*

Placabilitas iniuriarum oblivionẽ includit, quam ἀμνηςίαν Græci indigetant, ut Magiſtratus injurias, mutuasque offenſas non tantum remittat ac condonet, ſed earum etiam memoriã penitus ex animo & pectore ejiciat. In diſſenſionibus civilibus illam ſæpè etiam legibus ſancitam Reſp. lapſas erexiſſe ac nutantes confirmaſſe, conſtat. In difficillimis Reip. temporibus, hæc introducta Athenis à Thraſybulo. *Plutar. in polit. Valer. Max. lib. 4. c. 1.* Ipsã poſt obitum Julii Cæſaris amplexi Romani propter Bruti & Caſſii ſectatores. *Appian. lib. 2. bellor. civil.* Similiter Claudio & Aureliano Imp. *Sueton. Vopiſc. in Adrian.* Uſurparunt Fridericus & Henricus VI. Impp. in reconciliandis Longobardorum ſeu Inſubrum ci-

vitatibus. *de pac. Conſtan.* Illa uſus Carolus V, Romanorum Imp. & Galliæ Reges in edictis de pacificatione controverſiarum religionis.

Cæterum quoniam ira ſi non fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia ſtant, nec crimina compeſcuntur. *Chryſoſt. in Matth. 5.* fieri non poteſt ut facilis ad iracundiam nō iraſcatur, modò ratione ſe temperet, indignationem cohibeat, à puniendo ſe revocet: ſicut & Propheta docet nos, dicens: Iraſcimini, & nolite peccare: atq; ita conceſſit quod naturæ eſt negavit quod culpa eſt. *Ambroſ. de Jac. & vit. beat. libr. 1.* Ideoque manſuetudinis terminos agnoſcamus, quos Cleomenes oſtēdit, qui cuidam è civibus dicenti, Bonū Regē omninò erga omnes mitem & placidū eſſe oportere, Sed hactenus, inquit, ne ſit contemtui: Archidamidas non ignoravit, qui cuidam Charilaū Regem laudanti, quòd pariter erga cunctos fuiſſet mitis ac manſuetus, Et quâ fronte laudatur aliquis reſpondit, qui erga ſceleratos ſe mitem præbebat? *Pluta. in apoph.* Phocion

cion ſeverus licet & durus, Boni tamen nomẽ invenit, quod etſi difficile eſt, fieri tamen poteſt, ut idem homo ſicut & vinum, dulcis ſimul & auſterus ſit: quẽadmodum contra nonnulli, cùm ſuaves videantur, acerbiſſimi ſunt utentibus, & plurimũ nocent. Ferunt, Hyperidem aliquando ad populum ita locutum: Cogitate, ô Athenienſes, nõ modò an ſim acerbus, ſed etiam injuriâ ne talis ſim. Phocion ſanè inimicitiæ cauſsâ, nemini civium malefecit, ac ne inimicũ quidem ullum putavit: ſed quantum res ipſa poſtulavit, ut adverſariis ſuorum, quæ ob utilitatem patriæ iniiſſet, conſiliorum reſiſteret, aſperum ſe pervicacemque præbuit. Aliàs omnibus benignum & mitem ſeſe exhibuit, ita ut inimicis quoque infortunium paſſis, auxilium tulerit, & in judicio periclitantium ſalutem defenderit. *Plutar. in Phocion.* Therſitæ ſcurræ nequiſſimi ſcommata tam diu pertulerunt principes Græci, donec ſuâ maledicentiâ Græcos ad ſeditionem accendere vide-

videretur: cùm ab Ulyſſe & verberibus & verbis graviter fuit caſtigatus. *Homer Iliad.* Hinc Chilon potentiam adjungendam manſuetudini, docuit. *Laert. lib. 1. c.* 4. Namque indiſſolubilis virtutum catena nuſquam interrũpenda, nec atroces injuriæ cum famæ læſione dimittendæ, aut in manſuetudine juſtitiæ vis inferenda, aut in virtutem impingendam aliam eſt, ſed provido ubique pede per legitimos virtutum apices perpetua innocentiæ ſemita calcanda.

DE HUMILITATE, MISEricordia, Beneficentia, Amicitia Magiſtratus.

CAP. XXIV.

ORdo nunc ad illas Magiſtratus erga alios virtutes vocat, quę maiori opere, maioribuſque officiis ad aliorum commoda & utilitatem in ſuis actionibus ſeſe diffundunt, ita quidem, ut hoc etiam ſpontaneâ faciant generoſi animi inclinatione ac voluntate, ſimplici ac nudo charitatis

erga

erga proximum reſpectu inductę. Quibus notis hoc virtutum erga alios genus, & ab illis quas proximè vidimus, & ab his, quæ poſtmodum ſequentur, diſtinguitur. Sunt autem quatuor, Humilitas, Miſericordia, Beneficentia, Amicitia.

HUMILITAS utiq; Magiſtratui ſeriò ſuſcipienda, quòd vix ullum ſit vitæ genus ad inſolentiam animique elationem tam pronum tamque efficax, quã cùm in alto dignitatis atque poteſtatis faſtigio ſupra homines alios, quis poſitum ſe evectumque conſpicit, populorum voluntates ac ſtudia ſuis imperiis ſubjacere, his flecti, ab his dependere, animadvertit. Ex qua noſtrorum bonorum cum aliis inferioribus collatione ſuperbia naſcitur, minuſque poſſe nos arbitramur, niſi aliis, quantum poſſimus, oſtenderimus. At Principes eruditi meminiſſe debent, ſe homines magis, quàm Principes, & nihil humanum ſpernere. Quam opinionem ſibi quotidiè in memoriam revocent Magiſtratus, ſeque demittant ab ipſa celſa po-

poteſtate ad iſta humilia, & quadam tenus adæquent ſubditis, ne quid offendat diſparitas. *Philo Jud. de juriſiur. relig.* DEI præceptum eſt: Ne elevetur cor Regis ſupra fratres ſuos & ſubditos *Deuter.* 17. *v. ult.* Sum equidem, ait Salomon Rex potentiſſimus, homo mortalis, ſimilis omnibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus eſt: & in ventre matris figuratus ſum caro: decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine, ex ſemine hominis & delectamento ſomni conveniente. Et ego natus accepi communem aërem, & in terram ſimiliter decidi, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans: in involucris nutritus ſum, & curis magnis. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium. Unus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus. *Sapien.* 7. *in princ.* Quis fortunæ inſuper inconſtantiam neſcit, quæ ſumma imis commutare momento poteſt? Quantò plus honoris quis adeptus eſt, tantò magis in lubrico eſt. *Tacit.* 1. *Annal.* Et celſæ turres graviore

caſu

caſu decidunt, fulmina montes ſummos feriunt, teſte Horatio. Hinc quo fortuna altiùs evexit ac levavit humanas opes, hoc ſe ſupprimere magis felicem decet. *Senec. trag. 6.* Denique pallida mors (utrurſum Horatius) æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regumque turres. Humiliter ſe demiſit Maximilianus Imp. cùm Oeniponti in Curia tali ſymbolo eleganter picto

Da Adam hackt vnd Eva ſpan/
Wer ware da ein Edelman?

Suum quoque pungi animum ſentiret. Propria enim manu hoſce verſiculos (ô utinam aureis literis omnium Magiſtratuum pectoribus inſculptos!) ſubjunxit:

Jch bin ein Man wie ein andr Man/
Allein mir Gott die ehre gan.

Generis ſui obſcuritatem nunquam diſſimulavit Veſpaſianus Imp. ac frequenter etiam præ ſe tulit: originē ſuam ad Herculē referre conantes ultrò iriſit. *Sueton.* Agathoclem Siciliæ Regem figuli filium, itemque Villegiſum

giſum Moguntinum Electorem Plauſtrarii filium paternæ ſuæ originis adeò non puduit: ut is ſupellectile figulinâ, hic rotarum imaginibus, palàm etiam oſtentarint. Gedeon, angelo munus ei publicum injungente, Ecce, inquit familia mea minima eſt inter Manaſſenſes, & ego minimus in domo patris mei. Ephraimitarum deinde ſævitiam ſuâ humilitate mitigavit. *Judic. 6. v. 15. c. 8. v. 2.* David Rex unctus familiæ ſuæ obſcuritatem minimè texit. *1. Samu. 18. v. 18.* Saulis reſpectu mortuo cani & unico pulici verâ humilitate ſe comparat. *1. Samu. 24. v. 15. c. 26. v. 20.* Antigonus morbo levatus ſuæ mortalitatis memoriam retinuit, faſtum abjecit, Solis filium appellantem ad ſuum laſonophorum ablegavit. *Plut. in apoph.* Philippus Macedo, hominem ſe eſſe, quotidiè ſibi dici in aurem voluit. *Ælian. lib. 8. variar.* Claudius Cæſar in ſemet augēdo parcus atque civilis prænomine Imperatoris abſtinuit, nimios honores recuſavit: ſponſalia filiæ natalemq; geniti nepotis ſilentio, ac tantum do-

meſtica

meſticâ religione tranſegit. *Sueton*. Pertinax Auguſtus factus neq; uxorē paſſus eſt Auguſtam appellari, neque filiū in palatium accerſivit, ſed in privatis ædibus eſſe, & in ludum literarium cum æqualibus, ut antea, itare voluit. *Sabel. lib.* 5. *Enne*. 7. P. Scipio Africanus in recuſandis honoribus maximis penè tantum ſe geſſit, quantum egerat in emerendis. *Valer. max. lib*. 4. *c*. 1. mediocres honores ipſum tempus augere immodicos abolere, cum Theopompo ſtatuit. *Plutar. in Lacon*. David Rex & Propheta ſubditos ſuos fratres compellat, 1. *Chronic*. 28. *verſ*. 2. Summum militum ſuorum favorem Julius Cæſar collegit, quos in nominis ſocietatem quodammodo adſciſcendo, pro concione non milites, ſed blandiori nomine, commilitones fuit appellare ſolitus. *Sueton*. Ludovicum XI. Galliæ Regē corporis cultu admodum ſimplici & ſermone demiſſo fuiſſe, errores ſuos agnoviſſe facilè, & ſanaſſe maturè, eaq; induſtriâ ex magnis rerum difficultatibus emerſiſſe, in ore dictum hoc ferè

habuiſſe

habuiſſe, ejus cubicularius Comineus refert: Quoties præit ſuperbia, ignominia cum detrimento ſequitur, *lib. 1. c. 10. & lib. 2. cap. 4.* Maximinus ſenior Imp. neminem pedibus ſuis oſcula figere permiſit, ſervile hoc officium ratus & ingenuorum moribus minimè conveniens. *Capitolin.* Adrianus Imp. in conviviis amicorum non multùm à privatorum conditione aberat. *Cuſpin.* Trajanus verò Imp. Sæpè etiam domos privatorum ex improviſo adiens, cum iis accubuit. *Suidas.* M. Antoninus pius Imp. amicis ſuis in imperio haud aliter uſus, quā privatus: creber ac frequens cum his & deambulatione & ſermone & conviviis: cùm & ipſe nonnunquam amicorum convivia, ceu privatus, frequentaret. *Capitolin.* Huic virtuti adſcribo cum Joab Davidis Regis militiæ præfectus regali Ammonitarum urbe jam propè expugnatâ cum exercitu reliquo ipſum advenire Regem, & potentiſſimæ urbis devictæ nomen auferre voluit. Id quod ab omnibus bellicæ rei præpoſitis, erga Magiſtratum
ſupe-

ſuperiorem ita fieri, invidiæ metus ſuadet, *2. Samuel. 12. v. 26. & ſeqq.* Nec aliorum contemtu & neglectu ſe delectari Q. Fabius Rutilianus oſtendit, cùm in comitiis, quibus filius ſuus ſummo conſenſu Conſul creabatur, quem Magiſtratum ipſe quinquies, majoresque ipſius multoties geſſerant, quàm potuit, conſtanter honoris hujus vacationẽ Fabiæ genti dari petiit: non quòd virtutibus filii diffideret (erat enim illuſtris) ſed, ne maximum Imperium in una familia continuaretur. *Valer. max. lib. 4. c. 1.* Pulcerrimum fuit T. Largii & Q. Clœlii Coſſ. Romanorum certamen. Cùm enim alterutri ipſorum Dictatorem dicendi munus S. P. Q. R. demandaſſet, tantum contentionũ inter eos conſumtũ eſt per integrum biduũ, altero ſemper in alterum honorẽ iſtum mutuâ contentione transferente, quantũ alii ſuſcepiſſent, ut ipſis hic honor demãdaretur: donec vix tandẽ Largius Senatus ac collegæ precib. victus, dictaturã ſuſcepit, ſemper affirmans, eo

hono-

honore Clœlium ſe digniorẽ eſſe. *Dion. Halicar.lib.5.* Cùm enim λύπερα τὰ κρείσσονα res magnæ, magno diſcrimini ſint expoſitæ, quicunque boni ſunt & ſapienter rebus attendunt, ſilent, nec ad ſuſcipiendos publicos honores feſtinant, nec ſemet ingerunt, ne ſub onere negotiorum ſupprimantur, aut cum dedecore illa relinquere cogantur. Humile vitæ genus ut amplectamur, nec cum mundo altiores dignitates curioſè affectemus, quàm vires noſtræ & conditio ferat, prudentiſſimus Syracides ſeriò monet. *c.3.v.19.& ſeqq.c.7.v.4.5.6.* cui Poëta adcinit:

Vive tibi, quantũ q; potes, prælustria vita:
Sævũ præluſtri fulmen ab arce venit.
Crede mihi, benè qui latuit, benè vixit: & intra
Fortunam debet quiſq; manere ſuam
Ovid.3.Triſt.Eleg.4.

Tribus limpidiſſimis rivulis humilitatis fons decurrit: Reverentiâ, Docilitate, Obedientiâ; quibus etiã Magiſtratus pectus humilitate ſcaturiens exuberat

Reve-

Reverentia Magiſtratus erga honore dignos debitâ veneratione ſe demittit: cultum & obſervantiam ſuam honorificè exhibet omnibus, à quibus ætate, genere, officio, dignitate, eruditione, virtutibus, ſuperari ſe animadvertit: de omnibus quovis modo præcellentibus hominibus idem ſtatuit, quod de literatis Imp. Sigiſmundus: qui reprehenſus, quòd doctos homines foveret, etiam ortu humiles, Ego, inquit, illos obſervo meritò, quos natura alios excellere voluit, *Cuſpin.* Joram Rex Iſraëlitarum Prophetam Eliſam patris appellatione: 2. *Reg. 6. v. 21.* Trajanus Imp. quòd ſe legibus inferiorem conſulibus Romanis eſſe ſciret, eos ſedentes ipſe ſtans veneratus eſt. *Dion. Nicæus:* quorum conſilio indigebat, non ad ſe vocare ſolitus fuit, ſed ipſemet eos accedere. *Volaterran. lib. 23. Anthropol.* Dionyſius Syracuſanorum Tyrannus Platoni Philoſopho in Siciliam venieti vittatam navem miſit obviam, & egredientem in litus quadrigis albis excepit. *Plut. in Dion.* Solonis

cautum legibus fuit, ut in conſultatione natu maximus primus diceret. *Eraſm. in Adag.* apud Romanos in occurſu majoris magiſtratus minores ſubmittere faſces in honoris & obedientiæ ſignum conſueverant. Quare Valerius Poplicola in ſuſpicionem adfectati regni adductus dum concionaretur, faſces populo ſubmiſit, ſcilicet populi, quàm conſulis, majeſtatem & jura potiora arbitratus. At verò Pompejus Magnus, is cui ſe Oriens Occidensque ſubmiſerat, Poſidonii domũ ſummi ſapientiæ profeſſoris Rhodi ingreſſurus faſces ſubmiſit & fores percuti virgâ vetuit: quod aliàs facere in evocandis humilioribus lictores ſolebant, ut perſonam publicam adeſſe ſic innoteſceret. *Alex. ab Alex. lib. 1. c. 27. Plin. lib. 7. c. 30.* Huic Pompejo viginti trium annorum juveni, ſed animoſo & forti, eleganter inſtructum exercitum adducenti Sylla obvius ab equo deſiliit, ſalutatusque (uti conſentaneum erat) Imperator à Pompejo Imperato-

ris nomine reſalutavit: quod nemo eum facturum crediſſet, ut juvenem nec dum ſenatoriam dignitatem nactum eo nomine impertiret, de quo cum Scipionibus & Mariis digladiabatur. nec minores illis honores fuere, quòd primis in congreſſibus accedenti Pompejo adſurrexit, quòd caput detexit: quæ non temerè alterius cauſà faciebat, tametſi multos ſecum & bonos viros haberet. *Plut. in Pomp.* In quo populorum conſuetudines ignorandę nõ ſunt, quòd non idem ubique de reverentiæ modis ſit judicium: ſed, quod honorificum hîc habetur, ſæpè alibi in faſtu & contemtu ponatur. Ferdinandus Aragonum Rex cum Benedicto XI. Pontifice Romano ad colloquium congreſſurus honoris cauſâ anticipato die in locum deſignatum conceſſit, humilitatis ac modeſtiæ eſſe judicans, præſtolari eum, qui par majorvè ſit nobis, quàm velle, ut ille nos præſtoletur. Quamvis id Pontifex longè aliter acceperit, ſibique viſus ſit eo pacto, tan-

quam ad ſuperiorem, veniſſe. *Valla libro tertio Hiſtoriarum.* Alius etiam apud alios locus in conſeſſibus honorabilis. In conviviis Perſis medius, quem accumbens Rex occupabat, videbatur honeſtiſſimus, apud Græcos primus, apud Romanos mediæ menſæ ultimus, quem ipſi conſularem vocarunt, apud quoſdam Græcorũ juxta Pontum habitantium, ut Heracleotas, mediæ mẽſæ primus. *Plut. Sympoſiac. lib. 1. quæſt. 3.* Cyrus Perſarum Rex convivas, quò honoratiùs exciperentur, in ſiniſtra locare ſolitus erat. Eam enim partem, utpotè cordi adfinem, digniorem ducebat. *Xenoph.* Aliâ cauſsâ honoratiorem locum ſiniſtrum Turcæ judicant (ſicuti obſervavit Augerius Gislenius Busbequius Ferdinandi Imp. ad Solimannum legatus) nimirùm, quòd in latere dextero gladio cincto qui conſtitutus, quodammodo habeat gladiũ ſub manu ejus, qui ſiniſtrum latus claudit, ille verò eum geſtet liberum & expeditũ. Militaris utique hominum bellis addi-

ctorum

ctorum ratio. Ejuſdem eſſe viri Paullus Æmilius dixit, & armatã aciem quàm maximè terribilem & cõvivium quàm jucundiſſimum inſtruere. *Plut. d. lib. 1. Sympoſiac. quæſt. 2.* Quod reverentiæ præceptum haud parvo judicio & diſcretione indiget, ut & honoris gradus inter homines rectè diſcernãtur & cuique veneratio conveniens exhibeatur. Taurus philoſophus Athenienſis in publicis locis & actionibus patrum jura cum filiorũ, qui in Magiſtratibus ſunt, poteſtate collata interquieſcere paullulum debere, docuit: ſed cùm extra Remp. in domeſtica vita cõverſantur, inter filiũ Magiſtratum & patrem privatum publicos honores ceſſare, naturales & genuinos exoriri. *Gell. 1. N. A. 2.* Auſtriæ Dux à Venetorum Duce ad areã D. Marci Venetiis deductus, cùm ad angiportum ventum eſſet, neque ſimul ingredi poſſent, Veneto locum dare ob virtutem voluit, quem ille non acceptavit, ſed eum primas ferre debere prudenter cenſuit, qui ſuo ſimul & avito ſplendore illuſtris eſſet. *Joh. Paul-*

lus in Speculo pæd. Fridericus, is, qui primus Noribergēſium Burggravius creatus, Rudolpho Comiti Habſpurgenſi familiariſſimus fuit, quem & Baſileenſi in obſidione ſecutus, cùm in caſtris omnium primus Rudolphum Imperatorem electum certò cognoviſſet, non ut prius conſueverat ad ipſum rectà perrexit, ſed per internuncium ſe admitti, non ſine Comitis facti inſolentiam admirantis perturbatione, petiit; & ſic cum primò honoris delati nuncio debitam ſimul reverentiam novo Imperatori humiliter & civiliter præſtitit. Neque tamen ita venerandi alii, ut nimiâ coram indignis & inferioribus abjectione Magiſtratus officii ſui dignitatem in contemtum adducat, ſed in ipſa humilitate ſimul gravitatem, in ſubmiſſione autoritatem retineat. Anaxilas miranti, cur Regibus non aſſurgant Ephori, cùm tamen à regibus creentur, Eandem ob cauſſam, inquit, ob quam Ephori præſunt. *Plut. in apophth.* Bellis civilibus compoſitis Auguſtus Cæſar nunquam poſtea ullos
mili-

militum commilitones appellabat, ſed milites: nec à filiis quidem aut privignis ſuis imperio prçditis aliter eos appellari paſſus eſt: ambitioſiùs id exiſtimans, quàm aut ratio militaris, aut tẽporum quies, aut ſua domusq; ſuç Majeſtas poſtularet. *Sueton.* militibus apud Valentinianum I. Imp. inſtantibus, ut ſibi imperii ſocium deligeret, ita ſuam vindicavit officii autoritatẽ, ut imperii quidem primò conferendi facultatem illis concederet, ſed idem poſtmodum adminiſtrandi, aut imperatoribus quidquam præſcribendi arbitrium denegaret. *Nicephor.* Licinium Mutianum fiduciâ meritorum inſoleſcentem ſeque imperii magis ſocium inceſſu & excubiis, quàm miniſtrum ferentem ita repreſſit Veſpaſianus Imper. ut adhibito quodam utrique familiari diceret: Mutiane; noſti me virum eſſe. *Sueton.* Q. Fabius Max. dictator contra Annibalem creatus, ut ſtatim imperii ſui Majeſtatem civibus demonſtraret, eoque ſibi magis dicto audientes redderet, cum viginti quatuor faſcibus in publi-

Digitized by Google

cum progreſſus eſt, alterumque conſulem obviam ſibi venientem miſſo lictore juſſit faſcibus & Magiſtratus inſignibus remotis privatum ad ſe venire. Ejusdem filius conſul deſignatus cùm rem quandam in eo Magiſtratu bellicam adminiſtraret, & Fabius pater ſive ætatis cauſsâ, ſive ut de filii animo periculum faceret, per appellantes & circumſtantes conſulem equo propiùs adveheretur, id Juvenis procul conſpicatus nequaquam tulit, ſed miſſo lictore, deſcendere equo parentem juſſit, & ſi quid conſulem vellet pedibus accedere: id enim Romæ moris erat. Indignè id plerisque ferentibus, oculosq; in Fabium ſenem, tanquam contumeliâ affectum, tacitè conjicientibus, ipſe ab equo deſiliit, citatoque gradu ad filium contendit, amplexusque eum, Rectè verò tu, inquit, fili, qui agnoſcis quantum Magiſtratum & in quos geras: ſic enim & nos & noſtri majores Rempub. auxerunt, patriȩ bonis parentes liberosque ſemper poſtponentes. *Plut. in Fab. Gellius lib. 2. c. 2.* Secundum hæc quæ dici-

dicimus Fridericus I. Imp. dictus Barbaroſſa Hadriano IV. Pontifici Romano, ex ſua & imperii Majeſtate reſpondit. Cùm enim Romam profectus Imperator Pontificem obvium prior relicto equo excepiſſet, & officii cauſsâ deſcendenti illi ſiniſtrum ſtapedem tenuiſſet, indignè hoc ferente Pontifice, & dextrum ſtapedem ab Imperatore apprehendendum fuiſſe dicente, excandeſcens Fridericus, nunquam huic arti operam ſe dediſſe, oſtēdit, nec ut debitum hoc à ſe exigendum, ſed errorem, ſi quis admiſſus ſit, in ſpontaneo officio modeſtè ferendum. *Crantz. 6. Saxon. 16. Funcc. lib. 10. Helmold. c. 18.* Romani nominis dignitatē vindicavit Cato minor, cùm ad Jubam Mauritaniæ Regem, ad quem Scipio Pompeji gener procōſul, itemq; Varus Africæ præfectus poſt pugnam Pharſalicam confugerant, ſed quos ille ob divitias & potentiam faſtu intolerabili tumens tantùm non ſatraparum loco habuerat, veniens, primò congreſſu Regem ſellam ſuam mediā inter Scipionis & Catonis ſellas po-

nere vidiſſet, mox Cato ſellam ſuam in alteram partẽ trãſtulit, & Scipionẽ medium adſumſit. *Plut. in Caton.* Et tales quidẽ in Magnatũ congreſſibus reverẽtię ac προεδρίας cõtroverſias ſæpius oriri cõſtat: ſed quibus concordiæ ac humilitati deditus Magiſtratus facilè cedet, quantum ſalvo facere honore, & citra magnum Reip. prȩjudiciũ poterit. Prudenti Oratione Ariſtides ortã inter Tegeates & Athenięſes de loco in acie cõtroverſiam diremit, inquiens: Prȩſentis quidẽ ratio temporis non fert, ut de nobilitate & virtute, cũ Tegeatis diſputemꝰ. vobis hoc dicimꝰ, ô Spartani, vosq; reliqui Grȩci, locus in acie neq; dat, neq; adimit virtutem. Proindè quęcunq; nobis locum adſignaveritis eum ornare & tueri conabimur, ut ne quid prioribus nôſtris indignum certaminibus cõmittamus. Non enim ut cum ſociis litigaremus, ſed pugnatum in hoſtes huc venimus, neq; ut majores noſtros laudaremus, ſed ut nos ipſos viros ſtrenuos Grȩcię exhiberemus. Hoc enim prȩſens certamen oſtendet, quantum Græcia unicui-

nicuilibet Urbi, Duci, privatoq; debeat. *Plut. in Ariſtid.*

Humilitatis quoq; ſoboles eſt DOCILITAS, quâ Magiſtratus, propriã inſcitiã agnoſcens, vanâ ſcientiæ opinione ſe nõ inflat, ſed aliorũ judicia ac monita patienter audit, & ſicubi erraſſe coarguatur, veriſq; rationibus convincatur, etiã ab infimis lubens diſcit, illis cedit atque aſſentitur. Eſt hæc virtus præcipuè inſignis in cõſultationibus, in quibus faſtu omni depoſito Magiſtratus ſemel præconceptæ ſententię non ita pertinaciter inhærebit, ut dignitatis ſuæ famam agi putet, ſi, quod ipſe ſentit, nõ ſtatim etiã ſentiant alii: quin potiùs locum dabit veritati affulgenti, & ſanioribus conſiliis animum ſubmittet, moremq; geret. M. Antoninus Philoſophus Imp. cùm nihil in bellicis rebus aut civilibus prius faceret, quàm cum optimatibus de eo cõtuliſſet, graviſſima hęc verba ſemper in ore habuit: Æquius eſt, ut ego tot ac talium amicorum conſilium ſequar: quàm ut tot & tales amici meam unius voluntatem ſequantur. *Capitolin.* Ro-

manis ſenatorib. jus fuit, quàm diu vellent, orationem trahere, adeò, ut nonnullos horis ſeptem, alios verò dies totos concionē in ſenatu habuiſſe tradāt. *Alex. ab Alex. lib. 4. c. 11.* hinc & Plinius ad Trajanum, cùm de hac re agit, Finem, inquit, ſermonis, ſuus cuiq; pudor, non tua ſuperbia facit. Alex. Severus Imp. ſibi ab omnibus, quæ ſentiebant liberè dici cupiebat, & quod dictum erat, audiebat, & cùm audiſſet, ita, uti res poſcebat, emendabat: ſin minus benè factum eſſet aliquid, etiam ipſe convincebat idq; ſinè faſtu & ſine amaritudine. Matre Mammæâ parùm probante, uxore etiam gravius ferente, quòd ab amicis ſe atq; familiaribus corrigi facilè pateretur, ac ſi quid parum pro dignitate ab eo factum argueretur, illud confeſtim ad arguentis ſententiam emendaret, qua re imperatoriam Majeſtatem nō imminueret modò, verùm contemtibilem eam ſubmiſſione ſuâ faceret: Quin profectò, inquit, magisque ac magis ſtabilem ac longè

ampliusgentibus acceptam. *Lamprid.* Erat Zeno Cittiæus vir acerrimi judicii & ab aſſentando alieniſſimus. Nā Antigonum Regem cùm aliquando ſupra modū ebrium haberet obviū, & is peteret, ut ſibi quid imperaret, interpoſitoq; temerè ſacramēto cōfirmaret, poſtulatum ſe præſtiturum: Zeno, Abi, inquit, & evome. Hujus mortem cùm audiſſet Antigonus, ingemuit, dicens: Quale theatrum perdidi! Mirantibus id aliis reſpondit: Quoniam cùm multa à me acceperit, nunquam tamen emollitus eſt. *Ælian. lib. 9. var. Laert. lib. 7. c. 1.* Nam juxta Damarati verbum nōn lædunt qui agunt acerbè, ſed qui blandiuntur. *Plut. in apophth.* Athenienſium oratoribus gratiam habere ſe Philippus Macedo ajebat, quòd ipſorū crebris convitiis melior redderetur: nā conari ſe cùm verbis, tum factis ſuis, eos mendacii convincere. *Plut. ibid.* Apud Sigiſmundū Imp. cum accuſarent purpurati plebeculæ maledicentiam, quæ principi ſuo paſſim obtrectaret, ille ſubridens, An vobis, inquit, grave,

malè illos loqui, cùm nos malè agamus? *Æn. Sylv. lib. 2. comment. de Alphonſ.* Correxit Ptolemæus Rex peſſimum morē de capitalibus cauſſis pronuntiandi interim dum teſſeris luderet poſtquam ejus uxor, Non ſimilem eſſe, dixit, caſum teſſerarum & corporum. *Ælian. 14. var. 43.* Nec ullam moleſtiam Auguſtus Cæſar ex facto Mecænatis cepit, qui pro tribunali ſedentem illum ac de cauſſis capitalibus jus dicentem ſchedulâ, ut tandem aliquādo ſurgeret, nec carnificem ageret, admonuit. Lectam enim epiſtolā, quaſi aliud ſcriptum eſſet, in ſinū conjecit, nemineq; capitis damnato, ſtatim ſurrexit. *Dion Nicæus in Aug.* Tantum abeſt, ut Demetrius Rex Macedonicæ vetulæ, aut Adrianus Imp. alterius cujusdam mulierculæ liberam reprehenſionem ægrè tulerint, cùm ab his graviora negotia prætendentibus illæ rejectæ liberè dixiſſent, Ergò nec Reges eſtote: ut etiam ipſas ſtatim & poſthac alios majori facilitate admiſerint. *Fulgoſ. lib. 6. c. 2.* Probavit Ludovicus X I. Galliæ Rex

candi-

candidam vocem, ſuam in negotiis expediendis procraſtinationem arguētis. Officium enim publicum à ſe petitum, cùm Rex ſeverè negaret, petitor clarâ voce, Gratias verò tibi, ô Rex, immortales me debere profiteor. Hìc Rex, vel ſtultum, vel ſurdū eſſe hominē, judicans, Nunquid mentē ſuā rectè percepiſſet? interrogavit. Tum ille, Enimvero, inquit, & propterea tibi gratias egi, quòd abſque tergiverſatione & procraſtinatione præter morem me expediveris. Hac enim libertate delectatus Rex dignitatem denegatam illi ſpontè conceſſit. *Corrozet. de dict. & fact. memor.* Cùm populus Romanus in omnes Domitiani miniſtros ſine diſcrimine ex indulgentiâ Nervæ Imp. ſæviret, Frontone conſule hanc licentiam arguente ac dicente, Malum eſſe ſub principe vivere, qui nihil agi permitteret, ſed longè deteriùs ſub eo, qui fieri nihil prohiberet: agnovit vitium ſuum Imperator & modum accuſationibus impoſuit. *Fulgoſ. d. lib. 6. c. 2.* Docilem præbere animum Ludovicus Landgravius Thu-

ringiæ

ringiæ vel lignatori non erubuit: apud quem cùm in venatione fortè aberrans pernoctare coactus eſſet & ruſticus hoſpitem non agnoſcens multa ſtomachoſè de aſſiduis Landgravii venationibus & improbis aulicis locutus, acerbisque ſcommatis, in ipſum invectus dignum etiam infernalibus flammis dixiſſet, Ludovicus altero die lignatore collaudato gratus diſceſſit, & in poſterum ſuos ſuorumque mores emendavit. *Cyriac. Spangenb. in diabol. venator.* Non contemſit graviſſimam Joabi admonitionẽ Rex David, ne Abſolone interfecto, intempeſtivo luctu ſiniſtram apud populum de ſe ſuſpicionem & novam ſeditionem excitaret. 2. *Samuel. 19. verſ. 5. ſeqq.* Amurathes II. Turcarum Rex è pugna adverſus Pannones fugam arrepturus à milite quodam gregario, ipſius ignaviam & timiditatem increpante ſeſe retineri paſſus eſt. *Chalcondyl. lib. 7.* Cùm Antonius novã Urbibus Aſiæ penſionẽ imperaret Hybreas dicere auſus eſt: Si potes uno anno bis tributum accipere, duas etiam

æſta-

æſtates, duos autumnos uno anno nobis efficere potes. Mentione quoq; factâ ducenties mille talentorum, quæ Aſia contuliſſet, addidit: Hæc ſi tu nõ accepiſti, ab iis repoſce, quib. data ſunt: ſin accepta jam cõſumſiſti, nulli ſumus. Vehementer hoc Antonium commovit, pleraq; ut fierent, ignorantem, non tàm ob ſocordiam, quàm ſimplicitatẽ, quà ductus facilè ſuis credebat. Erat enim ſimplici ingenio & tardè ſentiebat, cùm autẽ ſenſiſſet ſe peccaſſe, gravi movebatur pœnitentiâ & apud eos ipſos, quos offendiſſet, confitebatur. *Plut. in Anton.* Philippus Macedo multos bello captos aliquando ſub haſtâ vẽdebat, indecenter ſedens, tunicâ reductâ. Inter mancipia tum quidã exclamavit, Parce mihi, Philippe: jus enim amicitiæ tibi paternũ eſt mecum: quærentiq; Philippo occaſionẽ & modum hujus amicitiæ, explicaturum ſe dixit, ſi propiùs admitteretur. Adductusq;, aliquantulũ ut demitteret lẽnã, monuit: nunc enim ipſum turpiter ſedere. Philippus civilẽ & quæ alicui videri poſſit, in re vili admoni-

monitionẽ, magni faciens, dimitte hũc, ait: verè enim, id quod ignorabam, benè mihi vult & amicus eſt, *Id. in apophthegm.* Nec enim docilis Magiſtratus tàm reprehendentis autoritatẽ, quàm vitii objecti veritatem inſpicit, neque vulgi quidem de ſe ſermunculos & judicia in eo contẽnit, ſed undecunq; & in quocũq; ſe meritò culpari ſentit, cauſsã ſui corrigendi atq; emendandi arripit.

ÆMULATIONEM quoque BONAM Magiſtratui commendat Docilitas: ut quæ ab aliis in Repub. pace ac bello benè & ſecundum virtutem facta cognoſcit, in ea tanquam in ſpeculum intueatur, ex his benè vivendi agẽdiq; præcepta capiat & optimorũ quorum vis exempla ſuis exprimere actionibus etiam atque etiã contendat. Maximus exemplorum uſus, maxima vis: atque adeò ea & præſtantiſſima Magiſtratus ſibi proponat, & juxta ea ſic vivat, tanquam ſub alicujus boni viri ac ſemper præſentis oculis, quem ſemper reſpiciat, ſemper intereſſe cogitationibus atque actionibus ſuis ſtatuat. Themiſtocles adoleſcens etiamnum pota-

bat ac ſcortabatur: ſed poſtquam Miltiades ad Marathonam Barbaros viciſſet, nõ amplius offendere licuit Themiſtoclẽ aliquid contra officium facientem: ſed noctes inquietas exigens eo temp*o*re in publico verſabatur: mirantibus mutationem, Non ſinit me, reſpondit, dormire aut ſocordę eſſe trophæum Miltiadis, *Plutarch. in apoph.* Narrant Julium Cæſarem in Hiſpania per otium res Alexandri Magni geſtas legentem diu cogitabundum ad extremum illacrimâſſe, & amicis cauſſam quærentibus dixiſſe, An non dolendũ vobis videtur, me, cum id ætatis ſim, quo Alexander tot nationibus imperavit, nihil dum memoratu dignum geſſiſſe? *Plutarch. in Cæſ.* Severus Imp. Hannibalis in expeditionibus æmulus celeritate & patientiâ incredibili fuit, *Sabellic. lib. 5. Enn. 7.* Publ. Scipionem Afric. Cyropædiam Xenophontis, Selimum Turcarum principem Juliũ Cæſarem, in Reipub. adminiſtratione animo ſibi imitandum propoſuiſſe, ajunt. *Bodin. proœm. Method. Hiſt.* Demoſthenem

nem ſuam orationem non tantùm ad imitationem Periclis in Repub. finxiſſe, ſed etiam eloquentiâ ſuperaſſe Periclem, Plutarchus autor eſt. In Romana Repub. ad M. Curii exemplum, cujus agris vicinam caſam habebat, totum ſe compoſuit M. Cato, frugalitate vitæque ſeveritate. *Plutarch. in Caton.* Tam igitur ad viva & ſpirantia magnorum in Repub. virorũ exempla, quàm Hiſtoriarum monumentis deſcripta virtutum ſimulacra Magiſtratus in vita & actionibus oculos mentis diriget, & ad illorum bonam æmulationem ſeſe ſubmittere minimè dubitabit: nec tantum ſibi tribuet, ut vivendi regulam non in aliorum imitatione, ſed in ſe ipſo conſtituat. L. Paul. Æmilius, qui Perſen Macedonum Regem devicit, in ornanda vita ſua & omni virtute expoliendâ diligentiſſimè ſolitus, tanquam in ſpeculum, inſpicere in hiſtoriam, atque ita ſtudioſè ſemper conatus eſt imitari virtutes & præclara facta eorum, qui illic laudati forent. *Victorius lib. 38. var. lect. cap. 5. ex Plutarch.* Eſt enim

illa

illa prudentia minus periculoſa, ex aliis ſibi exemplum qui ſumit, quod ex uſu fiet. Æneæ hac de re ad filium Aſcaniū verba ſunt apud Virgil. *12. Æneid.*

Diſce, puer, virtutem ex me, verumque laborem,
Fortunam ex aliis: nunc te mea dextera bello
Defenſum dabit, & magna inter præmia ducet.
Tu facito mox, cùm matura adoleverit ætas,
Sis memor: & te animo repetentem exempla tuorum
Et pater Æneas, & avunculus excitet Hector.

Docuit idem Honorium Imp. Claudianus Poëta cùm inquit:

Interea Muſis, animus dum mollior, inſtet,
Et, quæ mox imitêre, legas: nec deſinat unquam
Tecum Graja loqui, tecum Romana vetuſtas.
Antiquos evolve duces, adſueſce futuræ

Militiæ

Militiæ, Latium retrò te confer in ævum,
Libertas quæſita placet? mirabere Brutum.
Perfidiam damnas? Metii ſatiabere pœnis.
Triſte rigor nimius? Torquati deſpue mores.
Mors impenſa bonum? Decios venerare ruentes.
Vel ſolus quid fortis agat te ponte ſoluto
Oppoſitus Cocles, Mutii te flamma docebit:
Quid mora perfringat, Fabius, quid rebus in arctis
Dux gerat, oſtendet Gallorum ſtrage Camillus.
Diſcitur hinc nullis meritis obſiſtere caſus.
Prorogat æternam feritas tibi Punica famam,
Regule: ſucceſſus ſuperant adverſa Catonis:
Diſcitur hinc quantum paupertas ſobria poſſit.

Pauper erat Curius reges cùm vinceret armis,
Pauper Fabricius Pyrrhi cùm ſperneret aurum:
Sordida Serranus flexit dictator aratra.

OBEDIENTIA, tertium humilitatis germen, etſi cum Magiſtratus, qui in Repub. ſummus eſt (nam de inferiorum Magiſtratuum erga ſuperiorem obedientia dubium non eſt, & alibi dicetur) officio pugnare videatur, ut qui ſupremâ jubendi prohibendique poteſtate inſtructus dicto audientes habere omnes alios, ipſe nullius imperio ſuppoſitus eſſe, nec in ſubditorum ordinem redigi, debeat: attamen ſuis ipſum legibus natura ſubjicit, ut, quæ vel cum aliis quibuſcunq; vel ipsâ etiã Repub. contraxerit, ſervare teneatur. In his enim, quæ ſummi Magiſtratus, (ut ita loquar) ſuperioritatẽ attinent, Magiſtratũ quidẽ humanũ nullũ ſuperiorẽ ille habet, niſi ſe ipsũ ſuãque cõſcientiã, quæ noctes atq; dies ad fidẽ & pacta juſtè & legitimè cõtracta

ſervan-

ſervanda exſtimulat atque hortatur, & hanc celebratiſſimam omnium hominum mentibus penitus impreſſam naturæ regulam perpetuò offert: ut quod juris ſtatuerit in alium, eodem ipſemet utatur. Solus itaque Magiſtratus, qui in Republica ſummus eſt, leges condere & interpretari, ſolus abrogare iterum poſſit: cæterùm ut ex iis ſemel in Rempub. utiliter introductis privatâ libidine luſum faciat, & per hoc abſque publica neceſſitate urgente aut evidenti aliquâ ratione ſuadente æquitatem naturalem lædat, cuiquam injuriam inferendo & præjudicando, ipſi conceſſum non eſt: niſi humanæ conditioni & naturæ legibus ſe ferre ſuperiorem, id eſt, exſuere naturam & deponere hominem, velit. Multò verò magis obedientia debetur à Magiſtratu iis legibus, quæ fundamentales Reipublicæ dicuntur, non tantùm quia Politiæ ſtatum informant certo imperandi parendique modo; ſed & propter fidem & juſiurandū, quo Magiſtiratus in principio gubernationis ſe ad illarū obſervationem

tionem alligare ſolet: cùm nihil tam congruum ſit fidei humanę, quàm ea, quæ ſemel placuerunt ſervare. *l. 1. D. de pact.* Ex obedientia erga leges etiam civiles, quas poſitivas vocant, profecta eſt Trajani laus apud Plinium in panegyrico, cum ait: Ingens gloria tua, Cæſar: ipſe te legibus ſubjeciſti, quas nemo principi ſcripſit: ſed tu tibi nihil ampliùs vis licere, quàm nobis. Sic fit, ut nos plus tibi velimus. Principis poteſtas juſtitiæ ponderibus ſemper exigenda eſt: ut felicitatis eſt, poſſe, quantum velis: ſic magnitudinis, velle, quantum jure poſſis. Digna vox eſt majeſtate regnantis (reſcripſerunt Theodoſius & Valentinianus Impp.) legibus alligatum ſe principem profiteri: adeò de autoritate juris Magiſtratus pendet autoritas: & revera majus imperio eſt, ſubmittere legibus principatum. *l. 4. C. de LL.* Ægyptiorum regibus nec judicandi neq; pecuniam congregandi, neque puniendi quemquam per ſuperbiam aut iram aut aliam injuſtam cauſam licentia permiſſa erat: ſed veluti priva-

ti legibus tenebantur: neq; id ægrè ferebant, exiſtimantes, parendo legibus ſe beatos fore. Quâ ratione omnium benevolentiam adeò adſecuti ſunt; ut non ſolum ſacerdotibus, ſed ſingulis Ægyptiis, major regis, quàm uxorum filiorumq; aut aliorum principum ſalutis cura eſſet. *Diodor. lib. 1. c. 6.* Antigonus tertius ſcribebat regni ſui urbibus omnibus: Si quid contrarium legibus per Epiſtolam mandaturus eſſet, ne parérent, ſed ignaro ſibi excidiſſe crederent. *Plutarch. in Apophth.* Alphonſus Aragonum & Siciliæ rex præſides provinciarum ac judices omnes admonuit, ne quod decretum aut reſcriptum à ſe factũ ſervarent, niſi quod jure tantùm & honeſtate niteretur. *Panormit. lib. 2. de reb. geſt. Alph.* Archidamus interrogatus, Quinam Spartæ præeſſent? reſpondit: leges, & Magiſtratus ex earum præſcripto. Hinc Ageſilaus Spartanorum rex è medio victoriarum curſu ab Ephoris revocatus, in hanc ſententiam reſcripſit: Magnam Aſiæ partem ſubegimus, Barbaros profligavimus, & in Jo-

in Ionia multum armorum paravimus. Sed quoniam me ad definitum venire diem jubetis, ſequor Epiſtolam, ferè autem & antevertam. Imperium enim gero, non mihi, ſed civitati, ac ſociis. Ac tum Imperator verè juſteque imperat, quando regitur à legibus & Ephoris, aut ſi qui ſunt alii in civitate Magiſtratus. *Plutarch. in Apoph. Lacon.* Atque hactenus princeps non eſt ſupra leges, ſed leges ſupra principē: optimique principis nota illa, ex legum bonarum præſcripto velle vivere. *Agapet. ad Juſtin.*

Officioſis ex generoſa mentis indole profectis actionibus erga alios manum MISERICORDIA propiùs admovet, & pectus ſuum totum, ceu fomitem, penitus amoris erga proximum flammis ſuccendit: unde poſtmodum ardentiores charitatis ſcintillæ abſiliunt, & beneficiorum mutuæq; obligationis inter homines incēdia toto mundo frequentia viſuntur. Miſericordia enim calamitatibus miſerorum primò commovetur intimè: & deindè nihil non

afflictorum cauſsâ ſuſcipit, ſi quâ ratione ſuccurrere ac ferre levamentum aliquod atq; auxilium doloris queat. Hac virtute nulla admirabilior, aut gratior. Homines enim ad Deum nullâ re propiùs accedunt, quàm ſalutem hominibus dando. Nihil habet fortuna majus, quàm ut poſſit, nec natura melius, quàm ut velit, ſervare. *Cicero pro Ligar.* Phocion nec ex templo aram, nec ex humana natura miſericordiam tollendam eſſe ajebat. *Stob. ſerm. 1. de virtut.* Miſeriæ humanæ cogitatione perculſus Xerxes Helleſpontum navibus ſuis conſtratum, omnia litora atque Abydenorum plana exercitu ſuo referta cùm cõſpexiſſet, lacrimas emiſit, quòd ex tanta hominum multitudine (feruntur autem fuiſſe decies centena millia) poſt unius ſeculi decurſum nullus ſuperfuturus eſſet. *Herodot. lib. 7.* Neque enim aut Philoſophia aut regnum tollit affectus, hominemque eſſe vetat: quod Antoninꝰ Verus Imp. aulicis miniſtris M. Antoninum adoleſcentem à fletu ac mœrore ob mortem ſui educa-

toris

toris revocantibus reſpondit. *Capitolin.* Sed quemadmodum ſol quidquid ſuo ſplendore illuſtrat, eidem non nihil caloris impartitur: ſic princeps debet eos ſuâ dignari miſericordiâ, quos contuetur: juxta Leonis I. Imp. apophtegma. *Cuſpinian.* Hinc Poëta Ovidius. *2. de Pont. eleg. 9.*

Regia, crede mihi, res eſt, ſubcurrere
lapſis.

Nam cui facultas iſta magis competat quàm Magiſtratui, qui poteſtate publicâ ad juvandum inſtructus eſt? Hinc ad Magiſtratum pręcipuè ſpectat illud Salomonis: Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahũtur ad interitum, liberare ne ceſſes. Si dixeris: vires non ſuppetunt, non intelligimus: qui inſpector eſt cordis ipſe intelligit, & ſervatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera ſua. *Prover. 24. v. 11. 12.* Lex Moſaica auferre pignoris loco prohibet viduæ veſtimentũ. *Deuteron. 24. v. 17.* Regius Vates egeno & pupillo judicare, homini & pauperi jus facere, eripere pauperem & egenum de

Digitized by Google

manu impiorũ liberare præcipit. *Pſal. 82, v. 4.* Subvenite oppreſſo, inquit Eſaias, judicate pupillo, defendite viduam. *c. 1. v. 17.* Et Jeremias, Judicate, inquit, manè judicium, & eruite vi oppreſſum de manu calumniantis: ne forte egrediatur, ut ignis, indignatio mea & ſuccendatur, & non ſit qui extinguat propter malitiam ſtudiorum veſtrorum *c. 21. v. 12. & c. ſeq. v. 3.* hæc dicit Dominus: facite judicium & juſtitiam, & liberate vi oppreſſum de manu calumniatoris, & advenam, & pupillum, & viduam, nolite deprædari. Apud Zachariam prophetam hęc dicit Dominus exercituum: judicium verum judicate & miſericordiam & miſerationes facite unusquisque cum fratre ſuo: & viduam & pupillum, & advenam, & pauperem, nolite calumniari, *c. 7. v. 9. 10.* Hinc Syracides, Præbe, inquit, aures faciles pauperi & reſponde illi pacificè in manſuetudine. Libera eum, qui injuriam patitur, de manu ſuperbi, nec timido ſis animo cùm pronuncianda ſententia eſt. In judicando eſto pupillis

miſe-

miſericors, ut pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius Altiſſimi, & miſerebitur tui magis, quàm mater. *c. 4. v. 8. & ſeqq.* Nec facile Dei ad magiſtratum adhortationes tot verbis iterum atque iterum repetitas in S. literis invenias, quàm cum orphanorum, viduarum, pauperum, advenarum, omnium deniq; infirmorum atque afflictorum tutelam ipſi demandat: ut nullius hominum generis majorem gerere curam Deus videatur; unde ſe etiam pupillorum & viduarum ac peregrinorum judicem & defenſorem profitetur, *Deuteron. 10. v. 18. Exod. 22. v. 22.* Hoc cùm intelligeret Ludovicus Imp. pauperũ & tenuioris fortunę hominum cauſſas ſuis prætoribus cõmendare ſolebat, dicens: Honoratiſſimus ac maximus titulus, quem DEUS peculiariter ſibi vẽdicat, eſt pauperũ propugnator, pupillorum tutor, viduarum curator. *Avent. lib. 4. annal.* Sic itaq; ſe cõparet Magiſtratus, ut cum Jobo dicere poſſit: Liberabã pauperem vociferantẽ, & pupillum, cui nõ erat adjutor, Benedictio

perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ exhilarabam. Oculus fui cœco & pes claudo. Pater eram pauperum, conterebam dentes molares iniquo, & ex dentibus illius auferebam prædam. *c. 29. v. 12. & ſeqq.* Et rurſus: Nunquid negavi pauperibus quod deſiderabant, & oculos viduæ deficere feci? Nunquid comedi bucellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea? ab infantia mea mecum crevit miſeratio, & ab utero matris meæ fovi eam. Num vidi pereuntem eò quòd nõ habuerit indumentum, & abſq; operimento pauperem? Nonnè benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus eſt? Si levavi ſuper pupillum manum meam, cùm viderem me in porta potentem, humerus meus è junctura ſua cadat, & brachium meum cum ſuis oſſibus confringatur. *c. 31. v. 16. & ſeqq.* Legibus Romanis pupillorum jus ampliſſimum factum: tutelę geſtio munus publicum habitum; negotia tutelaria certis Magiſtratibus ſingulariter commendata, qui tutores non habentibus

darent,

darent, & ad ſatisdandum rationesque reddendas eosdem compellerent, aut etiam ſuſpectos removerent: curatores bonorum natu quoque majoribus, mente captis, ſurdis, mutis, perpetuo morbo laborantibus, denique omnibus iis, qui rebus ſuis ſuper eſſe nequirent, conſtituti. *lib. 1. Inſtit. tit. 13. & ſeqq. tot. lib. 26. 27. Digeſt. à tit. 28. usq; ad fin. lib. 5. Cod.* Plato peregrinos majorem apud Deum & homines mereri miſericordiam ſtatuit, quòd amicis cognatisq; careant. *5. de LL.* De bonarum artium ſtudioſis peregrinantibus ita Fridericus Imperator in ſua conſtitutione quæ inſerta eſt tit. C. ne filius pro patre &c: Quis eorum, inquit, non miſereatur, qui amore ſcientiæ exſules, facti de divitibus pauperes, ſemetipſos exinaniunt, vitam ſuam multis periculis exponunt, & à viliſſimis ſæpè hominibus (quod graviter ferendum eſt) corporales injurias ſine cauſa perferũt? Brephotrophia, Orphanotrophia, Noſocomia, Ptochotrophia, Gerontocomia, Xenodochia, miſericordia primum ex-

ſtruxit. In adverſitatibus itaque hominum tam privatis quàm publicis miſericordia Magiſtratus ſplendidiſſimè elucet, quoties ipſius ope noti, ignoti, ſummi, infimi, hoſtes, amici, infirmitate, morbo, inopiâ, incendiis, inſidiis, perſecutione, tyrannide, captivitate, clade, preſſi indigent. Alphonſum regem Aragonum deſcendere equo & viam cænoſam ingredi non puduit, ut ruſtici & imbecilli ſenis aſinum ſub onere prolapſum caudâ ſublevaret. *Pontan. de beneficent. ca. 6.* Cùm vidiſſet idem naufragos auxilium implorantes, ſuos adhortatus eſt, ut illicò ſubvenirent. Qui cùm pertimeſcerent periculum maris, melius eſſe, dicentes, unam quàm univerſas triremes perditum ire: Rex ipſemet ſolvit prætoriam navem, Satius eſſe, inquiens, unà cum ſociis, viris fortiſſimis, occumbere, quàm illos videre ante oculos extrema pati. *Panormit. lib. 2. de reb. geſt. Alphonſ.* Claudius Lyſias militum præfectus Paulum Apoſtolum inſidiis Iudæorũ appetitum oppri-

opprimi paſſus non eſt. *Actor.23.v.12.* *& ſeqq.* Julii Centurionis cohortis Auguſtalis erga eumdem captivū cognoſcitur condolentia, cùm ipſum nō tantùm à ſuis conveniri amicis & benigniter haberi conceſſit, ſed etiam naufragio facto, non admiſit reliquorum militum de occidendis captivis cōſilium, ut Paulum præſtaret incolumem. *ibid. cap.27.v.3.& v.42.43.* Tulit Abdemelechus Æthiops Sedechiæ regis Judæ cubicularius, ſuæ erga Prophetam Jeremiam miſericordię pręmium. Ipſum namq; à principibus veritatis oſoribus in lacum cænoſum cum extremæ vitæ periculo conjectum, ſuâ apud regem interceſſione liberavit: & ob id reliquis captis & in ſervitutem adductis è manibus hoſtium ſervatus divinitùs fuit. *Jerem.38.& c.ſeq.v.15.& ſeqq.* Darius rex Danielem purpuratorum ſuorum cruentis manibus ut eriperet ſummopere adnitens, cùm tandem turbulentæ multitudinis ſeditiosâ violentiâ compulſus leonibus objicere inſontem cogeretur, annulo ſuo locum

obſignavit, ne aliundè vis ei aliqua inferri poſſet: nec illâ nocte aut cibum aut ſomnum præ dolore cepit. *Daniel. 6. v. 14. & ſeqq.* Obadias aulæ Ahabi regis præfectus, in acerrima perſecutione publica, centum Prophetas Domini à regina morti addictos, clàm occultavit & aluit, *1. Reg. 18. v. 4. & 13.* David rex Iſraëlitarum regem Ammonitarum Hannonem, cujus pater vitâ deceſſerat, per legatos conſolatus eſt, *2. Samuel. 10. v. 2. 1. chron. 20. v. 2.* Et Joas rex Iſraëliticus ad Prophetam Eliſæum ægrotantem ultrò venit, flevitq; coram eo, immaturum tanti viri obitum ſecum reputans. *2. Reg. 13. v. 14.* Carolum Navarræ principem, Pontanus teſtatur, etiam infimis & ſordidis homuncionibus opem ferre non recusâſſe (tenebat enim morbi cujusdam abdita medicamenta) & etiam tunc cùm ob morbum pharmaca ſumſiſſet & aëris aſperitatem fugere debuit. *cap. 6. de beneficent.* Auguſtus Cæſar Gallum Terrinium ſenatorem, minùs ſibi familiarem, ſed ca-

ptum

ptum repētè oculis & ob id inediâ mori deſtinantem præſens conſolando revocavit ad vitam. *Sueton.* Adrianus Imperat. ægros bis ac ter die & nonnullos equites Romanos ac libertinos viſitavit, ſolatiis refovit & conſiliis ſublevavit, inſtar privati hominis. *Cuſpin.* Cùm Trajanus Imperator adverſus Decabalum Dacorum regem cruentam victoriam obtinuiſſet, in qua multi ſuorum vulnerati eſſent, faſciis ad plagas obligandas deficiētibus, Imperator veſtem ſibi conſcidit, & benignè inter milites ſaucios partitus eſt. *Sabellic. lib. 4. Ennead. 7. Dion. Nicæus.* Matthias Corvinus Hungariæ rex non ſolùm proceres officii cauſsâ, ſed gregarios quoque viſitavit: in caſtris ægrorum contubernia luſtravit, cibum porrexit, conſolatus eſt, vulnera obligavit. *Bonfin. lib. 7. decad. 4.* M. Antonius clade à Parthis acceptâ vulneratos circumiens viſebat, dictisque confirmabat, lacrimis oppletus & gravi mœrore æger. Incredibilem enim militum omnium favorem

venerationem, & benevolam obedientiam ſibi comparavit, non tantùm nobilitate, facundiâ, ſimplicitate, liberalitate, magnificentiâ, in jocis & convictu urbanitate, ſed quòd miſerans etiam ægrotos, quibus quiſque indigeret, ſuppeditavit, & ſic alacriores ſaucios & afflictos ſanis reddidit. *Plutarch. in eod.* Alexander Macedo, dum omnes gentes infatigabili curſu luſtrat, quodam loci tempeſtate nivali oppreſſus, ſenio jam confectum militem Macedonem nimio frigore obſtupefactum, ipſe ſublimi & propinquâ igni ſede ſedens, animadvertit: factâque non fortunæ ſed ætatis utriusque æſtimatione, deſcendit, & illis manibus, quibus opes Darii afflixerat, corpus frigore cõplicatum in ſuam ſedem poſuit: Id ei ſalutare futurum, dicens, quod apud Perſas capitale exſtitiſſet, ſolium regium occupâſſe. Quid ergò mirum eſt, ſi ſub eo duce tot annis militare jucundum ducebant, cui gregarii militis incolumitas proprio faſtigio carior erat?

Valer.

Valer.max.lib.5.c.1. In calamitatib. publicis Romę fuit haſta ſalutis, ubi in ſumma inopia, haſtâ poſitâ publicè frumentum veniit. *Alex. ab Alex. lib. 3. c. 16.* Aſperrima in Sardiniis lues plurimum in eos miſericordiæ tribuit. Nam centies ſeſtertium pollicitus Cæſar Tiberius, & quantum ærario è fiſco pendebant in quinquennium remiſit. *Tacitus 2. annal.* Accidit ſub T. Veſpaſiano, Titi filio, conflagratio Veſevi montis in Campania, & incendium Romæ per triduum, totidemq; noctes, item peſtilentia, quanta non temerè aliàs. In his tot adverſis & talibus, non modò principis ſollicitudinem, ſed & parentis affectum unicum præſtitit, nunc conſolando per edicta, nunc opitulando, quãtum ſuppeteret facultas. Curatores reſtituendę Campanię è conſularium numero ſorte duxit: bona oppreſſorum in Veſevo, quorum hæredes non exſtabant, reſtitutioni afflictarum civitatum attribuit: urbis incendio nihil niſi ſibi publicè periiſſe teſtatus eſt, cuncta prætoriorum ſuorum orna-

ornamenta operibus ac templis deſtinavit, præpoſuitque quàm plures ex equeſtri ordine, quò quæque maturiùs peragerentur: medendæ valetudini leniendisq; morbis nullam divinam humanamquè opem non adhibuit, inquiſito omnium ſacrificiorum remediorumque genere. *Sueton.* Cùm rex David inſolenti ſubditorum recenſitione DEUM offendiſſet, ac propterea immiſſa lues peſtifera magnā in populo ſtragem ederet, David ipſos innocentes oviculas, ſe autem mortis reum exclamavit, 2. *Samuel. ult. v. 17.* 1. *Chron. 22. v. 17.* Theodoricus rex Gothorum conductoribus Apulis, quorum frumenta ab hoſtium incurſionibus concremata aut conſumta erant, & item Gallis tributa ob damna ab hoſtibus paſſa relevavit. *Caſſiod. lib. 1. Ep. 19. & lib. 3. Ep. 32.* Cato minor ab illo die quo bello civili Pompeji partes ſecutus fuerat, neq; capillum totondiſſe, neq; barbam, unumque lugentis & ob patriæ calamitates gravi mœſtitiâ affecti ſive ſecundis ſive adverſis rebus vultum retinuiſſe fertur.

Fuſo

Fuſo ad Dyrrhachium Cæſare, gaudentibus omnibus Pompejanis, & rem pręclarè geſtam prædicantibus, Cato videns multos ac bonos cives à ſe mutuò cæſos, patriæ calamitatem peſtiferamq; hominum & infelicem ambitionē deploravit. Poſt Pharſalicam calamitatem priori id luctui addidit, ut nunquā niſi dormiendi cauſsâ accubuerit. *Plutarch. in eod.* Miſericors quoque Ageſilaus Lacedæmonius fuit, qui ſuos milites ſæpè monuit, ne captivos cruciatu aliquo afficerent, quin potiùs homines eos eſſe cogitarent. Si qui ex his, cùm caſtra moverentur, ob ſenium aut corporis ęgritudinem à militibus relicti eſſent, parati erant ipſius imperio, qui eos exciperent humaniterq; curarent, ne ferarum incurſu inediâvè conficerentur. *Id. in eod.* Cùm Iſraëlitæ cæteri plurimos è tribu Juda captivos duxiſſent, ab ipſo Deo miſericordiæ admoniti ipſos veſtibus & calceis indutos potuq; ac cibo refocillatos unctoſque, deniq; jumentis impoſitos dimiſerunt incolumes, & ad ſuos reduxerunt. 2. *Chron.*

Chron. 28. *v.* 15. In obſidione Cajetana cùm hoſtes commeatus inopiâ ſenes, pueros, fœminas, mœnibus exegiſſent, Alphonſus Aragonius, Malle ſe regno pelli, dixit, quàm tot innocentibus mortis cauſam adferre. Alimentis igitur præbitis, quò vellent, ſe recipiendi poteſtatem fecit. *Panormit.* Erga Romanos clade à Gallis affectos Maſſilienſes commiſeratione ducti, quãquam ſocietate aut fœdere nondum illis conjuncti, Romam aurum miſerunt, ut facilius ſe à Gallis redimerent: mortuos verò publico funere proſecuti ſunt. *Fulgoſ. lib.* 4 *c.* 8. Campani itidem exercitum Romanum cum conſulibus apud Caudinas furcas ſub jugum à Samnitibus miſſum, nec inermem tantùm, ſed etiam nudum urbem ſuam intrantem perinde ac victorem & ſpolia hoſtium præ ſe ferentem venerabiliter exceperunt: protinusq; conſulibus inſignia honoris, militibus veſtem, arma, equos, commeatum, benigniſſimè præſtando & inopiam & deformitatem Roma-

Romanæ cladis mutârunt. *Val. Maxim. lib. 4. c. 8.* L. Lucullus Amaſo ſub primam militum irruptionem ab ipſis civibus incensâ, M. Marcellus Syracuſis expugnatis, Scipio Africanus Carthagine, T. Veſpaſianus Hieroſolymis everſis, lacrimas non tenuere, florentiſſimarum urbium ſeriâ commiſeratione moti, quas ſervare non valuiſſent. *Plutarch. in Lucull. & Marcell. Appian. Alexandr. de bel. Pun. Joſeph. lib. 7. bel. Jud. c. 24.* Neque miſericordiæ ſuæ manum ſubtrahere Magiſtratus alienis etiam ſubditis debet, qui vel ab aliis, vel à proprio Magiſtratu iniquiſſimè vexati premuntur: quorum ad ſe delatas querelas, ſi juſtas cognoverit, ipſorum patrocinium rectè ſuſcipit, pro illis intercedendo, eos fovendo, vel etiam, ſi aliter coërceri tyrannus nequeat, manu armatâ defendendo: etiamſi propterea labores ac pericula ſubeunda ſint. Ad quod Magiſtratum non tantùm commune humanitatis vinculum, ſed ipſius etiam officium,

quod

quod gerit, hortatur: quod, licet tantum inter ſubditos propriè exercere poſſit, ita tamen comparatum eſt, ut non inter ſuos tantùm, ſed paſſim etiam inter omnes alios publicam tueri honeſtatem, pietatem ac juſtitiam, pro ea, quâ inſtructus eſt, poteſtate, teneatur. Et cauſæ itaque bonitatem, quâ alieni nituntur, & ſuas vires hìc conſiderabit: ne aut patronus injuſtus, aut ſupra vires audax in periculum non neceſſarium ſe temeritate ſuâ conjiciat. Nefas Germanis ex antiquiſſimo more ſemper fuiſſe judicatum Jovius teſtatur, implorantibus & ſuppreſſis opem denegare. *lib.32.* A Joannę Neapolitanorum reginę oratoribus ſuppliciter rogatus Alphonſus Aragonius, ut ipſi omni ope deſtitutæ adverſus Martinum Pontificem auxilium ferret, diſſuadentibus conſiliariis durumque & perquam anceps fore hoc bellum objicientibus, Herculem, reſpondit, etiam non rogatum laborantibus ſubvenire conſueviſſe. *Panormit. lib.1. de geſt. Alphonſ.* Et quod reſtet infir-

infirmorum adverſus potentiam & tyrannidem in rebus humanis præſidium hoc miſericordiæ erga calamitoſos officio à Magiſtratu remoto: Nam & ſervos durius habitos, & ob id fugientes, lex civilis dominis reddi vetat, ſed venire jubet, ita ut in poteſtatem priſtinorum dominorum non revertantur. *l. 2. D. de his qui ſui vel alien. jur. ſunt.* A qua ſententia legis etiam divina non protſus abhorrere videtur. *Deuteron. 23. v. 15.* Davidem à Rege Achis in patrocinium ſuſceptum Saul tyrannus perſequi deſtitit. *1. Sam. 27. v. 4.* Ad hæc Miſericordia in ſuppliciis etiam juſtis non exſultat, uti de Veſpaſiano Imperatore literis proditum eſt, nullius unquam cæde eum lætatum, juſtis etiam ſuppliciis illacrimaſſe. *Sueton.* Iſraëlitæ Benjamitarum, quamvis juſtè punitorum, ſortem fletu & indignatione proſecuti ſunt, ipſorumq; ſtirpem propè jam deletam reſtaurarunt. *Judic. ult.* Nam

Qui fruitur pœnâ, ferus eſt: legũq; videtur
Vindictam præſtare ſibi. *Claudian. de conſul. Mallii.*

Hinc

Hinc adeò vix ſpectare ultima ſupplicia Magiſtratui prudentes permittunt: ne aut voluptatem inde aliquam capere videatur, aut ſævitiæ & immiſericordiæ conſuetudinem per oculos immittat in animum. Veteres Ægyptii legem inde à Prometheo repetebant, quâ reges non modò occidere prohiberentur, ſed etiam ſupplicia ſpectare, ut ſcribit Plutarchus, ne ex illis ſpectaculis ullum in ſpectatoribus crudelitatis veſtigium reſtaret. Potius viro principi, ubi pænarum aut coërctionis res eſt, aliis id delegandum: ubi præmiorum aut munerum ipſi obeundum. *Xenoph. in Hieron.*

Denique miſericordia Magiſtratus ne quidem mortuos deſtituit, ſed luctu & ſepulturâ dignatur. Civibus urbis Jades in Gilead gratias David per nuncios egit, quòd Saulem regem, ſuum, dum viveret, hoſtem, & quem ipſe antea flebili carmine deploraverat, terræ mandâſſent, 2. *Samuel*, 1. & 2. v. 5. Abneris ducis exſequias ſuâ præſentiâ cohoneſtavit, nec ſibi temperavit à lacri-

mis.

miſ. 2. *Samuel.* 3. *v.* 32. Alexander Magnus Darii non ſaltem uxorem partus dolore mortuam deflevit, matrem filiasque reliquas, ſuper illius obitu conſolatus eſt: ſed poſtea etiam ipſius Darii jaculis confoſſi cadaver non ſine lacrimis intuitus ſuâ ipſum clamyde cõtexit regioq; more funeravit. *Plutarch. in Alex.* Julius Cæſar & ipſum qui adverſario Pompeji proditoriè occiſi caput attulerat averſatus eſt, annuloque Pompeji accepto, flevit. *Idem in Pomp.* Auguſtus Cæſar, de Antonii interitu nuncio unà cum pugione cruento ad ſe in caſtra perlato, in interiorem tabernaculi partem conceſſit ibique ubertìm deploravit collegam quondam ſuum & affinem, prӕterea multorum bellorum ac negotiorum ſocium. *Idem in Anton.* Atq; ad iſtud ſepulturæ & mortalitatis poſtremũ officiũ Magiſtratus ſeſe in bello tam erga hoſtiũ interfectorũ, quàm ſuorũ cadavera miſericordẽ præbeat. Hoc enim cùm facit cives ſuperſtites, ad benè fortiterq; rem gerendã animoſiores atq; alacriores reddit.

Demoſth

Demoſth. in funebr. orat. Conſuetudine receptum apud Judæos fuiſſe, in acie cæſos tollere & ſepelire, ſecundus Maccabæorum liber innuit. *cap 12. v 39.* Athenienſes decem prætores, qui navali pugna trucidatos non diligenter colle giſſent, capitis damnarunt. *Ælian. lib. 5. Var.* Hinc Nicias Athenienſium dux acie adverſus Corinthios ſuperior maluit victoriæ titulum, quàm duos cives inhumatos, negligere. *Plutarch. in eod.* Pompejus Magnus cum incidiſſet in cadavera etiamnum inhumata eorum, qui duce Triario adverſus Mithridatem infeliciter pugnârant, ſplendidè & munificè omnes tumulavit: quod neglectum militum animos inprimis putatur ab Lucullo abalienâſſe. *Idem in Pomp.* Dares Phrygius de excidio Trojæ Agamemnonem ad Palamedem ſepeliendum duorum menſium & rurſus triginta dierum inducias ad ſuos funerandos à Priamo impetraſſe refert.

Miſericordia itaque Magiſtratus erga omnis generis homines calamitoſos mœſtos ac luctuoſos, perterritos, ten-

tatos, periclitantes, injuriam paſſos aut quacunque ratione ſub cruce gementes & miſerabiles, condolendo, conſolando, viſitando, refocillando, relevando, intercedendo, opem ferendo, lugendo & ſepeliendo, modiſque infinitis aliis, exercetur: hoc tamen cum neceſſario moderamine, ut quos Magiſtratus ita complectitur, miſericordiâ digni ſint: boni ſcilicet & innocentes aut ſeducti & probabili aliquo errore prolapſi: tum ut in lugendo & deplorando aliorum ſortem modum ſtatuamus; quem patientiæ virtus ſuperiùs Magiſtratum docuit. Juſtum eſt, inquit, Demoſthenes, miſereri non improborum, ſed eorum qui immeritò infelices ſunt. *Stob. ſerm.* 44. & Cicero, Eorum, inquit, miſereri oportet, qui propter fortunam, non propter crimen, in miſeriis ſunt. 2. *Rhetor.* Quare benignus rex audiens criminoſas perſonas, lege quidem cōpellente, ipſe mortis ſententiam dictat adverſus eas: tamen miſericordiâ inſtigante lacrimas fundit ſuper ipſas, &

vult eas adjuvare & non poteſt, contradicente ſibi juſtitiâ: quoniam miſericordia tunc eſt verè miſericordia, ſi ſic facta ſit, ut juſtitia per eam nõ contemnatur. *Chryſoſt. ſuper Matth.* Moderatè ſimul & prudenter David rex, cùm Abſolonem filiũ in impietate confoſſum acerbiſſimis lacrimis defleret, à Joabo præfecto ſuo monitus inutili & intempeſtivo luctu tandem abſtinuit. *2. Sam. 18. v. ult. & c. ſeq.*

Sic miſericordia denotat affectum erga alios generaliorem in rebus iis omnibus, quibus imbecillitas humana ſubjecta eſt. *Caſtell. lib. 4. de offic. reg. c. 12. cui* BENEFICENTIA nunc ſuccedit, quæ promotione dignos reipsâ & ope operâq; ſuâ pro viribus adjuvat ac provehit. Hanc à gratitudine ita diſtinguit Bodinus, quòd hæc non meritis, illa nõ niſi merentibus debeatur, hęc virtutẽ antecedat, illa ſequatur. *5. de repub. 4.* Beneficentiæ in Magiſtratu virtus nervoſo potentię robore inſtructa, quãtò plus virium ad opitulãdum obtinet,

tan-

tantò minus remittere ſuum vigorem debet, ut ad hoc publico generis humani bono ſe cōſtitutum Magiſtratus demonſtret, ut quamplurimos beneficētię ſuę imbre, tanquam cœleſti quadam & divinâ irrigatione, perfundat: unde omnium animi ac vultus exhilarentur ac recreentur: ſicuti Veſpaſianum Imp. dicere ſolitum accepimus, Non oportere quenquam à principis conſpectu triſtem diſcedere. *Sueton.* Hinc Euergetæ nomē Cleomeni Spartanorum, Ptolemæo Ægyptiorum, & Antigono Macedonum, regibus perpetuâ laude inditum: quòd benefecerint omnibus, læſerint neminem. *Alexand. lib. 2. c. 11. Plutarch. in Cleomen.* Alexander Macedo, ingentis rex ſpiritus, terrarum orbem ſubjugans, quaſi ſol quidam communis, populorum, ad quos acceſſit, calore mentes fovit, & ſibi mirificè addictos reddidit: ut vel ſponte ſuâ tali imperio capita ſubmiſerint, quale parens naturæ Deus ſuis abundè in hómines univerſos beneficiis exercet.

Verè regia hæc illius de ſe prædicatio non vana: A nemine unquam fuiſſe benignitate ſuperatum. *Cælius lib. 4. c. 28.* Benignitas & fides, inquit ſapiētiſſimus Rex, cuſtodiunt regem. *Proverb. 20. v. 28.* Imperium, Seneca ait, melius beneficiis, quàm armis, cuſtoditur. *de brev. vit.* Et hac maximè ratione principia imperii firmantur. *Tacit. 1. annal.* In Magiſtratus amorem ſubditi quaſi inviti pertrahuntur, à quo beneficiis accumulantur, cùm & fera animalia benefactis cicurentur, & canis ipſa amet benefactorum domos, ut dicebat Anacharſis. *Epiſt. ult. ad Crœſ.* Neque exiſtimandum eſt, homines naſci naturâ fidos, ſed fidos oportet ſibi quiſq; faciat, quorum adquiſitio potiſſimùm fit beneficentiâ. *Xenoph. lib. 8. Cyripæd.* Nec princeps ex defectu pecuniæ, ſed amicorum, perit. *Plat. Epiſt. 1 ad Dionyſ.* Ubi animadvertendum, ne beneficiorum ſuorum gratiam unquam concedat Magiſtratus ad eos tranſire, qui adminiſtri & executores beneficentiæ illius,

illius, hanc ſibi viam ad potentiam ſternunt: ſed ſuorum benefactorum ipſemet Magiſtratus autor, cenſor, diſpenſator, & ſit, & videri velit: nihil hìc vicariis aliorum manibus agat, ſed quidquid cuiquam factum benè, ſoli magiſtratui acceptum ferendum omnes intelligant. Nec ſplendorem ſolùm majorem beneficia ab autore accipiunt, ſed minus etiam detruncata ac mutilata ad alios perveniunt. Quod Tiberius Cæſar diligenter cavit. Cùm enim meminiſſet Auguſti temporibus magnam deminutionem de donis ejus ſæpènumero à miniſtris & diſpenſatoribus factam, ſua munera & pecuniam (erat namq; liberaliſſimus) ſtatim coràm in ſua præſentia juſſit numerari & tradi, ne dantium perfidiâ aliquid ſupprimeretur. *Dion Nicæus. Zonar.*

Eſt verò Beneficentia, aut Gratificatio, aut Liberalitas, aut Hoſpitalitas.

Gratificatio Magiſtratus prodeſt aliis tali officiorum genere, quæ minus operæ, difficultatis, minusque impenſæ

ac moleſtiæ cõtinent, nec uſu ipſo conſumi aut fieri deteriora ſolent. Ad quæ promtiorem facere Magiſtratum ipſa horum beneficiorum ſimplicitas debet, quæ præter innoxiam facti nil obfuturi præſtationem vix quidquam poſtulat: ut, ſi cui Magiſtratus conſilium fidele communicet: uti Venetos Bembus 7. *Hiſtor. Venet.* ſcribit, Norinbergenſibus legum ſuarum exemplum petentibus frequenti Senatu conceſſiſſe: ſi cui ad honeſtam functionem conſequendam adjumento ſit: publicum nativitatis, vitæ, ac morum teſtimonium det: innoxium tranſitum exteris per ſuam regionẽ ſalvo conductu concedat: ſicuti poſteri Eſau & Moabitæ Iſraëlitis in terram Canaan divinitùs promiſſam contendentibus: *Deuteron.* 2. *v.* 4. 18. 29. ſi iis, quæ in ditione ſua habet ſingularia, quibusve abundat, aliorum defectum libenter ſuppleat: quemadmodum Hiram, Tyri Rex Davidi & ejus filio Salomoni ligna & artifices ex Syria indulſit ad templi & regiæ

gię domus ſtructuram: *1. Reg. 5. 2. Chron. 2.* ſi ſubditis ſuis, quorum præſentiâ & ope ipſe non indiget, ſub alieno magiſtratu ſtipendia in bello juſto ac legitimo mereri liberè permittat: faciat alia, quibus citra rerum ſuarum diſpendium aliorum ædificari compēdia poſſint. Alexander ille magnus eò usq; gratificādo progreſſus eſt, ut etiam dignatus ſit ſcribere pro Seleuco: ut ejus puer qui in Ciliciā profugerat, requireretur. *Plut. in Alexand.* Quemadmodum igitur qui de ſuo lumine alteri accendere lumen, ex ſuo flumine haurire aquam permittit, eo ipſo nil habere minus incipit: ita gratificatio magiſtratus minimè gravabitur ea communicare cum aliis, quorum participatio & uſus ſine deminutione poſſeſſionum conſtat. Quapropter & hoc beneficentiæ genus in ſe quidem vilius cenſetur, quippe quo facienti nihil abſcedit: licèt ipſius commodi, quod inde emergit, intuitu, utiliſſimum ſæpe ſit maximeq; preciosum.

Liberalitas verò Magiſtratus ne ſuis quidem opibus & patrimonio parcit, & ſine precio gratis tribuit & donat aliis, quotiescunq; neceſſitas aut ſaltem honeſtas id flagitat, quæ ſi in pauperes fiat, Eleemoſyna, ſi in alios, Munificentia dicitur.

Eleemosyna itaque Magiſtratus eſt liberalitas in pauperes, qui ſine ope alienâ vitam ſuſtentare nequeunt. Et hanc quoque virtutem Ethnici magiſtratus, ut omnes alias, non ex vero beneficentiæ affectu exercuerunt: ſed cōmodi duntaxat publici cauſsâ, ut tranquillitas inter ſubditos conſtaret, vel etiam ut ſibi privatim conſulerent, neceſſitate potius quâdam compulſi, quàm ſpontaneâ mentis inclinatione ducti. Ita Cato populo inopi Romæ ad ſeditionem inclinanti dari congiarium frumēti ſenatui perſuaſit. *Plutarch. in eod.* Agrum Romanum Numa Rex inter inopes diviſit cives, paupertate, quæ ad maleficia impelleret, ſublatâ, populum ad agriculturā convertit, ut ſimul cum tellu-

tellure miteſceret: pagos diſtinxit, & ſingulis inſpectores præfecit. *Idem in Numa.* Nerva Imp. ad vitam ſuſtentandam egenis civibus decies & quinquagies centena millia numûm erogavit: puellas puerosque parentibus pauperibus natos ſumtu publico per Italię oppida ali juſſit. *Xiphil. Dion Caſſ.* Nec aliam ob cauſam in Repub. Romana toties repetita Lex Agraria fuit, niſi ut turbæ à plebe inope excitatæ ſopirentur. Ut Nicanorem ſuum obtrectatorem Philippus Macedo placaret, cùm vehementer afflictum illum inopiâ cognoviſſet, mox affici muneribus curavit, quem antè neglexerat. *Plut. in Apophth.* At longè ſecius Chriſtiani Magiſtratus ſacris nimirum edocti literis. Cùm Tiberio II. namq; ſub Juſtino II. palatii pfecto, poſtea Imperatore, ſtatuunt: hunc verũ illum theſaurũ eſſe nullis obnoxium periculis, qui apud pauperes quovis modo deponitur: juxta illud Chriſti. *Matth. 6. v. 20.* Colligite vobis theſauros in cœlos, ubi nec

vermes nec ærugo eos conſumit, aut furum inſidiis patent: proindè non defuturam fiſco pecuniam, quamdiu pauperes eleemoſynam accipiunt & captivi redimuntur. *Paul. Diacon. lib. 17 rer. Roman.* Conſtantinus Magnus Imp. Eſaiæ illud ſibi proponens, Eccleſiæ nutritores reges fore, liberaliſſimè pauperes ſenes & infantes, qui à parentibus ali non poſſent, ex fiſco juvit, eandemq; legem in omnibus provinciis fixit: agros inſuper, frumentorum reditus, ac veſtimenta ad ſubſidium tam virorum quàm fœminarum indigarum deſtinavit: pauperum ſcholaſticorum ſtudia, ſumtibus provexit, majori tamen amore complexus eos, qui in ſacris literis ſtudium poſuiſſent. *Euſeb. lib. 4. de ejus vita.* Iſaacius Angelus, Imp. Græcorum, liberalis in viduas & pauperculas virgines fuit: ejuſque inprimis filius Alexius Comnenus etiam Orphanotrophium exſtruxit & Muſæum, ubi liberi parentibus omniq́ue ope orbi alerentur & erudirentur, ſumtu ad hoc ex vecti-

gali-

galibus Regiis conſtituto, *Nicet. lib. 3.* Carolus Magnus Imp. unamquamque Rempub. ſuos alere pauperes voluit, ne paſſim vagari mendicando neceſſe haberent. In Syria, Ægypto, Aphrica, Hieroſolymis, Alexandriæ & Carthagine Chriſtianis ſimul à Saracenis & rerum inopiâ oppreſſis, Eleemoſynis liberaliter ſuccurrit: amicitias ob hanc maximè cauſſam cum tranſmarinis regibus contraxit, quò Chriſtiani in illorum ditionibus quietiùs ſecuriùsque viverent: moriturus, præter alia, menſam auream & tres argenteas, in quarum una Conſtantinopolis, in altera Roma Vetus, in tertia Orbis terrarum deſcriptus erat, juxta Metropolewn numerum in unam & viginti portiones diviſit, pretiumque inter pauperes diſtribui juſſit. *Aventin. 4. annal. Æmilius lib. 2. Urſpergenſ. Sigebert.* Latére nunc patior Ludovicum pium, Othones, Fridericum primum, & tot alios Impp. & principes Chriſtianos totq; laudatiſſimas Romani Imperii civitates: quarum

Eleemoſynæ & beneficia in pauperes liberaliſſima publicè extant. Et quàm ſeriò hæc erga egenos liberalitas & olim Judæis & nunc omnibus Chriſtianis à Deo injuncta ſit, nemo niſi hoſpes in Theologia ignorat. *Levit.* 25. *v.* 35. *Deuteron.* 25. *v.* 7. *Eſaiæ* 58. *v.* 7. *Matth.* 25. *v.* 35. *Luc.* 6. *v.* 38. *c.* 12. *v.* 32. *&c.*

Munificentia Magiſtratus cōſiſtit in muneribus dandis, ſitque propriè tali mentis liberalis motu, ad hoc duntaxat directo, ut donet alteri, ſine aliquo paupertatis reſpectu: quāquam is, cui ita donatur, ſæpènumero indigentiſſimus ſit: atque Eleemoſynæ effectum munificentia conſequatur, licet per accidens. Hanc virtutem cùm Dionyſius ſenior Magiſtratui perquam neceſſariam eſſe intelligeret, & filii domum ingreſſus cōſpexiſſet poculorum aureorum & argenteorum copioſam ſupellectilem, Nō es, inquit, ad regnum natus, qui tot à me acceptis poculis nullum tibi amicum comparâſti. *Plutarch. in Apophtheg.* Bochus Mauritaniæ

niæ rex minùs flagitioſum eſſe dixit, regem armis quàm munificentiâ vinci. *Saluſt. in Jugurth.* Cyrus Perſarum rex ſceptro potitus nullum in ſuos liberalitatis genus prætermiſit: non pecuniam, ſed amicos, quibus ille plurimum contuliſſet divitiarũ, ſuos eſſe theſauros ducens. Quanquam non modo familiares & amicos, ſed è ſubjectis unũquemque gauderet copiâ rerum abundare: ut boni regis proprium officium, quin & opus eſſe diceret, etiam civitates beatas efficere. *Xenoph. in Cyropæd.* Recordatus quondam ſuper cœnam T. Veſpaſianus Imp. quòd nihil cuiquam toto die præſtitiſſet, memorabilem illam meritoque laudatam vocem edidit: Amici, diem perdidi. Beneficia à ſuperioribus conceſſa principibus, ipſe omnia uno confirmavit edicto, nec à ſe iterum peti paſſus eſt. *Sueton.* Alexander Magnus omninò ſuccenſebat magis, ſi non acciperes, quàm ſi poſceres. Phocioni per literas mandavit, admitteret ſua dona aut amicitiam ei ſe re-

nunciare. *Plutarch. in Alex.* Imperatoris Probi munificētiam Claudiani verſus celebrant, qui in Panegyrico extant inſignes:

Hic non divitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnavit opes, ſed largior imbre
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
Quippè velut denſo currentia munera nimbo
Cernere ſemper erat, populis undare penates,
Aſſiduos intrare inopes, remeare beatos.
Præceps illa manus fluvios ſuperabat Iberos
Aurea dona vomens.

Liberalitatem pro comite perpetuo Othomannus I. Turcarum Imp. habuit, quâ virtute nullam vividiorem princeps aliquis habere poterit, ut magnus atque adeò immortalis citò efficiatur.

Jovius

Jovius in Orcann. Cimon dux Athenienſis ſuâ beneficentiâ conſecutus eſt, ut comœdiæ teſtimonio divinus ſit homo appellatus, omniumque Græcorum optimus. Critias Tyrannus cùm Scopadum divitias ſibi optaret, & victorias Ageſilai, adjecit Cimonis liberalitatem. Leontinas Gorgias Cimonem dixit opes paraſſe, ut uteretur, uſumque eſſe, ut ex eis ſibi honorem pararet. *Plutarch. Athenæus lib. 12. c. 15.* Philippo Mariæ viceconiiti, Mediolanenſi duci, hoc Elogium Pontanus adſcribit: eum, ſi quem fortem & clarum virum in Italiæ urbibus aut finitimis regionibus agere intellexiſſet, munera mittere ſolitum, & ſe, & illo digna, *cap. 28. de liberalit.* Nam juxta Joannis Galeacii vicecomitis dictum, Nil eſt mercaturâ eâ nobilius, quâ viri inſignes parantur. *Jovius in eod.* Nec illud liberalitatis genus prætereundum, quo Alexander Magnus uſus eſt, cùm æs alienum ſui exercitus diſſolvit.

Plu-

Plutarch. in eod. Juſtinus quoq; II. Imp. initiò ſui principatus deletis chirographis redditiſque pignoribus debita exſolvit tàm civium quàm militum. *Cuſpin.* Hadrianus & M. Antoninus Impp. fiſco à privatis debita liberaliter remiſerunt ac cōdonarunt, combuſtis in foro ſyngraphis. *Pontan.* 19. *de liberalit. Xiphilin.*

Et hactenus quidem munificentiam Magiſtratus uti minus ſumtuoſam, præſertim erga inferioris ſortis homines, quilibet etiam privatus pro facultatum ſuarum modulo imitari poſſit: illa verò quæ majori ſumtu conſtat, & MAGNIFICENTIA nominatur, Magiſtratus quaſi propria eſt, à quo opes publicæ ſupra ſortem privatorum poſſidentur ac diſpenſantur. Magnificētia enim non niſi ad utilitatem publicam largitiones ſuas confert: inque mutuis magnatum erga ſe invicem ſplendidis muneribus exercetur. Sumtus magnifici in publicam utilitatem impenduntur, primò in perſonas & negotia, tum ædifi-

cia publicę utilitati inſerviētia. Ad cultum divinum publicum inſtituendum duodecim principes Iſraëlitici argentea & aurea vaſa contulerunt. *Numer.* 7. & poſtea rex David unà cum Principibus ad templi Hieroſolymitani ſtructuram magnifico ſumtu gemmas & immenſas auri, argenti, ęris ac ferri opes elargiti ſunt. 1. *Chronic.* 30. Ptolemæus Philadelphus rex, præter magnas impenſas in ſacrorum Bibliorum translationem factas, magna donaria Hieroſolymitano templo dedicavit. Eleazari epiſtola triginta aureas pateras & argenteas totidem, crateres quinq;, centum talenta fuiſſe indicat: Joſephus menſam ex ſolido auro eximii ponderis adjicit. *Sabellic.* 8. *Enn.* 4. Tiberius Cęſar multos ordinis ſenatorii ad egeſtatem redactos locupletavit: Veſpaſianus Imperator cõſulares inopes quingenis ſeſtertiis annuis ſuſtētavit. *Sueton.* Apud Romanos congiarium populo, donativum militi, à Principibus donabatur, ut & magnificentiam ſuam oſtēderent & il-

&c illorum ſibi animos ratione hac oppignorarent. *Pontan. c. 15. de magnific.* Regia enim perſuaſio non oratione continetur, ſed donis & muneribus: illa autem quæ verborum, eſt oratorum propria, non regum, quorum magis apulentia, quàm eloquentia, ſplēdida eſſe debet. *Strab. lib. 1.* Regiâ magnificentiâ Cyneas non pauciores urbes Pyrrho, quàm eloquentiâ, conciliavit: hâc Philippus Græciam ſubegit: hâc corruptus Demoſthenes à legatis Mileti, ne illorum poſtulatis ſuâ eloquentiâ obſiſteret, συνάγχην ſimulavit, cùm ἀργυράγχην pateretur. *Gell. lib. 11. N. A. c. 9.* Veſpaſianus Imp. primus è fiſco Latinis Græcisque Rhetoribus ac Poëtis annua centena conſtituit: pręſtantes Poëtas nec non Artifices coëmit: Architectos maximo precio Romam vocavit. *Sueton.* Adrianus Imp. pecunias multas, frumentum annuum, & univerſam Cephaleniam Inſulam Athenienſium ſcholæ largitus eſt. *Dion.* Alexander Mammeæ filius, Rhetori-

toribus, Grammaticis, Medicis, Mathematicis, Mechanicis, Architectis ſalaria conſtituit, auditoria decrevit, pauperum filios publicè aluit. *Cuſpin.* Alexander Magnus, Plinio teſte, Ariſtoteli Philoſopho octingenta talenta contulit, & aliquot inſuper hominum millia in totius Aſiæ Græciæque tractu ei parére juſſit, quos venatus, aucupia, piſcatusque alebant, quibusque vivaria, armenta, alvearia, piſcinæ, aviaria curæ erant, ut omnes naturæ ſinus explicarentur, nec quid uſpiam gentium ignorantiæ tenebris occultum lateret. Florentini Philippum Decium inſignem jurisconſultum Piſis jura profitentem annuo ſtipendio mille quingentorum aureorum conduxerunt. *P. Gregor. 18. de Repub. 4. inf.* Rei evidentia ſcriptionisque anguſtia non patitur verbis perſequi tot in Germania Principum ac Rerumpubl. ſumtuoſam magnificentiam, quæ in veræ pietatis ac honeſtatis ſtudia, eo-
rum-

rumque Profeſſores ac Doctores eximios, in Bibliothecas, in Typographias, utiliumq; ſcriptorum editiones publico Eccleſię ac Reipub. bono impenditur. Quid commemorem ſumtus magnificos in publica ædificia tam ſacris quàm profanis uſibus deſtinata, & tam pacis quàm belli negotiis inſervientia? de quibus omnium ſeculorum hiſtoria & tot arces urbesque ac munitiones, & in his templa, curiæ, aliaq; magnificentiæ publicæ erecta monumenta, paſſim toto orbe loquuntur. Pericli tribuitur, quòd Athenienſium urbem magnificis ædificiis impleverit. *Plutarch. in eod.* Auguſtus Cæſar urbem Romam pro majeſtate imperii ornâſſe, & quam lateritiam acceperat, marmoream reddidiſſe prędicatur. *Sueton.* Deniq; munerum inter Reſpub. & Magiſtratus munificentia huc pertinet: qualem divitis Arabiæ regina & Salomon rex invicem exercuerunt. Præter Aromata enim & Gemmas, centum viginti auri talenta Salomoni illa elargita eſt, hic verò etiam

iam ἀντιδώροις longè eam ſuperavit. Omnes inſuper Arabiæ reges ac principes gentium dona Salomoni contuliſſe S. ſcriptura annotat. 1. *Reg.* 10. *v.* 10. & 13. 15. 2. *Chronic.* 9. *v.* 9. 12. 14. *Joſeph.* 8. *antiquit.* 6.

Peculiares quidam liberalitatis modi ſunt in Mutui datione & Sponſione pro aliis: qui hìc conſiderantur, non ut contractus ſunt, & interdum ad diteſcendi occaſionem trahuntur, ſed quatenus aliorum ſtruere commoda propriâ pecuniâ propriiſque opibus ſine uſuris & compenſatione, gratis ſatagimus. Quamvis n. ſpondendo pro alio damnum fortaſsè indè nullum in rebus meis patiar: periculum tamen, quod in me recipio, non poſtremum liberalitatis beneficium cõtinet: cùm propè debitum à me exſolutum videatur, pro quo fides mea interpoſita atque oppignorata tenetur. Neque illa liberalitatis officia Magiſtratui negligenda, quorum exempla huc tranſcribere haud difficile hiſtoriarum ſtudioſo. Ex quibus

bus manifeſtum eſt, gratificationem potius illam, quàm liberalitatem cenſendam: cùm à Repub. & Magiſtratu pecuniæ creduntur, dum tamen pignoribus caveatur, & penſiones annuę mediocres ſolvantur. Quod licet ad fœnerationem nequaquam pertineat, magnique beneficii loco habendum ſit: tamen quia pignoribus oppoſitis uſuriſque etiam ęquiſſimis annuatim exactis, uſus magis pecuniæ quàm abuſus conceditur, ſic ut ſummæ principali reique publicæ poſſeſſionibus inde nihil quidquam decedat; gratificandi id magis animo, quàm donandi, fieri promtum eſt. Talis eſt Patavinæ Reipub. Mons pietatis, quem *Bernhardus Scardeonus* ærarium quoddam eſſe ſcribit, ex quo à Senatu pecuniæ publicæ indigentibus ſub quocunq; pignore mutuò dentur, & pro fœnore annuo vigeſima duntaxat in miniſtrorum & operariorũ mercedem exigatur, ſumma triginta ſolidis minor gratis etiam concedatur, quidquid ex annuo ſumtu ſupereſt, in pau-

peres

peres & pias cauſas erogetur. Additque hoc tam utili inſtituto viginti duas menſas fœneratorias Judæorum penitus ſublatas. *lib. 2. hiſt. Patavin. claſſ. 5.* Non abſimilem morem Argentina ſervat, quæ ſuppellectili aureâ argenteâvè pignori oppoſitâ, aut datis fidejuſſoribus idoneis, pro tolerabili penſione annuâ præſenti pecuniâ deſtitutis ſuccurrit, donec pignora pecuniâ etiam particulatim & carptim reſtitutâ luantur, pro quantitate ſortis decreſcentibus uſuris.

Tertium beneficentię genus eſt HOSPITALITAS, quæ hoſpitibus, peregrinis, exſulibus, regionis terminos, urbium portas, ædium fores aperit, eos benignè fovet ac recreat. Apud Ethnicos hoſpitiorum jura tam ſanctè habita, ut illis Jovem præfecerint defenſorem ac vindicem, unde is Hoſpitalis dictus fuit: ut qui hoſpitem læſiſſet, in ipſum Deum inexpiabili ſcelere deliquiſſe putaretur. Valdè decorum eſſe,

Cice-

Cicero affirmat, patére domos hominum illuſtrium illuſtribus hoſpitibus. Idque etiam Reipub. eſt ornamento, ait, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe noſtra non egere. Eſt autem etiam vehementer utile iis, qui honeſtè multum poſſe volunt, per hoſpites apud externos populos valere opibus & gratiâ. Theophraſtus ſcribit quidem Cymonem Athenienſem etiam in ſuos curiales Laciadas hoſpitalem fuiſſe. Ita enim inſtituiſſe, & villicis imperaviſſe, ut omnia præberentur, quicunque Laciadas in villam ſuam divertiſſent, *Cic. 2. offic.* Nec Abrahamum Pharao rex Ægyptius, nec eundem cum filio Iſaaco Abimelechus Gerari rex in Palæſtina, nec Jacobum Patriarcham cum tota familia Pharao itidem Ægyptius, difficilimo famis tempore, ditione & hoſpitio ſuo excluſerunt. *Geneſ. 12. v. 10. & ſeqq. c. 12. c. 26. c. 46. 47.* Carolus Magnus hoſpites humaniſſimè (qui vetus Germanorum mos eſt) excipiebat: beneficiis ornabat: fiſci detri-

trimentum, quod ex eorum multitudine oriebatur, genuinæ hoſpitalitatis & benignitatis gloriâ compenſabat. *Avent. 4. annal.* Senatus Romani in excipiendis hoſpitibus illuſtribus conſuetudo fuit, quæſtorem obviam mittere, publicam domum adſignare, quotidiè munera & copias per quęſtorem publicè prębere. Sic Pruſiam Bithynię regem excepit: erga Ptolemæum Ægypti regem, quàm potuit, accuratâ excuſatione uſus eſt, quòd ſubito & clandeſtino ſuo adventu feciſſet, ut nec quæſtor ei obviam miſſus, nec in publicum ſtatim hoſpitium introductus fuerit. *Valer. Max. lib. 5. c. 1.* Hoſpitalitatis officia apud Venetos oſtendit Sabellicus, cùm olim quendam Luſitanorum Regē diſſimulatâ tum conditionis ſuæ amplitudine Venetiis aliquandiu urbis viſendæ ſtudio verſantem, benignè appellatum & in publicum hoſpitium adductum, ait: ad hæc ex patricio ordine additos, qui urbem illi per otium monſtrarent, quiq; ipſius latera ſtipantes benignè ac

comiter hoſpitem haberent, data & abeunti ex publico munera, miſſosq; non paucos, qui procul urbe officii cauſsâ comitarentur: quo factum ſit, ut, cùm Veneti ſe privato homini id præſtare arbitrarentur, publica illa hoſpitalitas eò gratior regi fuerit, quò magis omni ambitionis ſuſpitiõe caruit: poſtremò, ab illo tempore mutuum hoſpitii jus inter Rempub. & familiam regiam cõſtitutam adhuc durare, tradit, *lib. 3. dec. 4.* Reſpublica Argentinenſis adventantibus illuſtrioribus hoſpitibus obviam mittit, oratione & domicilio excipit, vino, piſcibus, avenâ, aliis donat, ſumtum interdum facere nullum, quamdiu in urbe verſantur, permittit: qui inſigniora urbis loca, armamentarium, granaria, templum magnificentiſſimũ, unà cum horologio artificioſiſſimo, monſtrent, ordinis ſenatorii & ex nobilitate viros adjungit, diſcedentes comitatur: nihil intermittit, quo ſuam humanitatem, reverentiam, hoſpitalitatẽ, clariſſimis hominib. probet. Cùm

hoſpi-

hoſpitibus conjunguntur Legati, quorum jus veterib. erat ἱερὸν καὶ ἄσυλον, cùm hominum præſidio munitum, tùm divino jure vallatum. *Cic. de reſponſ. aruſp.* Nec ulla fuit natio tam barbara, cui caduceum non fuerit ſanctum, quævè legatos præcipuo cultu non habuerit. *Procop. de bel. Gothic.* Hinc Probus in Pelopida, Legationis, inquit, jure ſe tutum arbitrabatur, quod apud gentes ſanctũ eſſe cõſuèſſet. Nonné legati, inquit Cicero, *1. Verrin.* inter hoſtes eſſe incolumes debent? & *Verrin. 3.* Quicunq; legatum violat, palàm jusgentium oppugnat, & immani ſacrilegio ſe obſtringit: quippè cùm legati nomen ejusmodi eſſe debeat, quod non ſolùm inter ſociorum jura, ſed etiam inter hoſtium tela, incolume verſetur. Pyrrhus Epirotarum rex legatis Romanorum ad redimendos captivos caſtra ſua petentibus, qui tùm maximè armis cum eo diſſidebant, quo tutiùs venirent, Lyconem Moloſſum obviam miſit, quoque honoratius exciperentur, ipſe

cum ornato equitatu extra portam occurrit. *Valer. Max. lib. quint. cap. 1.* Romanorum legibus ſi quis legatum hoſtium pulsâſſet cõtra jusgentium id commiſiſſe exiſtimabatur: & ideò ſi, cùm legati apud eos eſſent gentis alicujus, bellum cum eis indictum eſſet, nihilominus liberos manere legatos voluerunt: ſtatuerunt, ut qui legatum pulſaſſet, hoſtibus, quorum erant legati, talis dederetur. *l. ult. D. de Legation.* Nam inter arma hoſtilia ſola legatio pacis ſequeſtra eſt. *Egeſip. lib. 14. cap. 36.* Cùm Achæi Lacedæmonios, qui ad diverſoria legatorum Romanorum confugerant, vi extrahere tantâſſent nullâ loci ſacri religione tacti, apud Senatum delati ſunt, quaſi jus gentium eâ impudentiâ violâſſent. *Pauſan. lib. 7.* Quod hoſpitalitatis jus in legatis, propter eorum in Repub. neceſſitatem & uſum, tam ſtrictim ſervatum videtur: nempe, ut concordia & amicitia faciliùs inter homines coiret, legatis pacis & amicitiæ internunciis ac miniſtris illæſis. Et verò

verò negotia inter Reſpub. & Magiſtratus ſæpè talia ſunt, ut non ſolùm literis expediri nequeant, ſed etiam magnæ confuſiones orituræ ſint, ſi ea aut impediantur aut divulgentur. Hoſpitalitati Magiſtratus ſubjiciuntur etiam exſules, prę ſertim qui ob religionis ſinceræ profeſſionem ſunt extorres. Davidi cum ſexcentis aliis Tyrannidem Saulis fugienti Achis rex Gathenſis primò locum in urbe regia, mox peculiare oppidum Ciclag habitandum conceſſit. *1. Samuel. 27.* Xerxes rex Perſarum Themiſtoclem ſuum quōdam hoſtem acerrimum, à quo & acie victus antè fuerat, à Græcis in exilium pulſum ſuſcepit & honorificè ac liberaliter ſuſtētavit. *Plutarch. in Themiſt.* Michael Imperator & Procopia Auguſta Chriſtianis ex Ægypto & Syria ob Saracenorum crudelitatem ad ſe confugientibus hoſpitia & aliquot auri talenta præbuêre. *Paul. Diacon. lib. 24. rer. Roman.* Nec diſſimulanda hoc loco eſt illa principum Germaniæ nunquam in-

termoritura hoſpitalitatis laus, qui nuper adeò graviſſimâ perſecutione afflictos Chriſtianos, ſuos inter ſubditos publicis etiam edictis invitatos ſuſceperunt, privilegiis ac immunitatibus donârunt, illis urbes & ſedes in terris, ſibi æterna in cœlo palatia, condiderunt. Nam & omninò peregrini honeſtæ vitę teſtimonio ornati non ſunt ſimpliciter à Reipub. communione arcendi. Idq; divina ſanctio in Repub. Judęorum conſtituit. Si habitaverit, inquit Deus ad Moſen, advena in terra veſtra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei, ſed ſit inter vos quaſi indigena, & diligetis eum quaſi vosmetipſos. *Levit. 19. v. 33.* Heraclides de politiis teſtatur, Cretenſes non tantùm peregrinos humaniter hoſpitio excepiſſe, ſed in convivio etiam principibus antepoſuiſſe, & ad Magiſtratus gerendos ſæpènumero vocâſſe. Athenienſes non ſolùm idoneis civibus gerendam Rempub. & militiam adminiſtrandâ commiſerunt, ſed ſæpè etiam peregrinos civibus

vibus antetulerunt, eosq; Reipub. gubernationi præfecerunt, ſiquidem eos bonos honeſtosq́; viros cognoviſſent, & ad hęc munera ſubeunda accommodatos. Itaq; Apollodorum Cyzicenum ſæpiſſimè belli ducem creârunt, quamvis eſſet peregrinus: item Heraclidem Clazomenium. *Ælian. lib. 14. var.* Peregrinum virum juſtum Pythagoras, non cive ſed etiam cognato pluris faciendum eſſe dicebat. Malè eos facere Cicero ſtatuit, qui peregrinos urbibus uti prohibent, eosq; exterminant. Nam eſſe pro cive, qui cives non ſit, rectum eſt, inquit, non licere: uſu verò urbis prohibere, ſanè inhumanum eſt. *3. offic.* Hinc Magiſtratui cura diverſoriorum publicorum injicitur, quæ paſſim per ditionem ſuam inſtituere & officia publica profeſſos ad officium faciendum compellere debet, ut & hoſpites recipiant, & rebus ad hoſpitandum neceſſariis, lectulis, commeatu, & aliis, inſtructi ſint: ut transeuntes peregrini habeant ubi divertere, tu-

tique degere ac recreari poſſint: ne divina, ut & communis humanitatis de hoſpitalitate lex, tantùm in privatis parietibus, ſed pagis quoque ac civitatibus publicè vigeat.

Hoſpitibus adnumerâtur amici aut vicini convivio accepti, unde hoſpitalitatis Magiſtratus eſſe cenſetur, interdum præbere epulum amicis aut vicinis familiaritatis ac hilaritatis cauſsâ. Qualis fuit regum Perſarum cœna, quam eo die, quo rex creatus erat, celebrabât, in qua rex Perſas ſtrenis donabat & quidquid rogatus fuerat concedere ſolebat. *Herod. lib. 9.* Sic Artaxerxes anno Imperii tertio amicis ac ducib. gentium Suſis in aula regia epulum prębuit per dies centum octoginta. *Eſth. 1.* Hujus generis Imperatorum Romanorum conſuetudo eſt, quam & Carolus V. Bononiæ tenuit: ut, Imperatore novo creato & inaugurato, rubra & alba vina fiſtulis ad id comparatis per integrum diem in publico fundantur, ſpargantur panes, cupediæ, ac fructus omnis generis,

ris, bos torreatur integer, hędis, vervecibus, minutisque beſtiolis aliis cùm quadrupedibus tum volatilibus farctiſſimus, ut milites populusq; ad manum paratis obſoniis ac potu reficiantur, & ad hilaritatem ac amorem erga recentem Magiſtratum provocentur. *Sleidan. lib. 2. Jovius lib. 37.* Erant in uſu Romæ convivia à Magiſtratibus inſtituta populoque exhibita: Pontificalia præcipuè in ſacrificiis, & triumphalia. In epulo victoriali Libyco Julii Cæſaris, duobus & viginti millibus tricliniorum fuit accubitum: civibus præterea viritim deni frumenti modii, totidemq; olei libræ, trecentique nummi diviſi. *Sueton.* Alexander Magnus Rex nuptias Statyræ Darii filiæ centum millibus convivarum Macedonum celebravit, ſingulisque præterea Phialam auream donavit. *Plutarch. in eod.* Caroli IV. Imp. quartis nuptiis quindecim reges interfuiſſe convivas ex Curei annalibus colligitur. Rex David in translatione arcæ fœderis, & in funere Abneri ducis,

 publi-

publicum epulum populo exhibuit. *2. Samuel. 6. v. 19. 1. Chronic. 17. v. 3. 2. Samuel. 3. v. 35.* Venetiis inſtitutum, ut princeps ad amorem cõciliandum ſingulis annis quater apparatu minimè invidioſo patricios convivio publico intra palatium ſuum accipiat. *Egnat. lib. 6. c. 2.* Tales multas conviviorum ſolennitates in Rebus publicis paſſim invenire licet, cùm aut Magiſtratus auſpicia ſui officii, aut nuptias, aut natalitia, aut exſequias, aut triumphos, aut conventus publicos comitiorum, aut torneamentorum, & ea quæ fiunt ſclopetis & arcu exercitia, celebrat, & ſi quæ ſunt alia Rerumpub. ac Magiſtratuum inter ſe φιλίτια, amicitię inſervientia, quæ omnia hoſpitalitatis virtus ſibi vendicat.

Cætèrum duobus potiſſimum cancellis hæc benevolentiæ virtus cum ſuis ſpeciebus circumſcribitur, quos egredi nequaquam decet. Nam & Cui beneficium præſtetur videndum, &

Quan-

Quantum: quorum alterum eò pertinet, ut nonniſi dignus ſit promotione is, cui Magiſtratus opem operamvè ſuam impartitur, alterum ne beneficentia major ſit viribus.

Hinc neceſſarium beneficentiæ requiſitum putandum eſt, poſſe officium indignis, aut immodica petentibus denegare: ut potiùs illiberalis nomen apud imperitos, quàm inſulſi profuſoris apud ſapientes ſubeas, & non ſolùm manifeſtè improbos atq; indignos non provehas, ſed nec propter alios te atq; tuos neceſſario ſubſidio denudes. Veſpaſianus Imp. adoleſcẽtulum fragrantem unguento, cùm ſibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu adſpernatus, voce etiam graviſſimâ increpuit: Maluiſſem allium oboluiſſes: literasque revocavit, *Sueton.* Rectè quidem Carolus Magnus Imp cùm admoneretur, ne cuilibet petenti, præſertim indignis, benefaceret, reſpondit: Quâ charitate nos tulit hactenus Pater cœleſtis?

ad cujus legem nos collati ſumus ipſa impuritas & injuſtitia. *Mutius lib. 8.* ſed validos tamen mendicantes idem non tulit, iis quidquam dari noluit. *Crantz. 2. Saxon. 8.* Nec enim benefaciendum notæ atque induratæ malitiæ hominibus. *Syrach. 12.* Omnibus Rebuspub. bene conſtitutis imitandum Athenienſium exemplum, apud quos corpore mutilati, nō niſi à Senatu quingentorum virorum approbati quotidiè certos obulos ex ærario accipiebant. *Suid.* Antigonū regē, Plutarchus perhibet, in repellendis petitoribus inverecundis ita accuratum fuiſſe, atque acutum, ut quisquam regum. Cynico enim cuidam drachmam poſtulanti, Nō eſt, ait, donum hoc regium: & ſubjiciente illo, Da ergo talentum: reſpondit, Hoc accipere non eſt Cynicum. *Plutarch. de vitioſ. pud.* Cùm ab Auguſto Cæſare torquem aureum cētum pondo, quem ei Galli miſerant, Dolobella quaſi per jocum peteret, Malo, inquit Cæſar, civicâ te donare. Impudentię erat triumphale

phale inſigne petere eum, qui nūquam in bello fuiſſet: ideò feſtiviter Auguſtus civicam coronam ex quernis ilignisq; frondibus fieri ſolitā ei obtulit. *Eraſm. 4. Apophtheg.* alium qui ab officio remotus erat, petentem ſibi congiarium dari, ut ſine noxa pręfecturam equitum ſpontè dimiſiſſe, inſuper & liberalitate Cæſareâ dignus putaretur, ſic eluſit: Tu te accepiſſe palàm dicito, ego me dediſſe nō negabo. Ad alium dicentem, Jam hoc homines vulgò loqui, non parvam ab Imperatore pecuniæ ſummam ſibi datam, Sed tu, inquit, noli credere. *Macrob. 2. Saturnal. 4.* Ferunt Maximilianum I. Imp. à mendico fratris nomine ſalutatum & fraterno amore dignam eleemoſynam dare rogatum, ubi hanc conſanguinitatem ab Adamo communi hominum parente deduci audîſſet, aſtuto petitori obolū dediſſe, tali cum reſponſo: Abi & à fratrum quolibet tantundem exige: divitiis, ne dubita, me longè ſuperabis. *Corrozet. de dict. & fact. memor.* Haraldum quendam Scur-

ram multis ornatum veſtibus precioſis, auriq́ue & argenti ſigna plurima, quæ à principibus dono acceperat, in pectore, ut fit, geſtantem, cùm exſpectaret magnum aliquid à Nicolao comite Holſatiæ, is nihil aliud niſi Muſicis ſuis aſſidere juſſit, nec magno xenio honoravit abeuntem. Admonitus Comes à ſuis, ut communem multorum principũ famulum ſolẽni aliquo dono afficeret, quòd iſtiusmodi hominum genus non parùm linguâ ſuâ principum famæ nocere poſſet, Veſtibus, inquit, precioſis etiam me iſte vincit: notiorem autem me eſſe principibus *confido*, quàm ut illius præconio egeam. *Crantz. 10. Saxon. 17.* Alphonſus Aragonius rex equiti ſubindè aliquid flagitanti, ſed mox, quod acceperat, profundenti, Sin pergam, inquit, tibi dare quæ petis, citius me pauperem effecero, quàm te divitem: nam qui tibi donat, nil aliud, quàm aquam infundit pertuſo dolio. *Panormit. lib. 2. de geſt. Alphon.* Idem aliàs viros honeſto loco natos & Magiſtratibus

tibus atque honoribus functos, quos inopiâ rei familiaris laborare intelligebat, dum tamen neque per luxum patrimonia abſumſiſſent, neque inopiam ſimularent, alios aliis commodis, agris, ſervis, armentis, & quo egere quemvis intellexiſſet, juvabat. Quin etiam magnificas domos à ſe exſtructas integris & incorruptis viris amicitiâ ſecũ junctis donabat: ut & quid daret, & quibus daret exactè adeò penſitare viſus ſit, ut hiſtrionibus atque in ſcena ſe exercentibus nihil aureum atq; argenteum, quin perrarò nummos dederit. Cùmq; deceat non modò dignis ſed iis etiam non petentibus ultrò beneficere: ſiquidem carè emitur, quod precibus obtinendum eſt: Alphonſus rex etiam ꝓvocabat, quos ſuâ dignos liberalitate putabat. Et Hadrianus Imp. ut fuit in conferendis munerib. magnificentiſſimus, ſic in delectu habẽdo prudentiſſimus: amicos, & quidẽ nõ petentes, locupletavit, petentib. nihil negavit. *Pontã. de liberal. c. 19. & 22.* Alexan. Severus Imp.

Imp. ſi quos ſciret (habebat enim deſcriptum cui quid præſtitiſſet) vel nihil petiiſſe, vel non multum, unde ſumtus ſuos augerent, vocabat eos & dicebat, Quid eſt, cur nihil petis? an me vis tibi fieri debitorem? pete ne privatus de me queraris. *Lamprid.* Archelaus Macedonum rex quodam, cui nihil pulchrum videbatur niſi accipere, ſuper cœnam aureum poculum poſcente, id Euripidi dari juſſit, & in alterum illum intuens, Tu quidem, inquit, ad petendum idoneus es, non ad accipiendum: ille autem ad accipiendum, etiam non petens. Rectiſſimè dandi ac donandi arbitrium judicio, non inepto pudori, deferens. *Plutarch. de vitioſ. pudor. & in Apophtheg.* In hoſpitalitate providentiam adhibuerunt Maſſilienſes, qui libenter quidem excipiebant hoſpites, nulli tamen intrare oppidum tum telo permittebant, ſed præſtò erat, qui id cuſtodiæ gratiâ acceptum exituro redderet: ut hoſpitia ſua quemadmodum advenientibus humana, ita ipſis quoq; tuta

tuta eſſent. *Valer. Max. lib. 2. cap. 6.* Lycurgus eos, qui Spartam nullius utilis negotii cauſa confluebant, urbe expulit, ne quid mali docerent. Homines enim peregrini peregrinos etiam ſecum adferunt ſermones: unde rurſus nova de rebus judicia oriuntur: ex quibus fieri non poteſt, quin affectus multi conſiliaq; naſcantur, quæ ab inſtituta Reipub. ratione (quæ conſonantiæ vocum inſtar habet) diſcrepent. Quamobrem majori curâ providendum cenſuit, ne malis moribus urbs, quàm ne extrinſecus irrepentibus corporibus morboſis, repleretur. *Plutarch. in eod.* Nam & Syracides autor prudentiſſimus vetat, ſine diſcrimine quemvis in ædes recipere, propter infinitam hominum calliditatem & improbitatem, ne turbis & periculis involvamur propter alios: *c. 11. v. 31. 36.* Idem in re obſervandum publica, eo maximè tempore, cùm inſidiæ metui poſſunt, contra quas hoſpitum ac peregrinorum perſcripta nomina & numerum Magiſtratus in urbi-

urbibus habeat & ſubducat: uno degere loco & hoſpitio, aut noctu egredi, ne illis permittat: ſuſpectos diligenter obſervet: ſine juſta cauſa commorari apud ſe diutius homines nullo jure Reipub. obligatos prohibeat: nihil intermittat quod ad peregrinorum fraudes cavendas & avertendas facere poſſit. In ipſos etiam Legatos Magiſtratui hoſpitii jus cautè exercendum, nec dubitandum, ſi Reipub. illi pernitiem moliantur, quin repelli, & delinquentes puniri poſſint. Magna quidem & inclita eſt legatorum authoritas apud omnes mortales, inquit Theodatus ad Juſtiniani legatos: verùm hac prærogativâ legationis tam diu fruuntur, quoad jus legationis honeſtatemque ſervaverint. *Procop. lib 1. bell. Goth.* Nec enim ſuum illi ignorare officium ut peregrini debent: nihil ſcilicet præter ſuum negotium agere, nihil de alieno inquirere, miniméque in aliena eſſe Repub. curioſum. *Cic. 1. offic.* Nam arcana alieni regni ſcrutari non convenit, neque hoc peregrinis conce-

concedendum. *l. mercatores. 4. C. de commerc.* Nec gentium jus defendere poterit, qui in id ipſum delinquunt. Tarentini obſides Romæ in atrio Libertatis cuſtoditi, cùm à Philea Tarentinorum legato, corruptis æditiuis, primis tenebris educti ſimul profugiſſent, manè vulgatâ per urbem fugâ, miſſi ſunt, qui comprehenſos retraxerunt, ſimulque omnes deducti in comitium & populo approbante virgis cæſi & de ſaxo præcipitati ſunt. *Livius decad. 3. lib. 5.* Demadem oratorem ambitioſum ac avarum cùm Athenienſes ad Antipatrum ægrotãtem miſiſſent legatum, Caſſander jam tum rerum potitus eum cum filio interemit, quòd antè contumelioſis in Antipatrum literis Antigono ad Imperium Græciæ Macedoniæque adſerendum autor ſuaſorque extitiſſet. *Plutarch. in Phocion.* Sadocus Sitalcæ filius (Herodotus Sitalcem Terei filium feciſſe hunc ſcribit *lib. 7.*) Lacedæmoniorum legatos, qui inter cęteros ejús quoq; patrem ab Atheniẽſium ſocie-

ſocietate abducere tentârant, vinctos Athenas miſit, ubi publico decreto interfecti ſunt. *Sabellic. lib.7. Ennead.3.* An igitur exiſtimas hanc legatis dari peccandi licentiam, ut quæcunque ſcelera in eo officio commiſerint, cùm omnibus hâc unâ lege decidant? ô nimium invidenda legatorum conditio, ſi legato & crimina & legem remittit! *Quintilian.declam.12.* Majori etiam judicio ac delectu jus civitatis peregrinis concedendum, ut ſi, juxta præceptum Ariſtotelis, quid boni proveniat ex illorum commixtione, civitas id bonum ſuſcipiat; ſin aliquid mali, cavendum per leges, quos oporteat vel non oporteat admiſcere. *7.polit.6.* In quo præter religionem, mores & artificium peregrinorum, prudens Magiſtratus etiam Reipub. ſuę formam & amplitudinem, temporum locique præſentem conditionem & circumſtantias penſitabit. Nec aliter Judæi in Repub. Chriſtiana tolerandi. Quamvis enim propter graviſſimam Apoſtolicam adhortationem

& de

& de celebri quadam, Judæorum ad Chriſtianiſmum futura converſione vaticinium in Epiſtola ad Romanos. *c.* *11.* (uti eum locum pleroſque maximi nominis Theologos intelligere video) illis nō eſt inſultandum & illorum abalienandi à nobis animi, quos allicere præſtabat, quibusque ut miſerrimis, ac infortunaſſimis à Deo propter incredulitatem ad tempus deſertis hominibus, condolere ſatius erat: eorum tamen interim improbitas, pértinacia, & avaritia tegenda ac promovenda nequaquam eſt, ſed blaſphemiis ac contumeliis in Chriſtum Jeſum Dei & Mariæ Virginis filium, ſcandalo, uſuris immodicis, ſeverè ipſis interdicendum: ut legibus & ſtatutis Reipub. vivant, cogendi: non privilegiis & immunitatib. aut honoribus & poteſtate publicà in Chriſtianorum capita armandi: ut hoſpites, peregrini, ac incolæ, quamdiu pacificè, modeſtè, ac honeſtè ſeſe gerunt, nec Chriſtianorum ſacra & religionem corrumpunt, execrantur, impedi-

pediunt, tolerandi, diligendi, tutandi. Denique Cleobulus unus è ſeptem ſapientibus, nõ tam amicos, quàm inimicos, beneficiis proſequi opòrtere docuit: hos qdẽ ut amicos, illos autẽ ut amiciores, reddamus. *Diog. in ejus vit. Suid.* Poſtremò in mutuo & ſponſionib. pro aliis idem Magiſtratui ſervãdum, quod in liberalitate; ne aut inimicos proprio ære ſibi comparet, aut in ſortis alienæ exſolutionem ſuccedat. *Syrach. c. 29. v. 1. ſeqq. v. 19. ſeqq.*

Quantitas autem benefactorũ, præſertim in largitionibus, ad libellam facultatum & vires Reipub. ita appendenda, ut Magiſtratus nec uni omnia, nec ultra ſuam ſortem donet, ut & aliis, ſi opus ſit, donare poſſit. Carolus Magnus Imperatpr nunquam uni plures ducatus præfecturasque conceſſit, dictitans, Sibi & alios demerendos, & beneficiis oppignorandos eſſe. *Avent. 4. Annal. Bojor.* Fridericus III. Imperat. quodam alia inſuper atq; alia, cùm plu-

ra jam impetrâſſet, petente, Si non facis, inquit, petendi finem, ego negãdi principium faciam. *Æne. Sylv. lib. 2. comment. in Panormit.* Phocion Athenienſibus congiarium poſtulantibus, Puderet me, inqt, vobis ſi largirer, & huic (demonſtrabat autem Calliclem creditorem ſuum) non perſolverẽ. *Plutarch. de vitioſ. pudor.* Simul etiam honeſtatem in donationib. Magiſtratuum Antigonus rex ſpectavit: cui, cùm ex amicis unus, qui patre coquo genitus dicebatur, conſuleret, ut impenſas & dona præcideret, Oratio tua, inquit, olet jus. *Plutarch. in Apophtheg.* Ita Alexander Magnus cùm daret integram civitatem cuidam dicenti, Non convenire civitatem humili fortunæ ſuæ, reſpondit, Nõ quæro, quid oporteat te accipere, ſed quid deceat me dare. *Seneca de benefic.* Perillo cuidam ſuorum amicorum dotem pro filia petenti quinquaginta dedit talenta: eo tamen dicente, Decem ſatis eſſe, Tibi, reſpõdit Alexander, accipere qđ ẽ ſatis eſt, at mihi dare nequaq̃.

Anaxarcho Philoſopho dare juſſit diſpenſatorem quantum poſtulaviſſet: ubi indicavit diſpenſator petere eum talenta centum: Rectè, inquit, facit, qui ſe habere amicum novit, qui tantum & poſſit donare & velit. *Plutarch. in Apophtheg.* Alexander itaq; Magnus Phocioni Athenienſi munus oblaturus centum argenti talenta mittet, quatuor Aſiæ civitates deſignabit, ex quibus unam pro libitu deligat, & poſſideat. *Ælian. lib. 1. var.* Parmenioni domum donabit, in qua ad cultum pertinentium veſtiarium mille talentûm inveniat: amicis aliis ſolidos principatus conferet: Satrapiam obtinenti aliam ſuperaddet: Poro Indorum regi ſupra regnum priſtinũ ditionem quindecim gẽtes, urbium memorabilium quinq; millia, pagorum ingẽtem numerum complectentem committet: aliam regionem triplam hujus, Philippo cuidã ex amicis gubernandam dabit. *Plutarch. in Alex.* At inferioris conditionis Magiſtratus qui eſt, ad ſimilem quandam adſur-

adſurgere beneficentiæ amplitudinem ſi velit, jactabundi ac profuſoris notam manifeſtam incurrat, ſeque & ſua citò peſſundet.

Concludamus igitur hunc de Magiſtratus beneficentia locum Bodini verbis & conſilio, qui nihil cuiquam denegare ſtatuit non eſſe hominis, qui liberalitatis aut magnificentię vim teneat, ſed prodigi ac imprudentis. Ego, inquit, principem non ſolùm liberalem, verùm etiam magnificum eſſe volo: eatenus tamen, ne in prodigum evadat: quia ex prodigo exactorem, ex hoc tyrannum fieri, & cùm ſua penitus eff- derit, aliena rapere ac donare neceſſe eſt. Leges beneficiorum jubent diligenter intueri, cui, quantum, quibus temporibus, quibusq; locis, & quem ad finem donatio fiat: ſed principem hoc amplius ſpectare oportet, ne ſint præmia donationibus poſteriora: ac priùs merenti debita reddat, quàm nihil merenti temerè largiatur: & utraque tum præmia tum beneficia ſuis opibus ac

facultatibus metiatur. Conſulit itaque principi; Ne multis multa importunè petentibus denegare cogatur, ut prudentiſſimos ſibique chariſſimos adjungat libellorum magiſtros, qui ſingulorum rogationes excipiãt, & eos, ſi quid contra decus contraque publicam utilitatem petant, à propoſito dimoveant: ne princeps tam recusâſſe, quàm quid ſit neſciſſe videatur, aut ſi tam illuſtris eſt, qui ſibi dari poſtulat, ne princeps ipſe imparatus offendatur, ſed ſeſe cõparet ad eum, qui rem iniquam petit, æquitate quadam refellendum, & cum bona gratia dimittendum. Qui verò impudentiùs petere non dubitant, cùm ſuas rogationes à prudente libellorum magiſtro expendi putabunt oportere, difficiliùs ad petendum accedent. *5. de Repub. 4.*

Virtutes Magiſtratus officioſas ad ſummam perfectionem perducit Amicitia: quæ animos in perpetuo amore ad mutuam benevolentiam arctiſſimè obligat & conſociat, Sicq; amicitia ſolo mentis

mentis generoſę impulſu ad alienam utilitatem ſingulari amoris nexu, & ſimul ad virtutes cæteras erga alios ſtudioſiùs exercendas, ultrò ſe adſtringit. Actuoſiſſima enim eſt amicitia, neque nudo otioſi amoris nodo conſtat, ſed benevolentiæ pariter officiorumque actionibus fervet, quibus illa tota accenditur, nutritur ac ſubſiſtit. Pręter communem igitur charitatem, quâ homo homini obligatus eſt, amicitia ſingulariter arctam perpetui amoris copulam animis injicit. Adhæc benevolentiam & officia noſtra exhibere aliis per virtutes antè propoſitas poſſumus, licet eadem viciſſim ab iiſdem non experiamur: amicitia verò ſimplicem illam reſpuit, & mutuam atque reciprocam benevolentiæ ac officiorum præſtationem, uti ſibi propriam, deſiderat: eò quòd amicitia non unius affectu, ſed animorum ac voluntatum reflexione, conſtet. Ita amicitia non promiſcuè, ſed certos duntaxat inter homines exercetur ac viget, nempè, qui ſeſe arctiſ-

ſimè pariter ac mutuò & perpetuò amant,colunt,ſovent.

Quia verò omnis amicitia vel ipsâ naturâ & ſanguinis cognatione, vel liberâ electione certoque judicio inter homines conciliatur: Magiſtratus illam quæ ex natura eſt & ſanguine, uti priorem, ipſisq; penitus inſitam & diffuſam venis atq; medullis, ita longè etiam intĕtiori ac teneriori affectu & veneratione cultam amplectetur; ardentiſſimam intimi amoris φιλοστοργίαν erga omnes ſibi ſanguine junctos, cōjugem, parentes, liberos, fratres, ſorores, cognatos, affines, geret: inprimis quos propinquiori cognationis vinculo conjunctiores natura fecit: non tantùm ut ab incorrupta genuini ſanguinis bonitate naturæque legibus ſe neutiquam alienum exhibeat, ſed etiam conſpirantium propinquorum mutuâ dilectione, tanquam muro inexpugnabili, undique circundatus, officium, quod in Repub. gerit, communiat, firmiſſimūque reddat. Eximium generoſæ mentis indi-

indicium ab hac φιλοστοργία petitur, quæ major etiam ac fortior in magnis ingeniis, minimumq́; à natura degenerantibus putatur. Quemadmodū enim corpus humanum tum optimè conſtitutū eſt, cùm ſanguis defecatiſſimus æquabiliter diffuſus acerrimum læſi membri dolorem momento ad partes defert, primò viciniores, deinde reliquas: ita cognati ſanguinis ſenſus acutiſſimus nō niſi puriſſimis atque integerrimis animis inſidet, qui nullum cōtra naturam vitium ſtuporemq; cōtraxerunt. Claudius Cæſar Ilienſibus, quaſi Romanæ gentis auctoribus, tributa in perpetuum remiſit, recitatâ vetere Epiſtolâ Græcâ Senatus populique Romani Seleuco regi amicitiam & ſocietatem ita demum pollicentis, ſi conſanguineos ſuos Ilienſes ab omni onere immunes præſtitiſſet. *Sueton.* Præponderantem hujus amoris vim in Pſammenito Ægyptiorum rege Herodotus *lib.* 3. deſcribit, qui à Cambyſe rege Perſarum captus, cùm filiam ſuam unà cum aliis

ancillari veſte ad hauriendam aquam mitti, mox filium aliosque ejusdem ætatis vinctis cervicibus & ore frenato ad mortem rapi videret, cæteris lamentantibus, ipſe immotus conſtitit, nec aliud niſi oculos ſubmiſit. At familiarem quendam mendicantem obambulare conſpicatus, ingenti fletu ſublato caput cæcidit. Quâ re cognitâ, cùm Cambyſes per nuntium ſciſcitaretur, Cur in liberorum calamitate tacitus, unius ſeniculi fortunam tam impotenter ferret? Domeſtica mala, inquit, graviora ſunt, quàm ut lacrimas recipiant: at amicus deplorari poterat. Alexander Magnus Antipatri ducis & familiaris ſui adverſus matrem Olympiadem (curioſiorem alioquin & acerbiorem fœminam) ſcriptas prolixas literas perlegens, Ignorare ipſum, dixit, ſexcentas epiſtolas unâ deleri matris lacrimulâ. *Plutarch. in Alexand.* De Pomponio Attico nobili Romano Cornelius nepos teſtatur, quòd cum matre nonagenaria, quam ipſe natus annos ſexaginta ſeptem

ſeptem extulit,nunquam in gratiam rediiſſet, neq; unquam cum ſorore, quam prope ęqualem habuit,fuiſſet in ſimultate. Hujus efficaciſſimæ amicitiæ ſtimulis actos magnos viros ſuis è familia illatam injuriam graviſſimè ultos, eorundem ſalutem, vitam, ac dignitatem acerrimè propugnâſſe hiſtoriæ multivariam oſtendunt: quòd non tantùm exiſtimationem & famam, ſed vitam etiam ſuam, in propinquo ſanguine lædi arbitrarentur. Abraham Patriarcha Lothum fratris ſui filium, David rex Judæorum deſignatus, ſuas uxores ab hoſtibus abductas, armis repetiit. *Geneſ. 14. v. 14. & ſeqq. 1. Samuel. 30.* Æneas dux Trojanus poſt Deos ſuos charius parente nihil habuit, quem humeris ſublatum Trojæ incendio Græcorumque enſibus eripuit. *Virgil. 2. Æneid.* Naturalis στοργὴ Crœſi regis filium loquendi uſu defectum ad protegendam patris incolumitatem miniſterio vocis inſtruxit. Captus enim à Cyro, cùm unus è numero Perſarum ignarus

viri in cædem Crœſi concitato ferretur impetu, velut oblitus, quid ſibi naſcenti fortuna denegâſſet, Ne Crœſum regem occideret, proclamando, penè jam impreſſum jugulo mucronem revocavit. *Valer. Max. lib. 5. c. 4. Gell. lib. 5. c. 9.* Auguſtus Cæſar, ut necem avunculi Julii Cæſaris vindicaret, actaq; tueretur, bella civilia quinque geſſit. *Sueton.* Et quorum verò opem & auxilium Magiſtratus in omni fortuna totâq; adminiſtratione publicâ ſperare ac polliceri ſibi promtius fideliusq; auſit, quàm eorum, cum quibus vitam ſuam communia mutui ſanguinis ac ſpiritus vincula conjunctiſſimè ac firmiſſimè innexuerunt: tum præſertim, ſi iſta naturæ neceſſitudo externis benevolentiæ officiis ſuffulta ſtabilimen à virtute accipiat: conſiliorum, opum, felicitatis noſtræ, participes conſanguinei ac cognati, humanitate, fide, manſuetudine, honore, beneficiis ad amandum provocentur. Cùm legatis audiendis aliquando vacaret Antigonus rex, ejus filius

lius Demetrius à venatione ſupervenit, utque jacula manu tenebat, ad patrem adiit, eumque oſculatus juxtà conſedit. Tum Antigonus, accepto reſpōſo jam diſcedentibus legatis, altâ voce, Hoc quoque, inquit, de nobis renunciate, ita nos invicem affectos eſſe: nimirum oſtendens, concordiam cum filio fidelem, robur eſſe regni & potentię documentum. Adeò impatiens conſortis eſt imperium, infidelitatisque & malevolentiæ plenum, ut gloriaretur potentià & ætate maximus ſucceſſorum Alexādri, quòd non metueret ſibi à filio, ſed eum ad ſe cum haſta venientem admitteret. *Plutarch. in Demetr.* Apollonidem Cyzicenam Eumenis regis ac trium præterea filiorum matrem ſe prædicàſſe ſubinde beatam, Diisque egiſſe gratias, ajunt, non propter divitias vel imperium, ſed quòd tres filios videret natu maximi eſſe ſatellites, eumque in medio ipſorum gladios haſtasq; ferentium absq; metu verſari. Cato fratrem Capionem ætate priorem à puero de-

eritis, ſin mali, imbecillum. *Saluſt. in Jugurth.* Hinc adeò amicitias reliquas inter magnates aut ſanguinis affinitate per conjugia, aut liberorum & aliorum ſanguine conjunctorum oppignoratione (quos obſides vocamus) tanquam arctiori copulâ, firmari ſolere, compertum eſt.

Amicitiæ naturali vicinus eſt Patriæ Amor, partim quia patria continere ſolet, quæ homini chariſſima ſunt, conjugem, parentes, liberos, amicos, unde omnes omnium charitates patria complecti, à Cicerone dicitur: partim quia ortum nobis dedit, & primùm in hanc lucem ejectos, quaſi ſinu excepit ac fovit. Cùm Architam Plato ad imperandi labores leniter ferēdos cohortatur, Hoc tibi reputandum eſt, inquit: nullum noſtrûm ſibi ſoli natum eſſe, ſed ortus noſtri partem ſibi patria vindicat, partem parentes, partem amici. *Epiſt. 9.* M. Attilius regulus, dux Romanorum, cum jurisjurandi religione patriæ amorem copulavit. Nam à Car-

thaginenſibus bello captus, Romamq; fide datâ miſſus, ut & pacem & captivorum permutationem impetraret, nõ tantùm ipſe Carthaginem ad exquiſitiſſimos cruciatus ſciens rediit, ſed pacem etiam captivorumq; permutationem Senatui diſſuaſit: cùm quòd hoſtes jam ad deſperationem redacti eſſent, tum quòd ſenilem ſuum effœtumque unius ſanguinem tanti non eſſe diceret, qui cum tot flore ætatis præſtantium hoſtium captivorum robore venire in æſtimationem debeat. *Cic. 1. & 3. offic.* Juſtitiam ſimul patriæq; amorem Junius Brutus Romanus conſul liberorum charitati antetulit. Eos namque proditionis adverſus patriam cõvictos ſuâ ipſe ſententiâ morti adjudicavit, & in ſuo populique conſpectu virgis cæſos, ſecuri percuti juſſit. *Livius lib. 2.* Eodem modo quo A. Fulvius vir ſenatorii ibidem ordinis, filium Catilinæ & aliorum adverſus patriam conjuratorum amicitiam & caſtra ſecutum in medio itinere abſtractum ſupplicio mortis

mortis affecit, præfatus, Non ſe Catilinæ illum adverſus patriam, ſed patriæ adverſus Catilinam genuiſſe. *Valerius Max. lib. 5. c. 8.* Ageſilaus Lacedæmonius quidquid ſibi gratiæ ab externis gentibus aut à civibus debebatur, id omne in patrię, quæ illi chariſſima fuit, uſum & ornamentum vertiſſe dicitur. Itaque cùm rex Perſarum de contrahenda amicitia legatos ad eum miſiſſet, reſpondit: Fieri non poſſe, ut ſua privatim amicitiâ frueretur. Si Lacedæmoniis communiter omnibus amicus fieret, ſe quoq; in amicitiæ jus venturum quandoquidem in omnibus etiam ipſe locum haberet. *Ælian. lib. 10. var. Plutarch. in Lacon.* Si vos, inquit in oratione quadam Cicero, quid patria delectat, Quirites, cujus eſt tantus amor, ut Ithacam vir præſtantiſſimus (Vlyſſem intelligit) nidulumque affixum ſaxis immortalitati prætulerit &c. Patrię amorem Ciceroni Octavius Cæſar adſcripſit. Lectis enim illius de officiis libris ad Sobrinum quendam ſuum, Do-

ctus, inquit, hic vir fuit, fili, doctus & patriæ amans. Epaminondas ex invidia à Thebanis, Dion à Syracuſanis, civibus ſuis, pro maximis beneficiis ignominiâ notati, vindictam patriæ amori condonârunt. *Prob. in Epamin. Diodor. lib. 16.* Ariſtides ille Juſtus dictus, poſt res pro patria maximas geſtas, cùm à civibus in exſilium mitteretur, ſublatis in cœlum manibus Deos comprecatus eſt: Sic res Athenienſium proſperarent, ne illis unquam Ariſtides veniret in mentẽ: Xerxe numeroſâ claſſe Græciam petente, quãvis exul, & cõſilio, & auxilio, Themiſtocli pro patria pugnanti adfuit, & grande momentum ad celebrem illam victoriam Salaminiã attulit. *Plutarch. in Ariſtid.* In quam ſententiam Fabius apud Silium Italicum:

Succenſere nefas patriæ: nec fœdior ulla
Culpa ſub extremas fertur mortalibus umbras.

Præter hanc congenitam amicitiam ab ipſa natura introductam, Magiſtra-

tus

tus ulterius ad illam ſe conferat, quæ Socialis appellatur & cum ſelectiſſimis ſociis jungitur voluntatum ac officiorum mutuâ & innoxiâ communione arctiſſimè copulata. Quod amicitiæ genus potens & validum, neque ulla ex parte ſanguinis viribus inferius. Hoc etiam certius & exploratius, quòd illud naſcẽdi ſors, fortuitum opus, hoc uniuscujusque ſolido judicio incoacta voluntas contrahit. *Valer. Max. lib. 4. c. 7.* Hęc amicitia inter Magiſtratus Rerump. facta propriè Fœdus & cõfœderatio eſt. Nõ fœdus ſeu cõfœderatio eſt amicitia ſocialis inter Magiſtratus diverſarũ Rerump. Arctiſſima igitur obligatio & amor, volũtatũ atq; officiorũ cõmunio inter cõfœderatos, uti amicos & ſocios, requiritur. Fit autẽ fœdus aut reſpectu ipſius perſonę Magiſtratus tãtùm, & ad Rempub. non porrigitur, aut fit nomine etiam Reipub. & ſoli Magiſtratus perſonæ non adhęret, monente Bodino 5. *de Repub.* 6. ubi exemplum adducit de Eduardo IV. Anglo-

rum

rum rege, qui regno exſutus, cum Francorum opes fœdere pactas imploraret, reſponſum tulit: cum Anglorum rege regnoque contractum eſſe fœdus, nec adverſus novum Angliæ regem regnúvè ſalvis fœderibus bellum geri poſſe. Deinde cùm fœdera inter diverſarum rerumpublicarum Magiſtratus fiant, intelligitur amicitiæ ac fœderum jus non ſubditos, ſed amicos ac ſocios facere, non Rerumpub. ac dominiorum diſtinctionem tollere, ſed diſtinctas inter ſe finibus ac Magiſtratibus Respub. mutuâ benevolentiâ & officiis conjungere. Populus enim non deſinit eſſe liber quamvis ſuperioris alicujus poteſtatem comiter obſervet, aut defenſorem ex fœdere adſumpſerit, *l. non dubito. 7. cum not. Dionyſ. Gothofr. D. de capti*, nec protectionis ac clientelę jus veros ſubditos efficit & jurisdictionem aut collectandi poteſtatem tribuit, neque clientes à proprii domini poteſtate eximit, quamvis eo nomine cenſus prębeatur. *Gail. 2. obſ. 54. Petr. Gregor. 11.*
de.

de Repub. 11. n. 6. Diſtinctæ autem Reſp. intelliguntur, non tantùm cùm Magiſtratus ſummos diſtinctos habent, ſed interdum etiam cùm ſub uno ſummo continentur: ejus tamen libertatis ſunt, ut ſalvo jure ſuperioris fædera inter ſe vel etiam cum aliis facere poſſint. Præſtabilem eſſe hanc ſcientiam in fœderibus, pactionibus, conditionibus, populorum, regum, exterarum nationum, in univerſo denique jure belli & pacis, Cicero pro Balbo affirmat: ac Romanorum potentiam fœderibus cum vicinis initis plurimùm creviſſe, ibid. diſſerit. Non eſt hoc aureum ſceptrum, inquit Cyrus ad filium, quod regnum ſervat, ſed amici multi ſceptrum ſunt regibus veriſſimum & tutiſſimum. *Xenoph. 8. Cyriped.* Sic Plato ad Dionyſium, Non auri, inquit, rariſſimi fulgor in miſera vita mortalium, non adamas, non menſæ argenteæ, quæ apud homines in precio habentur, ita oculis coruſcant, neque lati fundi, aut pinguia culta tantum valent ad vitam, quantum mens

mens bonorum virorum inter ſe conſentiẽtium. Verum enim, perpetuum, & locupletiſſimum ęrarium, amici. *Caſtellan. 1. de offic. regis 62.* Societates copiis ac reditibus adnumerantur. *Dio lib. 38.* Hæc optima ratio eſt communibus iisq; potentioribus hoſtibus occurrendi, & tum gloriam tum potentiam ſuam augendi. *Thucyd. lib. 1. in orat. Corcyr.* Veſpaſianus Imp. valdè circumſpectus, ex cujus ore nihil inſolens vel glorioſum exiit, in quo nihil tumidum, arrogans, aut in rebus novis novum fuit, & qui ſic ſibi animos aliorum obſequio conciliare potuit, ut ſibi tandem quoq; obſequentes redderet, Potentiam & pecunias eſſe nervos Imperii dixit, *teſte Dione.* Hinc Darius rex cùm aperuiſſet prægrãde malum Punicum & quidam ab eo ſciſcitaretur, Cujus rei tantum numerum habere optaret, quantus illic ineſſet granorum? reſpondit: Zopyrorum (Is vir bonus ac Dario fidus amicus) ſignificans, regi nihil prius aut charius eſſe debere & cui plus ſtudendum,

quàm

quàm probis ac fidis amicis plurimis. *Plutarch. in Apophtheg.* Alexander interrogatus, ubi theſauros haberet? amicos oſtendens, In his, inquit. *Maxim. ſerm. de amicit.*

Contrahitur fœdus regulariter à Magiſtratu non niſi ſummo: ſed & ab eo, cui hoc ſummus vel legitima ratio alia in repub. permiſerit. Nam ſi Magiſtratus ſummus contra officium Rempub. periculoſiſſimis bellorum temporibus deſerat, aut ipſe Reipub. libertatē hoſtiliter ac tyrannicè oppugnet, licebit tum Magiſtratui inferiori ad ſuam & Reipub. defenſionem amicitias, ſecundum leges Reipub. fundamentales, paciſci. Nonnunquam enim tanta Magiſtratuum etiam inferiorum libertas eſt ac poteſtas, ut vel inter ſe in eadem Repub. vel etiam cum aliis componere fœdera poſſint: dummodò ſummi Magiſtratus ſui majeſtatem ſemper excipiant, niſi contra ipſum directò Magiſtratum ſummum fœdus fieri opus ac jus ſit. In Romano Germanorum Imperio

perio Imperator cum Electorum conſenſu de rebus Imperii fœdera ſancit, Principibus verò, Illuſtribus, liberisque civitatib. Imperii, ad publicam pacem conſervandam ſuamque defenſionem legitimam, liberè cõtrahere fœdera licet. *Aur. bull. Carol. IV. tit. de confœderat. Specul. Saxon. lib. 2. art. 1. Mynſing. 6. obſ. 2. Sleidan. lib. 1.* Celeberrimum in hiſtoriis ſuperiorum temporum fœdus eſt in Germania Suevicum nuncupatum, quod longè quidem antè factum, ſed in annos undecim Anno à C.N. 1522. renovatum: cujus membra erant Carolus V. ut Auſtriæ princeps, poſt etiam Ferdinandus ejus frater, nuper Wirtembergici agri principatum adeptus, Item, Moguntinus, Palatinus, Salisburgẽſis, Bambergicus, Würciburgenſis, Aiſtedenſis, Auguſtanus, Epiſcopi, Gulielmus & Ludovicus fratres Bavariæ principes, Otho Henricus & Fridericus Palatini, fratres, Georgius Brandeburgicus & Albertus è fratre nepos, Philippus Haſſiæ
Land-

Landgravius, multi præterea viri nobiles & Eccleſiaſtici: dein Sueviæ civitates pleræq; omnes & in his etiam Noriberga. *Sleid. lib. 4. in fin.* Hoc ſecutum eſt fœdus Smalcaldicum ab Imperii principibus nonnullis ac civitatibus temporum articulo, tam propter religionem, quàm negotia Imperii alia, perturbatiſſimo, nō quidem offendendi quenquam ſed ſui defendendi cauſsâ initum Anno à C.N. 1530. & quinquennio pòſt repetitum. Eâdemque tempeſtate Argentinenſes cum Tigurinis, Bernatibus, & Baſileenſibus, & cùm his itidem, exceptis Bernatibus, Philippus Haſſiæ Landgravius, ad mutuam defenſionem fœdus fecerunt. *Sleidan. lib. 7. & 9* Cum Galliarum etiam rege Henrico II. Mauritium ducem Saxoniæ Electorem, Philippum Haſſorum Landgravium, & Albertum Marchionem Brandeburgicum Anno 1552. pro mutuo auxilio ac defenſione fœdus conſtituiſſe notum eſt. Nec obſcurum fœdus in Germania antiquiſſimum pariter ac

poten-

potentiſſimum inter Hanſaticas civitates. cui cohœret fœdus civitatum Vandalicarum. *Waremund. de Erenb. De fœder. c.* 2. Sic in Romana olim democratia fœdera cum hoſtibus, nō ducum belli arbitrio, ſed populi Senatusq; authoritate, pangebantur. Quare ſi qua fœdera duces belli confeciſſent, non priùs rata habebantur, quàm populus ac ſenatus eadem approbâſſet: ſed obſides ab imperatoribus dati vel capite luere vel hoſtibus ſervire cogebantur, aut ipſi etiam duces pro fœderis conditionibus dedebantur. *Bodin. 1. de Repub.* 10. Et conſequēter totum hoc fœderum feriendorum jus ac poteſtas ex cujusque Reipub. inſtitutis & libertate adſeritur.

Quos verò à Magiſtratu eligi confœderatos oporteat, ipſa confœderationis natura clarè arguit: quæ arctiſſimum illud perpetui amoris vinculum, illam ſingularem animorum ac voluntatum conſenſionem & ad mutua officia obligationem nequaquam communicari

nicari cum indignis, ſed cum optimis, & cum iis vult, quos morum ſimilitudo, pietatis ac religionis ſtudia eadem nobis ſolidiſſimè conjungunt. Quemadmodum enim in amicitia naturali, in quam ferè incidimus potiùs, quàm libero judicio concedimus, amoris illud vinculum ſanguine & affectione congenitâ conſtat: ita amicitia hæc ſocialis cùm ſolâ electione perficiatur, vim ſuam ab ingeniorum inter ſocios conformitate accipit. Sint, inquit Thucydydes, confœderati ſocii, tam animis & voluntate, quàm apparatu & viribus pares. *lib.3.in orat. Mityl.* In vita hominum privata facilimè eos congregari & ſtabilem colere amicitiā videmus, quos generis, ætatis, opum, morum ac ſtudiorum ſimilitudo conjunxit. Et inter Reſpub. quæ eâdem imperii formâ gubernantur, inſtitutis, linguâ, potentiâ, vivendi modo, quàm maximè ſibi correſpondent, ſolida ſperari ac durabilia fœdera poſſunt. Nec diſtantię locorum, cœli ac religionis conſideratio hic contemnen-

temnenda eſt: cùm & vicini mutua ſibi prçſtare officia poſſint faciliùs, & cognata cœli indoles ingeniorũ inter populos conſenſum aut diſſenſum quendam naturalem ingenerare ſuo influxu ſoleat. *Bodin. 5. de Repub. 1. P. Gregor. 4. de Repub. 4. n. 2. & ſeqq. Alex. ab Alex. lib. 4. c. 13. Ariſtot. in Rhet. ad Alex. c. ult.* Quò referẽda familiarum etiam ſingularum inſpectio, genealogiarum notitiâ adjuta: quòd ut virtutes, ita familiarum ferè etiam vitia quaſi hæreditaria deprehenduntur. Apud Romanos ambitioſos fuiſſe Appios, populares Valerios, conſtantes Brutos, patriæ amantes Fabios, ambitioſos & bellicoſos Scipiones, ſuperbos Claudios, hilares Lælios, obſervatum. Religionis prætererea ejusdem in conglutinandis animis incredibile robur: quam ſynceram qui amplexi, cœleſtem benedictionem infallibili divinarum promiſſionum conſtantiâ decretam, quocunq; incedunt, ſecum circumferunt. *1. Timoth. 4. v. 8. tot. Pſal. 1. 26. 124. 145. 127.*

127. Et ſi qua in re aliâ in pietatis certè ſtudiis ſimilibus, exempli magna inter amicos efficacia. *Proverb. 13. v. 20.* ut licet fœdera hæc ſocialia nullam conſenſus in religione conditionem includant, ſed intra nudos pacis & officiorum merè civilium terminos cōſiſtant, illa tamen feliciſſima, tutiſſima & conſtantiſſima ſperētur eorum, qui eodem veræ religionis ac pietatis ſenſu ducuntur. Sæpenumerò verò caſus & commune periculum accuratiorem hanc electionis curam ſpernit, ſed vincit neceſſitatis lex voluntatem: ut quos non junxiſſet incoacta judicii libertas, ſæpè jungat ſuperans neceſſitas, cùm ſcilicet aut minores ſuam fulcire imbecillitatem potentiorum ſubſidiis adverſus incumbentes injurias coguntur, aut vicini ruinâ te quoque ipſum tractura eſt. Quòd ſi igitur caſus, tum etiam ſocietati & amicitiis illorum Magiſtratum implicaverit, qui à religionis puritate alieni ſunt: nunquam tamen quidquam de religione amicitiæ cauſsâ conceden-

dum, nec animi fiducia ulla magna in infida & inopi Deiq; ope destitutâ tali ope ponenda, *Geneſ. 14. v. 13. & ult. c. 21. v. 27. c. 26. v. 29. 30. 31. Joſuæ 9. v. 15. 16. 1 Reg. 5. 2. Chronic. 2. 1. Maccab. c. 8. 10 12. 14. 15.* Livii pronunciatum eſt: Semper ſunt eligendi, vel iis adhærendum, qui plurimùm in bello, non ſaltem prodeſſe, ſed inimici nocere quoque poſſunt *lib. 8. decad. 1.* Secundum Tacitum, cùm inter diſſidentes aut ſocium alterum aut habere hoſtem neceſſe eſt, ſocietas alterius palàm induenda, ad alterum per occulta & fida magis inclinandum. *12. annal.* Ad præſentem rerum cōditionem ſeſe adtemperans Ariſtænus Achæorum Prætor, cùm Romani amicitiam expeterent, at Philippus rex Macedo ſaltem ne armis intereſſent, poſtularet, oratione prudentiſſimâ ad ſuos habitâ oſtendit: Romanos, hoc temporis & hoc rerum ſtatu, aut ſocios habendos, aut hoſtes: mediam viam nullam eſſe. *Livius lib. 2. decad. 4.* Quòd cives Thaleti Mileſio fœdus

dus cum rege Lydorum Crœſo diſſuadenti obtemperâſſent, ſalutem Reip. Mileſiorum peperit, Cyro poſt Crœſum devictum ſocios illius perſequente, *Laërt. in Thalet.* Alphonſus Aragonius, cùm in agro Matritienſi ſecum convenire ipſe non poſſet, utrum Franciſcum Sforciam an Nicolaum Picininum in amicitiã & ſocietatem admitteret, (erat autem alterum duntaxat propter illorum inter ſe ſimultates admiſſurus) Matricienſibus legatis, utri gratulari deberent? quęrẽtibus: utrumque tanquam amicum habendum, ab utroque itidem tanquam inimico cavendum eſſe, prudenter reſpondit, *Panormit.* Arguta fuit, ſi vera, duorum fratrum Thraciæ Regulorum ſimulatio, qui periculoſiſſimo bello inter Octavium Auguſtum & Julii Cæſaris interfectores orto, cùm inteſtinâ diſcordiâ laborarent, aut ſaltem laborare ſe fingerent, in partes contrarias ſciſſi, utrumque hoſtem oppoſitis armis juvârunt. Sic ab alterutro victore, alter al-

teri impunitatem ob merita facilè impetravit, ut neuter præda victoris eſſet. *Sabellic. lib. 8. Enne. 6.* At ſi alterutrius diffidentiũ amicitia Magiſtratui omninò ſequenda eſt, ei ſe adjunget, à quo ſtare cauſæ bonitas & juſtitia videbitur, aut ſi hoc non apparet, parti tutiori.

Etſi autem fœdus regulariter conſtituatur, ut mutua officia virtutib. quas dixi, officioſis præſtentur, ſine quibus ne amicitia quidem ulla fuerit, ſed concordia ſaltem & pax: vix tamen eſt ut generali quorumvis officiorũ jure fœdera fiant, ſed factis ac conditionibus multivariam concipiuntur. In hominum namque animis inſita regnandi libido in hiſce amicitiis publicis non ſinit officiorum magnitudine & frequẽtiâ paulò plus ſuis detrahi virib. ac potentiæ, nec grata etiam habet & recipit citra ſuſpicionem ingentia officia, dum quiſque metuit, ne continuâ ſummâq; officiorum concertatione penitus recluſæ ac perſpectæ regni opes ac nervi

perſi-

perfidiæ libidine ac magiſterio amicum imbuant. Diffidentia itaq; animorumque inſuper & ſtudiorum diſſimilitudo modum officiis in fœderum obligatione primùm impoſuit, nec parùm illa ſeduxit à veræ amicitiæ natura, inq; contractus ferè coëgit, quibus officia quaſi ad menſuram certam & neceſſitatem quandam exiguntur: quo majori etiam curâ hæ qualescunque amicitiæ inter Reſpub. cuſtodiendæ, & ad ſummum amoris gradum paullatim reducendæ ſunt. Eſt verò ea fœderum & officiorum conventio inter amicos vel æquali ultrò citroque lege concluſa; vel ab aliqua parte inæqualis & impar. Qua ratione infirmiorum & potentiorum fœdera ferè ſemper ſunt imparia, potentiorum officiis infirmiorum tenuitem excedentibus, aut horum viribus ad illorum facultatem æquâ lance demenſis. Ita ergò non Rerumpub. dignitate ſed officiorum pactorum quantitate fœderum æqualitas aut inæqualitas diſcernenda fuerit: nec dignitatis ac

majeſtatis, ſed humilitatis & reverentiæ certamen inter confœderatos inſtituendum. Nam & dignitas major ac honeſtas ex Reipub. vetuſtate aut potentiâ majori rebusve geſtis per ſe exiſtit: quanquam haud ignorem hanc obſervantiæ legem fœderibus nonnunquam etiam expreſsè includi. Verumenimverò harum conditionum & officiorum formula ac modus inter confœderatos juxta negotii, ſuper quo fœdus contrahitur, cæterasq; circumſtantias omnes concipiendus atque deſcribendus eſt, & in his veterum inprimis veſtigia & prudentiæ documenta, ex hiſtoriarum exemplis legenda atq; obſervanda. Illuſtriores amicitiarum inter Reſpub. ſeu conditiones, ſeu modi ſpeciales ſunt Confraternitas & Clientela. Quarũ illa ita conſtitui inter principes ſolet, ut alterius familiâ deficiente alter in ejus locum ſuccedat, qualis eſſe confraternitas traditur Saxoniæ & Haſſiæ principum, Marchiæ, Pomeraniæ, Megapolenſium, Saxoniæ & Henneber-

rebergenſium. *Waremund. de Erenb. de fœder. c. 2. & 4.* Clientela verò eſt, cum Reſpub. in alterius Reipub. tutelam ac patrocinium ſe committit. Quo nomine plerunque etiam precium conſtitui ſolet. *Gail. 2. obſ. 54. Petr. Frider. lib. 2. de mandat. c. 14. Bodin. 1. de Repub. 9.*

Ac tametſi vera amicitia nullo neq; loci neque temporis ſpatio circumſcribi ſeſe patiatur, cùm odia mortalia, amicitias autem eſſe immortales oporteat: non tantùm inter naturaliter conjunctos, quorum ut cum ſanguine orta eſt, ita cum eodem finienda amicitia: verùm etiam inter ſocios non caſu aliquo oblatos, ſed conſtanti judicio ſelectos, qui moribus ſtudiis ac religione ſibi quàm ſimillimi ſunt: ut nulla eſſe cauſſa poſſit, cur talis amicitiæ nexus ullò tempore iterum diſtrahatur: quia tamen amicitiæ ſociales inter Reſpub. vix ſunt undiquaque perfectæ ſed plerunque inter diſſimiles moribus & religione, officiis inſuper inæquales, diſcrepantes rebus aliis, contrahuntur,

hęc etiam temporis conditio, quamdiu durare ac ſervari illæ debeant, adjici cepit. In conſociandis itaque principibus ac populis, nihil periculoſius Bodinus *5. de Repub. 6.* prudenter ſtatuit, quàm ſi fœdera ſint perpetua, quàm primum deſitura, niſi propter brevioris temporis intervallum ſpe exitus certi præfixâ utcunque ſuſtineantur, & relinquatur occaſio, ut ſi quid opus videatur, iis detrahi vel addi poſſit. Aliàs etiam humani ingenii memoria ac imbecillitas ſubinde renovationem amicitiæ deſiderat, ne temporis diuturnitate ac reticentiâ refrigeſcat & paulatim intermoriatur. Generatim in hac amicitia ſociali facienda ad omnes ſimul circumſtantias attenta mentis acies ſemper dirigenda eſt: fœderum percutiendorum jus ex cujusque Reipub. poteſtate æſtimandum: illud tenendum Polybii, ut, qui in publicarum adminiſtratione rerum verſantur, diligenter & exactiſſimo judicio perſpiciant, ne eos lateat animus eorum, cum quibus vel junguntur fœ-
dere,

dere, vel pace conciliantur. *lib.3.* perpendendum quanta vis in Repub. temporum ſit, quãta varietas rerum, quàm incerti exitus, quàm flexibiles hominum voluntates, quid inſidiarum, quid vanitatis in vita. *Cic. 2. ep. famil. 6. ad* ſummam omnes fœderum conditiones atque pacta inſtituẽda ſunt ita, ut, quod prudentiæ proprium eſt, in contingentibus, quod honeſtum & utile eſt, accuratè eligatur.

Solent verò etiam ad fœderum & amicitiæ fidem atque conſtantiam matrimonia inter confœderatos jungi, aut obſides dari, frequentiſſimè verò jusjurandum interponi, tum ritus quidam adhiberi. Apud Romanos Fecialis poſtquam leges conventas pro fœdere recitâſſet, Jovis numine ſolenni voto verbisque conceptis invocato, porcum ſilice percutiebat, interdum lapidẽ ſimpliciter manu dejiciebat, & ſic periret atque intercideret precabatur quicunq; prior legibus pactis deficeret: fœderis autem conditiones columnâ æneâ in-

ſcribebantur. *Livius lib. 1. Polyb. lib. 3.* Vandali lapidem in mare conjiciebant, arbitrantes fœderis violatorem ita periturum. *Crantz. lib. 5. Vandal.* Ariſtides fœdus cum omni Græcia firmaturus accenſos ferreos orbes in mare projecit, juramento addito, ut eo pacto omnes extinguerentur cum omni ſtirpe & gente, qui contra fœdus facerent. *Alex. ab Alex. lib. 5. c. 3.* Fœdere inter Carolum Magnum & Achajum Scotorum Regem, ad reprimendas Anglorum piratarum in Gallicum & Germanicum mare incurſiones, inito, Achajus in rei memoriam rubenti Leoni, aureo ſtamine depicto, Scotis Principibus inſigni duplicem tractum (ut dicunt) contrapoſitis liliis conſitum addidit: ſignificans, Francorũ opibus Leonem exinde muniendum: ac Scotorum Reges, pro patria & libertate, pro relligione & innocentiâ, acriter hoſtem feriendo, quæ fecialium judicio liliis ritè deſignantur, Francis perpetuò conſentiẽtes, egregiè dimicaturos. *H. Boëth. li. 10.*
Corne-

Cornelius Tacitus cùm de fœdere inter Rhadamiſtum Hyberorum Regis filium & Mithradatem Armeniorum Regem agit: Mos, inquit, eſt Regibus, quoties in ſocietatē coëant, implicare dextras, pollicesque inter ſe vincire, nodoque præſtringere. Mox ubi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſacratum. 12. *Annal.* De Lydiis & Medis Herodotus, Hę gentes, inquit, fœdera ineunt, cùm cætera ritu Græcorum, tum feriendo brachia, quà illa humeris connectuntur, ac mutuum ſanguinem delingendo. *lib.* 1. Corporis ac ſanguinis Chriſti in ſacrâ cœnâ participatione confirmata fuit pax & amicitia publica inter Henricum IV. Imp. & Paſchalem Rom. Pontificem. *Sigebert. Vid. Alex. ab Alex. d. lib. 5. c. 3.*

Sic animorum atque officiorum in negotiis tātùm civilibus inter Reſpub. ac Magiſtratus communicationem amicitia ſocialis expoſuit; cui ulterius

Fraternitas Christiana ſummum in omnibus Religionis Chriſtianæ capitibus conſenſum adjicit, & propè ad divini amoris integritatem producit hoc amicitiæ filum. Nam ut Deus ſimpliciſſimè unus & ipſa charitas eſt, ita quidquid in hac ſumma unitate atque charitate Deo conjungitur, non poteſt non eſſe arctiſſimâ flagrantiſſimi amoris copulâ innexum. Nec quidquam etiam diſcrepans & ſeparatum in univerſo religionis Chriſtianę corpore deprehenditur: ſed communi omnibus & ſingulis Chriſtianis propoſitâ viâ, ad eadem communia omnibus & ſingulis bona acceſſus datur: Unum Dei verbum, una fides in Servatore unico, Baptiſmus unus, una Domini cœna, una ſalus & vitæ æternæ hæreditas: ab uno denique, per unum, ad unum omnia. Divinorum hiſce myſteriorum veluti funiculis, ad perfectam in religione cō-ſenſionem trahimur omnes Chriſtiani, ut ſit congregationis fidelium, cor unum & anima una. Tum verò unio iſta

& fra-

& fraternitas Chriſtiana longè maximè ſplendidiſſima eſt & fructuoſiſſima: cùm potentes in terra & rectores populorum ejusdem veræ religionis ſtudio ducuntur, & in hoc ſine cõtroverſia cõſentiunt. Cujusmodi exemplum obſervatum eſt in repetita illa Auguſtana confeſſione ejusq; Apologia Carolo V. Imp. Anno 1530. in comitiis Auguſtę celebratis à Proteſtantibus (uti vocabãtur) Principibus, & quibusdam aliis Imperii ordinibus, primùm oblata & tradita. Cùm enim publicum hoc fidei ac religionis Evangelicę ſymbolum ſubrepentibus clàm erroribus in diſceptationem & dubium adduceretur, ejusdem non modò repetitio, ſed neceſſaria etiam articulorum controverſorum explicatio preſſior magno conſenſu ac nomine multorum Imperii ſtatuum facta & in lucem emiſſa publicam fuit: ut eſſet pariter conſtantis in religione olim approbatâ perſeverantiæ & fraterni conſenſus atque amicitiæ perpetuum teſtimonium: unde & Formulæ Concordię appellationem accepit.

Sed quæ eſt illa benevolentia, quę officia, ad quæ præſtanda amicos ſibi mutuò obligari dicimus? omnium virtutum antè expoſitarum, quibus noſtram erga alios benevolentiam & officia exſerimus, ſcopus quidam & ampliſſima officina eſt amicitia, quò & virtutes illę collineant, & ubi conſiſtunt atque exercentur. Ad amicitiam in primis ſocialem, per ſimplices primò ac breviores humanitatis, modeſtiæ, veracitatis atq; concordiæ ſemitas, tum per clivos paulò operoſiores humilitatis, miſericordiæ, ac denique beneficentiæ, proceditur; nec ad hanc amicitiæ arcem, niſi per iſtam virtutum ſeriem, aditus patet, ut fruſtra elaborent, quicunque modis aliis ſeſe ingerere feliciter & ſubſiſtere hìc diu poſſe ſperant. Proximum verò & ſupremum ad amicitiam gradum aperire & tenere beneficentia, & hujus ſpecies hoſpitalitas videtur: quòd officium longè ſit præſtantiſſimum, nō tantùm in bonorum & opum per liberalitatem, verùm ad ejuſdem quoq; tecti, ejus-

ejuſdemq; menſæ communionem per hoſpitalitatem quem admittere. Hinc Athenæus priſcorum conſuetudinem cùm laudat, qui hoſpites largè epuloq; ſumtuoſiore accipiebant, δοκεῖ γὰρ, inquit, ἔχειν πρὸς φιλίαν τι ὁ οἶνος ἑλκυστικὸν παραθερμαίνων τὴν ψυχὴν καὶ διαχέων, victum & cõvictum ſentiés, multum adjuvare amicitiæ initia, tum eandem confirmare. *lib.* 5. Amicos enim neque armis cogere, neque auro parare queas: officio & fide parantur. *Salluſt. in Jugurth.* Sic enim naturâ comparatum eſt, qui recens in amicitiam venerunt, non infortunio, ſed beneficiis decenter adfecti, ſervare fidem conſueverunt. *Procul. de bell. Goth.* Appoſitè Antalcidas Rex, qui interrogatus, Quo ſibi pacto quis facere amicos poſſet? reſpondit: Si loquatur illis jucundiſſima, præſtet autem utiliſſima. *Plutarch. in Apophth. Lacon.* Benevolentię & amicitię inter Pelopidam & Epaminondam, quam ab ineunte ætate per tot certamina, imperia, actionesq; in Rep. inculpatam ad finem usq;

con-

cõſervârunt, cauſſam fuiſſe Plutarchus *in vit. Pelopid.* tradit, veram animi virtutem, propter quam, cùm in rebus gerendis neq; gloriam neque divitias quęrerent, ſed initio amore quodam divino correpti patriam ſuâ operâ ad ſummas opes ac ſplendorem erectam videndi, communia ſua inter ſe præclara facinora habuerunt. Plerique cenſent eam tam arctam ipſorum amicitiam prælio ad Mantineam natam, in quo unà in peditum acie conſtituti mutuam ſibi opem ac defenſionem adverſus hoſtes pręſtiterunt. Namertes legatus miſſus, cùm ejus loci quidã beatum ipſum prædicaret, quòd multos haberet amicos, quæſivit, An exploratum haberet, quâ ratione, multos amicos habere ſe quis ſciret? Deſideranti id diſcere alteri; Adverſa, inquit, fortuna. *Plutarch. in Lacon. Apophth.* Sinceræ enim fidei amici, pręcipuè in adverſis rebus, cognoſcuntur: in quibus quidquid præſtatur, totum à conſtanti benevolentiâ proficiſcitur. Felicitatis cultus majore ex

parte

parte adulationi quàm charitati erogatus, certè ſuſpectꝰ eſt: perinde ac ſi plus ſemper petat, quàm impendat. Accedit huc, quòd infractæ fortunæ homines magis amicorum ſtudia deſiderant, vel pręſidii vel ſolatii cauſâ. Nam lęta quidem & proſpera negotia, utpote cùm divinâ ſuffragatione foveantur, humanâ minus indigent. Tenaciùs igitur eorum nomina poſteritatis memoria apprehendit, qui adverſos amicorum caſus non deſeruerunt, quàm qui proſperum vitæ curſum comitati ſunt. *Valer. Max. lib. 4. c. 7.* Denique in hac etiam parte optima rerum gerendarum documenta facilè nobis oſtendunt uniuscujusq; rationes, conſilia, machinationes: & quid nobis gratiam, opes, beneficium, pacem parare, quid quenquam adverſus nos movere, quid ad miſericordiam, quid ad juſtitiam & æquitatem impellere poſſit. *Polyb. lib. 3.* Mutuum igitur cõſilium, opem, & auxilium, omnia humanitatis miſericordię ac beneficentiæ officia, ſibi debent amici, & ita

ita debent, ut ad hęc peculiariter etiam obligatos ſe agnoſcant. Nęc tamē ultra veram benevolentiam ultraque officia honeſta ac poſſibilia quidquā ab amico poſtulandum aut præſtandum. Rectè Phocion Antipatri petēti, ut in gratiam ſuam faceret quiddam pugnās cum juſtitia, Nō potes, inquit, Phocione ſimul & amico & adulatore uti. Amicus obſecundat, quousq; patitur æquū & honeſtū, nec aliud petere amicus ab amico debet: adulator autē ad quidvis obſequitur. *Plutarch. in Apophtheg.* Hinc Cato quendam ab amico, qui eum reprehenderat, abalienâſſe animū intelligēs, Noli, inquit, indignari amico: apem enim propter aculeum nō odiſti, ſed foves & tueris propter fructum. Cur igitur amici objurgationem fers adeò iniquè, quam propter benevolentiam plurimum amare debebas? *Maxim. ſerm. 6.* Veros amicitiæ limites Pericles deſignavit, qui amico roganti, ut pro ſe falſum diceret teſtimonium δεῖ με, inquit, συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι θεῶν: usque

ad

ad aras amicum ſe fore declarans. *Plutarch.in Apophtheg. Gell. lib. 1. c. 3.* Ita P. Rutilius cùm amici cujusdam injuſtæ rogationi reſiſteret, atq; is per ſummam indignationem dixiſſet, Quid ergò mihi opus eſt tuâ amicitiâ, ſi quod rogo non facis? reſpondit: Imò quid mihi tuâ, ſi propter te aliquid inhoneſtè facturus ſum? *Valer. Max. lib. 6. c. 4.* Prudētiſſimè Auguſtus Cęſar amicitias neque facilè admiſit & conſtantiſſimè retinuit: nō tantùm virtutes & merita cujusq; dignè proſecutus, ſed vitia quoq; & delicta duntaxat modica perpeſſus. Neq; enim temerè ex omni numero in amicitia ejus afflicti reperientur, prętet duos quos ex infima fortuna ad ſummos honores provexerat: quorum alterum res novas molientē damnandū ſenatui tradidit: alteri ob ingratū & malevolū animū domo & provinciis ſuis interdixit. Sed alio quoq; & accuſatorū denunciationib. & ſenatusconſultis ad necem cōpulſo, laudavit quidem pietatem tantoperè pro ſe indignantium; cæ-

terùm

terùm illacrimavit & vicem ſuam conqueſtus eſt, Quòd ſibi ſoli non liceret amicis, quatenus vellet, iraſci. Reliqui potẽtiâ atq; opib. ad finẽ vitæ ſui quiſq; ordinis principes floruerunt: quanq̃ & offenſis intervenientibus. Deſideravit enim in aliis patientiam, in aliis taciturnitatẽ. Exegit & ipſe invicem ab amicis benevolentiã mutuam, tam à defunctis, quàm à vivis. Nam q̃vis minimè appeteret hæreditates, ut qui nunq̃ ex ignoti teſtamento capere quidq̃ ſuſtinuerit: amicorum tamen ſuprema judicia moroſiſſimè penſitavit: neq; dolore diſſimulato, ſi parciùs aut citra honorem verborũ, neq; gaudio, ſi gratè pieq; quis proſecutus fuiſſet. Legata vel partes hęreditatiũ à quibuscũq; parentibus relicta ſibi, aut ſtatim liberis eorum concedere, aut ſi pupillari ętate eſſent, die virilis togæ, vel nuptiarũ, cum incremẽto reſtituere cõſueverat. Amicos tamẽ ita magnos & potentes in civitate eſſe voluit, ut pari jure eſſent quo cæteri, legibusq; judiciariis ęquè tenerẽtur. *Sueton.*

DE

DE GRATITUDINE ET JUſticia Magiſtratus.

CAP. XXV.

AB illo virtutum erga alios ſtadio, in quo ſola generoſi animi ſponte ſuâ excitata indoles hactenus vitam magiſtratus exercuit, ad ultimam nunc tranſeundum eſt virtutum erga alias regionem, in quâ gratitudo & juſtitia id cuique, quod factis ſuis eſt meritus, æquâ lãce rependunt, atque adeò non merè liberum atq; ultroneum duntaxat faciendi arbitrium, ſed quaſi quandam neceſſitatem continent; dum ad facta cujuſque antegreſſa perpetuò reſpiciunt ac acferuntur, quorum æſtimationem & recompenſationem inſtituunt. Has virtutes mirificè commendant Rerump. moderatoribus ſapientes, cùm & Divinæ gubernationis hæc ſit regula, ut bonis bene, malis malè ſit, *Rom.* 2. *v.* 6. 7. 2. *Theſſalon*, 1. *v.* 6. Duo eſſe virtutis elementa Plutarchus docuit; ſpem honoris & metũ pœnæ: quos illa incitatiores ad pulcerrima ſtudia, hoc ſegniores ad

vitia reddamur. *De educ. liber.* Beneficētiâ honore & pœnâ vitā humanā conſervari Theophraſtus perſpexit. *Stob. ſerm.* 41. Maximos rerum humanarum Deos appellavit Democritus, Beneficium & Pœnam. *Plin. 2 de natur. hiſt.* 7. Solon Reſpublicas tum vigere reſpondit, ſi boni ad virtutem præmiis incitentur: mali autē ac virtutum negligentes coërceātur pœnis. *Cic. ad Brut.* Civitatem optimā eſſe Pythagoras dixit, quæ poſtquam malos pœnis coercuit, viros tantùm bonos admittit. *Stob. d. ſerm.* 41. Duabus hiſce potiſſimum rebus contineri Rempub. Lycurgus affirmavit, Præmio ſcilicet & Pœnâ. *Cic. in Ep. ad Brut.* Probavit Rēpub. Lyſander, in quâ fortibus viris & meticuloſis, cōgrua utriſq; redderentur. *Plut. in Lacon. Demoſth. in Leptine.* Cicero legibus præmia propoſita eſſe virtutibus, & ſupplicia vitiis: verum, juſtum atque honeſtùm laborem, honoribus, præmiis ac ſplendore, decorari; vitia autem hominum atque fraudes, damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exſiliis, morte mulctari, aſſerit. 1. *de Orat.* Illā domū aut

Remp.

Remp. ratione quadam & diſciplinâ deſignatam videri negat, ſi in ea nec rectè factis præmia extent ulla, nec ſupplicia peccatis. 3. *&* 5. *de Nat. Deor.*

Iſtud præmiorum in Repub. præceptũ GRATITUDO magiſtratui proponit, quæ beneficia accepta agnoſcere, & lege talionis viciſſim pro viribus benefacere jubet. Idq; non privatim modò ſed & in Rep. non immeritò primũ, auguſtiſſimum, & præcipuum officium eſſe Plato docet, ut ſcilicet perſolvantur debita illis, qui benè de nobis ſunt meriti. 4. *de L L.* & optimũ firmiſſimumq; imperium eſt, quod beneficiis, non ſuppliciis, ſubditos in officio continet. *Dion.* Nihil non aggreſſuros homines Livius ait, ſi magna conatis magna præmia proponãtur: magni animi magnis honoribus fiũt, *lib. 4. Decad.* 1. Hinc Claudianus in laudibus Stiliconis *Paneg.* 2.

Egregios, inquit, invitãt præmia mores.
Nam ut frugum copiam bona temperies ac tenuitas aeris gignit: ita artium & bonorũ ingeniorũ incrementa benignitas, honor & hũanitas Regis efficit. *Plut.* O-

rat. 2. de Alexād. fortun. Scimus, ait Symmachus, artes honore nutriri atque hoc ſpecimem eſſe florentis Reipublicæ, ſi diſciplinarum profeſſoribus præmia opulenta pendantur. Atque ubi virtutib. ſua ſunt præmia propoſita, ibi etiam ad gubernacula optimi viri promoventur: quiſque animo optimo ad ea in Repub. accedit, quæ præmia habere ſua videt: *Thucyd. lib.* 1. Paucos repertos oſtendit Cicero, qui nullis præmiis propoſitis vitam ſuam hoſtium telis objicerent. *pro C. Rabir.* Nec Poëta falſus vates:

Ipſe decor recti facti ſi præmia deſint,
Nil movet, & gratis pœnitet eſſe probum.

Ovid. 2. de Ponto, Eleg. 3.

Honeſta igitur facta ad rei præſertim publicæ utilitatem perpetrata, publicâ gratitudinis compēſatione remetiri magiſtratū oportet; ſed in quo ante omnia ſuam ipſius conditionem expendet. Quamvis enim regulariter omnia publicæ gratitudinis ornamenta ſum initium & proprium decus à magiſtratu cujuſq; Reipublicæ ſummo ducunt, cujus nūtu & auſpi-

& auſpiciis, ut omnia in Rep. munia & actiones, ita harum quoq; præmia diriguntur: eorum tamē interdum poteſtas in ſummo magiſtratu coarctata, interdū etiam tributa magiſtratibus inferioribus reperitur: quod omne in cujuſque Reip. naturâ & legibus poſitum eſt. Duodecim Tabularum lex Romæ erat: Privilegia niſi comitiis centuriatis ne irrogāto; qui ſecus faxit capital eſto *Cic. pro domo.* Magiſtratus itaq; & triumphos pop. Romanus benemeritis decernebat: duces verò bellici, qui triumphalia ornamenta meruiſſent, militibus honoris cauſâ, omnis generis coronas, atq; etiā dona quædā mediocria, & ex prædâ impartiri poterant, ſic tamen ut prædæ diſtributæ ſūtus & rationes in ærarium deferrent. Apud Græcos duces in unum coeuntes in concilio agitabant, & ſententias decernebant, quem primum, quē ſecundum, qui depulſas hoſtium copias longius egiſſet, & quo premio aut honore dignus eſſet, dijudicabant, idque apud eorum aras in Iſthmo inclito Neptuni templo, ſumto ab ara ſuffragio, & ut erant ſentē-

tiæ, ſic agro & vacatione donabāt, ac pro merito præmia largiebantur. *Alex. ab Alex. lib* 4. *c.* 18. Argivorum duces ex militiā reverſi, cum militum agmine, ſcribit idem auctor, *lib.* 6 *c.* 6. extra urbem concilium advocabant, ibiq́, de militaribus donis optimatum conſenſu decernebāt. Romanorum hodiè Imperator, publicorum honorum, nobilitatis ac dignitatum, privilegiorum item & immunitatum, quibus tamen publicum Imperio præjudicium nullum inferatur, ſolus jus ac poteſtatem habet: cujus interdum cōmunicare partem Comitibus, ut vocāt, Palatinis ſolet, ut Poetas, Doctores facultatum, Notarios creare, tribuere inſignia pòſſint. Quapropter prudens magiſtratus in publicis præmiis diſtribuendis & poteſtatis ſuæ vim agnoſcat, & gratitudinis ſuæ fructum decerpi ab aliis ne ſinet: ipſe omnium in Rempub. merita intelligat: ipſe publicorum præmiorum æquiſſimus æſtimator, judex & adminiſtrator ſedeat, ut quæcunq́; agunt præclarè homines, omnia magiſtratus oculis expoſita, ōnia ad certiſſimā recōpēſationē

notari

notari obſervariq́; intelligant. Hoc formula indicat in Principum reſcriptis, & privilegiorum conceſſione poni ſolita: quâ Proprio Motu tribuiſſe honorem ac beneficium ſignificant. Severus Imperator militum ſuorum, cùm ſolus eſſet, rationes & numerũ & dignitates ipſemet recēſebat, & de ꝓmovendo ſibi adnotabat, & perlegebat cũcta pittacio, q qualis eſſet miles, & â quo promotus. *Lamprid.* Carolũ IX. Galliæ Regem Bodinus refert, fratri Henrico beneficium alterius nomine peteñti libenter annuiſſe, juſſiſſe tamen eum acciri, eoq́: præſente ad fratrem dixiſſe: Nihil, chariſſime frater, denegandum tibi puto: hoc tamen beneficium, quod alterius nomine vis, non cõſequere: id ego illi ſummâ voluntate, pro ſuis in Rép. meritis, dõo dedi *5. de Rep.* 4.

Atneque ulla egregia virtus ſine remuneratione in Repub. relinquenda eſt. Sua exſtent præmia literatis primò in omni doctrinarum & diſciplinarum genere: ſinceris Theologis, acutis Philoſophis, ingenioſis Mathematicis & hinc profectis Mechanicis, qui ſuis inventis

generis humani neceſſitatibus, ſolerter ſubveniunt, divinis Poëtis, diſertis oratoribus, probatis medicis, prudentibus politicis, Juris conſultis ac hiſtoricis, & quicunque divinæ humanæq́, ſapientiæ agrum curâ ſuâ & diligentiâ cultiorem reddunt: ſtrenuis deinde militibus, fortiſſimis belli ducibus, Martis pullis, qui vitam ſuam hoſtium armis pro Repub. objiciunt, hæc ut ſalva ſit, ipſi quævis adire ſalutis pericula non dubitant: deniq́ue quibuſvis virtutum cultoribus, quorum vita ad virtutis regulam exigitur, quiq; non ipſo duntaxat facto ſed exemplo inſuper bono, frugi Reipub. cives ſe oſtendunt. Etiam conjugio liberorumq́; procreationi legitimæ, & in ſingulis rei familiaris generibus diligentiæ ac labori, inſigni pietati, abſtinentiæ ac continentiæ, ſobrietati, caſtitati, conſtantiæ, honeſtatis ac gloriæ ſtudio, humanitati, modeſtiæ ac verecundiæ, gravitati, urbanitati, candori ac fidelitati, manſuetudini, humilitati ac obedientiæ, miſericordiæ, liberalitati, ac hoſpitalitati, philoſtorgiæ & amicitiæ, ipſi poſtremò grati-

tudini

tudini ac juſtitiæ publica data præmia fuiſſe plena eſt exemplorum vetuſtas. Apud Hebræos qui recens domum ædificaſſet, aut vineam plantaſſet, aut uxorem duxiſſet, in militiam proficiſci primo anno non compellebatur, ſed immunitate gaudebat, *Deuteron.* 20. *v.* 5. 6. 7. Hippodamus Mileſius in ea, quam commentus eſt, Repub. inter cætera etiam ſtatuit præmium ei, qui aliquid utile civitati inveniſſet. *Ariſtot.* 2. *Polit.* 8. Lapones eos, qui ad uſum quidpiam artis repererint, aut receptum ab aliis excoluerint, honorant publicè: veſte donant, cui ſit intextũ argumentum excultæ artis: atq; hoc inſigne, in familia manet ad poſteritatem. *Ziegler in Scond.* Nec fermè aliter Cayri urbis Ægypti incolæ, ſi quis mechanicum aliquod opus novum invenerit, veſte aureâ in pompæ ſpeciem productum muneribus collegæ honorant. *Joan. Leo.* 8. *deſcript. Afric*: Nec his diſſimilia ſunt præmia quę hodiè frequenti Germaniæ uſu proponuntur iis, qui arcu aut ſclopetis ad ſcopum præfixum proximè collineaverint. Et huc

pertinentia alia non pauca ſuppeditabūt prēmiorum publicorū varii modi, in his quę ſequuntur.

Cū paucis enim virtutibus Gratitudo hoc habet commune, ut non tantùm externis membrorum actionibus, ſed mēte etiā atq; animo perficiatur. Hinc gratitudo Animi alia, alia Facti eſt: quę utraq; á magiſtratu ęquè poſtulatur.

Prona ad beneficia recōpēſanda volūtas, promtus ad bene precandum iis animus, quorū in nobis exſtant merita, prima gratitudinis rudimēta ponit, tacitâq; gratæ mentis cogitatione primū cōcepta & excitata mox in verba prorūpit, gratias agendo, accepta beneficia honorificè extollendo, & apud alios celebrando, votisque piis omnibus proſequendo. Facit enim interdum beneficiorū magnitudo aut urgens incommoditas, ut ultra hāc mētis gratæ ſignificationē, ultraq; verba quidquam præſtare benefactoribus amplius nequeas: & tum animi illa gratitudo maximam laudem maximamq; commendationem habet: & verò aliàs ipſam facti gratitudinem, ſi cum illa conjungatur

gatur gratiorẽ ornatioremq; reddit. Athenienſiũ de Zenone Cittiæo decretũ perquam honorificum, quia omnes gratitudinis numeros complecti videtur, hic ex Laertio *lib. 7.* adſcribam integrum. Quoniam Zeno Mnaſæi filius Cittiæus, complures annos in civitate philoſophicé verſatus eſt, atque in omnibus vir bonus eſſe perſtitit: ac juvenes, qui ad illum diſciplinæ cauſſâ convenerunt, ad virtutem & frugalitatem exhortãdo, ad ea quæ ſunt optima convertit, vitã ſuam verbis ac doctrinę ſuæ conſentaneam, exemplar omnibus proponẽs: bonâ fortunâ viſum eſt plebi laudare Zenonẽ Mnaſæi filium Cittiæum, & aureâ coronâ ritê ac legitimè ornare propter ſingularẽ ejus virtutem & temperantiam. Pręterea conſtruxère illi etiam ſepulturam in Ceramico publicé: coronę autem faciendę exędificandique tumuli quinque viros ex Athenienſibus plebem jam eligere qui curam habeant: decretúque hoc ſcribã plebis inſcribere duabus columnis: licereque ſibi alteram in Academia, alteram in Lyceo ponere:

ſumtus verò columnarum diſtribuere eum, qui negotiis præeſt, ut omnes intelligant: Athenienſium plebem viros bonos,& vivos,& defunctos honorare. Præter inſignia præmia alia Valerianus Imp. Aureliano, exercitu præſente, aſſidentibus conſule, præfecto prætorio, præſide Orientis, & cæteris, nomine Reipub. etiam gratias egit, quòd eam Gothorum poteſtate liberâſſet: Abundamus,inquit, per te prędâ & his omnibus quibus Romana felicitas creſcit. *Vopiſ.* Poſt debellatos Saxones Lõgobardosq; Carolus Magnus Imp. ad ſuos milites, Ite, inquit,milites mei:vos heroes vocabimini,ſocii regũ, judices criminũ. Vivite poſthac laboris expertes: conſulite regibus publico nomine: favete feminis:juvate pupillos: conſilio circumdate principes:ab his victum, veſtitum, ſtipendium petite: ſi quis negaverit, inglorius infamisque eſto: ſi quis injuriã vobis intulerit, reum ſe majeſtatis agnoſcat. M. Minutius equitum magiſter Fab. Maximi in dictatura collega tumidè & temerè adverſus Hannibalem pu-

gnans

gnans cùm Fabii beneficio extremis periculis ereptus eſſet, faſtu depoſito gratitudinis non immemor ipſe cum toto militum ſuorum agmine ad caſtra Fabii profectus ad prætorium contendit. tum exeunte Fabio, poſitis ante tabernaculum ſignis, altâ voce ipſum patrem exercitus, milites Fabianos patronos ſuos, appellavit. *Plutarch. in Fab.* Severus Imperator quemquam de Repub. bene meritum præmiis proſecuturus antè illi gratias egit & ſuo & Reipub. nomine: quòd ita Rempub. geſſiſſet, ut benè de ea meritus judicaretur. Sic ille dona ipſa gratis verbis exornavit *Lāprid.* Rex Hemathenſis Thoi muneribus, quæ Davidi Regi Iſraelitarum, ob profligatū hoſtem communem, obtulit, verborum quoq; gratiam addidit *2. Samu.* 8 *v.* 10 Ahaſverus rex Perſarum, Mardachai Judæum, qui conjurationem adversus regē factam aperuerat, regio veſtitu ac diademate ornatum equoque impoſitum honoris cauſsâ circumduci per civitatē juſſit, præconis voce præeunte. *Eſther. 6.* Populus Athenienſis partâ ad Platęas vi-

ctoriâ ſepulchra eorum, qui bello Perſico ceciderant, ornavit, ac tum primum funebres ludos ac certamina inſtituit, lege latâ, ut Rhetores præcipui laudes eorum deprædicandas & facta commemoranda ſuſciperent, qui publicâ donati ſepulturâ eſſent. *Diodor. lib. 11.* Etiam apud Romanos introductum: ut clarorum virorum in funere ſolennis laudatio eſſet, poſtquam Valerius Poplicola, mortuo Bruto collega ſuo, ſupremas ipſius laudes accuratâ oratione proſecutus fuit. Nam & Appii Decemviri defuncti laudationem ſecutis temporibus æquis auribus audivit; Scipionem in funere ſupremo, uti hominem divinũ Fabius Maximus commendavit. Et quamvis à principio virorum tantùm geſta, nec mulieres laudare conſueſſent: quia tamẽ Camilli tempore aurum, quo ſe populus Romanus à Gallis redimeret, contulerunt, cautum fuit, ut in earum funeribus, ſicut in virorum, laudationes ſolenniter fierent. *Alex. ab Alex. lib. 3. c. 7.* David rex Hebræorum civibus Jabenſibus,

bus, qui cadavera Sauli regis & ipſius filiorum Philiſtæis erepta ſepeliverant, miſſis legatis gratias egit, divinamque benedictionem comprecatus eſt. 2. *Sam.* 2. *v.* 5. Cum Artoxerxi Perſarum regi in eo; quod contra fratrem Cyrum geſſit, prælio, penè ſiti enecto, quidam ex miniſtris militi ereptam in utriculo ſordido aquam putridam attuliſſet, atque is ebibiſſet, Niſi eum hominem, à quo primùm præbita iſta aqua eſſet, inventum remunerari poſſet, deos ſe precari dixit, ut beatum eum divitemq; facerent. Pòſt quoque in regno confirmatus iſtum ex Cauniorum gente militem, qui aquam primus repererat, de tenui & obſcurâ ſorte ad honores & opes evexit *Plutarch in Artox.* Statirâ Darii Perſarum regis uxore ab Alexandro captâ & partus dolore mortuâ, cùm ejus rei nuncium Darius accepiſſet, ſed inviolatâ eam pudicitiâ obiiſſe, cęteras quoq; captivas, matremq; cũ ſororibus & filiabus illæſas cuſtodiri cognoviſſet, tale grati animi votum pro Alexandro fecit: Dii patrii & regnorum præſides

præſides, primum mihi concedite, ut fortunam Perſarum ſuum in gradũ conſtituam, quo eam accepi ſplendore, quó Alexandro gratiam referam eorum, quæ in meo adverſo caſu chariſſimis meis præſtitit pignoribus. Quod ſi fato hoc adeſt tempus, viſumque eſt Nemeſi rerũque viciſſitudini, ut regnum Perſicum ceſſet, ne quis præter Alexandrum mortalium alius in Cyri ſolio ſedeat. Ultimo deinde prælio ab Alexãdro ſuperatus, cũ plurimis confixus jaculis in curru jã moribundus frigidæ hauſtum à Polyſtroto accepiſſet: Hoc mihi, inquit, omnium calamitatum extremum obtigit, ut pro beneficio gratiam referre nõ poſſim, ſed Alexander tibi beneficium compenſabit: Alexandro Dii humanitatem, quam matri uxori liberisq; meis exhibuit, cui hanc ego meam dextram, te nũcio, porrigo. *Plutarch. in Alex.* Et Philippi Macedonis vox animum gratitudinis ſucco haud leviter tinctum arguit, qui Hipparchi Euboenſis mortem graviter ferens, cùm quidam diceret, At tempeſtivè is vitâ defunctus eſt, Sibi quidem, inquit, mihi verò

hi verò præmaturè, cujus obitu præventus ſum, ne gratiam ei noſtrâ amicitiâ dignam referrem. *Plutarch. in Apophtheg.*

Hæc in animo ac voluntate ad gratiā referendam promtitudo, cæteros præmiorū fructus producere uberes ſolet, maximè in magiſtratu, cujus ſors intra anguſta illa ſolius animi grati pomeria ſuam compingi gratitudinem non facilè patitur, ſed quantò plus ſe præſtare poſſe intelligit, tantò magis in lucem externis præmiorū factis enititur. Quemadmodum enim calamitatibus aliorum indolere minus putatur, quàm ſi manus eiſdē auxiliares adhibeas: ita parum gratus habendus, qui animo conceptam gratitudinem re & facto ipſo, cum poſſit, non exſerit.

Ac fuit illa facti gratitudo in Rebuspublicis benè cōſtitutis ſemper celebratiſſima, quòd vulgus ferè ſuſpicere ea tātùm ſolet, quæ ſenſibus obvia, & quàm maximè expoſita ſunt, plurimâque cum utilitate conjuncta eſſe videntur.

Sed & rurſus gratitudinis hujus primū genus plus dignitatis ac honoris, alterū plus cōmodi & lucri, cōplectitur: quorū

illud ſtatus popularis ferè propriũ, in quo plebs veræ laudis guſtu deſtituta lucrum dũtaxat & cõmoda conſectãdo honores & imperia facilè cedit aliis: attamen virtuti magis convenire judicatur, quæ ſui prȩmium non tam in opibus quàm gloriâ & commemoratione hõeſtâ quȩrit. Hoc verò locũ liberiorẽ in Monarchiâ invenit; quòd principes ærariũ facilius exhauriri, quàm magnas dignitates ac poteſtates vulgari, patiuntur.

Inter honorum prȩmia frequẽtiſſima apud veteres occurrunt, ſtatuȩ, colũnæ, imagines poſitȩ illis, qui pace & bello utilem operam Reipub. impendiſſent. Athenienſes neſcio an primò õniũ Harmodio & Ariſtogitoni tyrannicidis publicè poſuerint ſtatuas. Excepta deinde res eſt à toto orbe terrarum humaniſſimâ ambitione. Et jam omnium municipiorum foris ſtatuæ ornamento eſſe cepere, prorogariq; memoria hominum & honores legendi ævo baſibus inſcribi, ne in ſepulchris tantùm legerentur, *Plin. lib. 34. c. 4.* Fuit etiã Ceräicus extra urbem locus Athenis, in quo deorũ hõminumq;

minũq; excelletiũ ſimulachra & ſtatuas publico decreto erigere, atque eos, qui pro patria occubuiſſent, ſepelire, tumulisque erectis inſcriptiones & elogia decretaque ac titulos apponere adſuêrant: inter quos Chryſippi imago porrectâ manu viſebatur, aliorumque philoſophorum, diverſo geſtu ac modo, ſingulis enim ſepulchris ſingulæ colũnæ affigebãtur, cũ inſcriptionibus ac titulis, quos ob egregia quiſq; facinora meruiſſet, ibique velut monumentis & tropheis celebrata illorũ memoria fuit, *Alex. ab Alex. lib.* 4. *c.* 18. Romani iis, qui domi vel foris egregiè ſe geſſiſſent, poſt mortẽ in roſtris imagines in memoriam poſteritatis plerunque cereas aut marmoreas vel æneas columnas cũ tropheis & titulis publico concilio erigebant, & res geſtas monumẽtis inſculpebãt *Idẽ lib.* 3. *c.* 7. *Blõd. lib.* 6. Orbilio Pupillo Beneventano, inſigni Grammatico, ſtatua Romæ eſt erecta in Capitolio. Propter inſignem eruditionem & ſtudium, quod Verius Flaccus libertinus in juventute Romanorum & nepotibus Auguſti inſtituendis adhibuit,

ſtatuam

ſtatuā promeruit, quæ poſita ei fuit Præneſte in ipſo foro. *Sueton. de Grammat. illuſtr.* Cornelio Frontoni præceptori ſuo M. Antoninus Imperator ſtatuam à ſenatu impetravit, *Capitol.* Gorgiæ Leontini ſtudiis literarum ætatis ſuæ cunctos præſtantis, adeò ut primus in conventu poſcere, quâ de re quiſque audire vellet, auſus ſit, univerſa Græcia in templo Delphici Apollinis ſtatuam ſolido ex auro poſuit, cùm cæterorum ad id tempus auratas collocâſſet. *Valer. Maxim. lib. 8. c. ult.* Defuncto Demoſtheni populus Atheniēſis dignos reddidit honores, æreâ poſitâ ſtatuâ, cujus baſi adſcriptum epigrāma fuit, facto ? decreto, ut qui ex ſtirpe ejus natu eſſet maximus publicè in prytaneo aleretur. *Plutarch. in eod.* Statua Homero Colophone cum inſcriptione, Heſiodo Theſpiis Bæotorū in theatro ex ære fuit erecta. *Plutarch. & Pauſan.* Et Claudiano Poetæ ad memoriam ſempiternam Arcadius & Honorius Impp. Senatu petente, ſtatuam in foro D. Trajani collocari juſſerunt. *Volater. Antropol. 2.* Hinc de ſua familia Poeta:

Cura

Cura Ducum fuerant olim Regumq; Poetæ
Præmiaq; antiqui magna tulere chori:
Sanctaq; majeſtas, & erat venerabile nomē
Vatibus, & largè ſæpè dabantur opes.
Ennius emeruit Calabris è montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio Magne, tibi.
Ovid. 3. de art. amand.

Athanodoro Cytharædo, qui in pugna quadā ſtrenuè præliatus ceciderat, æneam ſtatuam fieri & Pythiis collocari juſſit Magnus Alexander, cytharâ & haſtâ projectâ conſpicuam: non virum modo honorans, ſed Muſicam etiam, ut quæ fortes faciat, ac rectè educatos apprimè impleat divino quodam inſtinctu & impetu. *Plutarch. orat. 2. de Alex fort.* Beroſo Aſtrologo, ob certū eorum, quæ prædixerat, eventum, Athenienſes ſtatuam in Gymnaſio linguâ inauratâ conſtituerunt. *Plin. lib. 7. c. 37.* Solonis Athenienſium legumlatoris ænea ſtatua in foro. *Ælian. lib. 8. var.* Hermodori Epheſi in comitio legum, quas Decemviri ſcribebant, interpretis Romæ, publicè dicata ſtatua. *Plin. lib. 34. c. 5.* Catoni majori Romani in æde Salutis ſtatuam ponentes

ponentes, non præturam, neq, conſulatum ejus inſcripſere, ſed quòd Romanorum Rempub. inclinatam & in pejus vergentem Cenſor ille diſciplinâ honeſtâ & exercitationibus tẽperantiæ in integrũ reſtituiſſet. *Plutar. in eod.* Apud eoſdẽ principũ & benè de Repub. meritorũ ſtatuæ pedeſtres & equeſtres ita effictæ fuerũt, ut dextrâ porrectâ fidẽ in Rẽpub. oſtẽderent *Alex. ab Alex. lib. 5. c. 3.* Manius Martius & Trebius ædiles, quòd in ſummâ caritate frumentum populo Romano in modios aſſibus dedere, commeatusq; invexere, ſtatuas in Capitolio & palatio meruerunt. *Id. l. 4. c. 3 Plin. l 8 c. 3.* Romæ inter antiquiſſimas ſtatuas fuere in roſtris Legatorum à Fidenatibus, itẽq; in foro aliorũ, ab Teuca Illyriorum Regina, injuriâ cæſorum *Plin. lib. 34. c. 6.* Lacedæmonii quoq; his, qui in militia facinora geſſerant fortia, ſtatuas & columnas pariter cum Elogiis poſt obitũ dedere, *Alex. ab Alex. lib. 3. c. 7.* Horatius Cocles quòd pro ponte ſublicio ſteriſſet & hoſtium aciẽ ſuſtẽtaſſet, donec à tergo pôs interrũperetur, ſtatuã in Vulcanali Romæ meruit, *Plinius de viris Illuſt. 6.*

11. Alexander Magnus centum viginti equites, qui in campis Adraſtæis ceciderãt, propter multa belli decora, equeſtribus ſtatuis donavit. *Alex. ab Alex. lib.* 4. *c.* 18Nec minimi precii habebatur olim coronarum honos, quas varii generis cõferebant magiſtratus, præmium virtutis haudquaquam pœnitendum. Ex quibus Laurea Poetarum nũc propria in uſu mãſit, quõdam apud Romanos non niſi triumphantibus Imperatoribus imponi ſolita. *Alex. ab Alex. lib.* 6. c. 6. Ejus prima inſignia apud Germanos geſſiſſe Conrad⁹ Celtes perhibetur, Maximiliani Imp. beneficio. Rarũ & ingens decus non niſi rarę & elegãtiſſimæ eruditioni moribusque ſanctiſſimis debitum! Athenienſis civitas bonos cives coronâ decorãdi primò conſuetudinem introduxit, duobus oleæ connexis ramulis clarum Periclis cingẽdo caput. *Val Max. lib.* 1. *c.* 6. Erãt porrò apud Rõanos coronę navales iisdẽ ſtinatę, q primi in hoſtiũ naves vi armati trãſiluiſſẽt: caſtrenſes eorũ, qui primi in hoſtiũ caſtra pugnãtes introiſſẽt: murales primò murum ſubeuntium, [illegible] q; oppidum hoſtium per vim [illegible]

fortitudini conſecratæ: omnes illæ aureæ, ſed quarum ſingulæ geſtæ rei proprii inſigne impreſſum referebāt, nempe roſtrorum navalium, caſtrenſis valli, muralium pinnarum. *Alex. ab Alexand. lib.4. c.18. Gell. lib.5. c. 6.* His etiam antepoſita, non quidem materiæ, ſed honoris præſtantiâ, corona civica fuit, quæ primò iligna, poſtea magis placuit ex eſculo Jovi ſacrâ. Variatumque & cum quercu eſt, ac data ubique quæ fuerat, cuſtodito tamen honore glandis. Ipſius leges arctæ & ideò ſuperbæ: civem ſervare, hoſtem occidere, utque eum locū in quo ſit actum, hoſtis obtineret eo die, utque ſervatus fateretur, teſtibus alijs nequaquam ſufficientibus, ut civis fuerit. Nec auxilia, quamvis Rege ſervato, decus id dederunt: nec crevit honos idem Imperatore conſervato: quoniam conditores, in quocunq; cive ſummum eſſe voluêre. Accepta licuit uti perpetuò ludos ineunti ſemper adſurgi etiam ab ſenatu in more fuit: ſedendi jus in proximo ſenatui: vacatiò munerum omniū. ipſi patrique & avo paterno, *Plin. lib. 6. c. 4*

c. 4. Omnibus aliis veterum coronis idẽ Plinius *lib. 22. c. 3. & 4.* etiam perfert obſidionales, quæ non uno aliquo cive, ſed liberatis obſidione abominandoq; exitio totis caſtris dabantur duci, ab his, qui ſervati eſſent, viridi è gramine decerpto inde, ubi obſeſſus exercitus periculum evaſerat. Coronis annumerandi annuli, armillæ, inaures, torques, bullæ, cingula, veſtes, phaleræ, vexilla, inſignia. Annulorum uſum conſtat magnæ virtutis teſtimonium olim fuiſſe Perſis neq; aurum, zonámve, aut monile, neq; aunulũ niſi regis munere ferre licuit, eratq́; ſummæ amicitiæ argumentum, ſiquis donatus à rege annulo eſſet. Et publico hoc eruditionis ornamẽto ut ſingulariter docti excellerent, Imperatores Romani publicis honorum literariorum inſignibus aliis, hoc etiam annulorum jus aureorum addiderunt. Antonio Muſæ Medico Auguſtus Imp. ſanitati reſtitutus, præter ingentem pecuniæ ſummam, conceſſit jus annulorum, nec ſolùm ei, ſed etiam cæteris omnibus, qui eandem artem profiterentur, vel in poſterum eſ-

ſent profeſſuri. *Xiphil.* Apud Cattos, licet fortiſſimus quiſq; annulum geſſiſſet, ignominiæ hoc ducebatur loco, tanquã vinculo nexus foret, niſi aliquâ hoſtili cæde eo ſe exſolviſſet. Carthaginenſes pro numero expeditionum milites dõabant annulis pluribus. Romani aliquãdiu judicibus & equeſtri ordini, hiſque quibus & auro paterno ſeſtertia CCCC. cenſus fuiſſet, ferreos primùm annulos, deinde aureos dabant, quo inſigni equeſter ordo à Senatorio noſcebatur, Legatis ad exteras gentes profecturis annulum aureum velut inſigne munus tribuebant, nec quidem cuivis militi aureis annulis paſſim uti impunè licuit, niſi ex primoribus militum, aut re magnâ & æſtimatione forent, aut præfectus, centurio, decurio, aut tribunus exercitui præeſſent, vel à Principe aut Prætore aureo annulo donati fuiſſent: ferreus militibus cæteris promiſcuus erat. Apud Macedõas chlamys & apex aureus, munera regia fuere: Alexander Magnus uſũ Perſicę ſtolæ militi impertivit, Sertorius pictas chlamydes; Aurelianus Imp. gre-

gariis

gariis militibus, ut per omne tempus militiæ fibulas haberent aureas, privilegium dedit: quanquam vetuſto more in Romanis legionibus ſolis tribunis aureas fibulas habere, gregario verò aut manipulari permiſſum baltheos aut phaleras argento decoras ferre. *Alex. ab Alex. lib. 2. c. 19. & 29.* Nam & veſtimenta virtutis decora à Romanis aſſignabantur, toga prætexta, veſtiſque purpurea. Sic Tarquinii Priſci filius, quòd in bello adverſus Sabinos hoſtem manu percuſſerat, quatuordecim annorum puer, bullâ aureâ prætextâque dōatus fuit. *Macrob. Saturn. 6.* & Catoni Uticenſi ludos in veſte pupurea ſpectandi facultas à Senatu pro ſummo honoris gradu tributa eſt. *Alex. ab. Alexand. lib. 5. c.* 18. Inſignia quòd attinet ſunt ea notæ quædam virtutis & rerum præclarè geſtarum publicæ, ſculptæ, pictæve. Origo ipſorum bello primúm cepiſſe cognoſcitur ex galeis clypeisque, quibus notæ iſtæ imprimi ſolent. & hodie ferè nobilitatis propria ſūt, præſertim quæ galeâ, ut vocāt, apertâ deſignātur: nec familiarū tātū ſingularūſed

rerũ etiã publicarũ ac civitatum peculiaria. *Bartol. de inſign.& arm.* Antiqua virtutis ſigna honorifica Romani alia atque alia bene de Republicâ meritis attribuerunt. Lucio Metello qui oculis orbam ſenectutem egit,ut quoties in ſenatũ iret curru veheretur, fuit pro munere datum, indultum aliis,ut in oppidis per loca & conventus umbraculis uterẽtur. M. Valerius Voleſi filius quòd Sabinos fudit fugavitq; & caſtris exuit, locũ in circo ad ſpectandum cum ſellâ curuli ipſe poſteriq; ipſius proprium obtinuerunt. C. Duillio, qui navali prælio Carthaginenſium claſſem fudit, præter curulem ſellam, ut quoties à cœnâ rediret funale præferretur,& tibicẽ præcineret, permiſſum. Etiam antiquior dicendæ ſẽtentiæ locus, jus imaginis,& alia, in magno honore & præmio Romæ poſita. *Alex. ab Alex. lib. 4. c.* 11. Alexander Magnus ex India reverſus Macedones milites in Perſide recenſuit & domum remiſit inutiles magnificè donatos. Scripſit inſuper ad Antipatrum, ut primum in ſpectaculis & ludis locum tenerent, co-

ronati

ronatique ſpectarent. *Plutarch. in Alex.* In hac præmiorum claſſe non ultimum locum occupant tituli & nomina honorifica, dignitates & officiorum publicorum gradus. Ad ſingularem literarum ſcientiam publicè cohoneſtandam certos honorum titulos prudentiſſimi rerū publicarum rectores in Academias & ſcholas publicas introduxerunt, ut literatiſſimorum virorum judicio induſtrii & docti ab ignavis & indoctis, honorum gradibus & titulis ſecernerentur: publicéq; cōſtaret, qui eſſet idonei, quorū arte & cōſilio & privatim & publicè quis niti tutò & utiliter poſſet. Academiorum autem honorum gradus præcipui quatuor ſunt, in Philoſophia duo, & in tribus, quas vocāt, facultatibus totidē. Primus eſt Baccalaureatus eorū, qui tyrocinii in Philoſophia depoſiti artiumque generalium logicarum didicitarum inſignia accipiunt: Alter eorum, qui artium Philoſophicarum circulum abſolverunt & Magiſterium appellatur: ex quo illi Baccalaurei, hi Magiſtri.

In facultatibus eſt primò gradus Prodoctorum ſeu Licentiatorum, qui ita dicũtur, quód ipſis doctoribus fieri quandocunque lubet, liceat, à quibus ſolo nomine diſtinguũtur. Deindè ſunt Doctores, apex honorum in ſcholis ſupremus. Sed quãdo & ubi certus iſte promotionũ ordo & nomina ſingularũq; facultatũ leges & diverſi habitus introducta ſint, ſcriptores in ſententiarum divortia abeunt. *Middendorp. de Academ.* Nec illuſtris Comitum Palatinorum dignitas hîc omittenda eſt, quæ propter privilegia, quibus condecorata eſt, potiſſimum literis & literatis convenire videtur, ut ſunt, poteſtas coronandi Poëtas, creandi Doctores & Notarios publicos, legitimandi, dandi inſignia, & alia. Hanc à Conſtãtino Imperatore primùm inſtitutam Euſebius *lib.* 4. tradit: de qua loquuntur Theodoſius & Valentinianus Imp. l. un. C. de profeſ. qui in urb. Conſtantinop. docẽt. ex leg. meruer. comit. Priſci Rõani ꝑpter res dõi militiæq; egregiè geſtas, meritos cives præturâ, ædilitate, & conſulatu ampliſſimiſq; honoribus honeſtabant

bant *Alex. ab Alex. lib. 3. c. 17.* M. Antoninus Pius Imp. Rhetoribus & Philoſophis non ſolùm ſalaria, verùm etiam honores ac provincias, decrevit. *Capitolin.* Andronicus Comnenus Imperator eruditos non procul à purpura ſed propè ſoliũ ſuũ collocatos & muneribus frequẽtibus fovit, & honores eis non minimos habendo, cœleſtẽ ſapiẽtiã divinarũq; rerum doctores & diſertos juriſperitos ſũmi precii ſe æſtimare declaravit. *Nicet. lib 2.* Reipſâ Carolus Magnus Imp. præſtitit, quod verbis in ſe receperat, cùm Lutetiæ ſcholam ibidẽ à ſe fũdatã ingreſſus periculũ ſtudiorum facere diſcẽtes juſſiſſet, deprehẽdiſſetq;, tenuiores ac pauperes præter ſpem profeciſſe, nobiles verò cultum animi neglexiſſe. Nãq; illis ad dexteram ſegregatis, Vos quidem macti virtute, inquit, filioli pientiſſimi, qui noſtro imperio gnaviter defuncti eſtis. Veſtra erũt ſacerdotia locupletiſſima: veſtri Epiſcopatus maximi: vos in aulam adſciſcam: ex vobis ſenatores cooptabo: vos in album prætorũ & patrũ curiæ adlegã. *Avẽt. 4. annal. Boior. Mutius lib 8.*

Joſephum Jacobi Patriarchæ filium pro pter ſapientiam & conſilium prudentiſſimum Rex Pharao aulæ ſuæ, mox toti Ægypto, tradito annulo veſtibusque ſplẽdidiſſimis, catenâque aureâ ornatum præfecit, proximumque à ſe locum, tum patris regni, intimique conſiliarii nomẽ attribuit. *Gen.* 41. *v.* 39. *& ſeqq.* Danielẽ ex captivis Judæis unum Nabucadnezar rex Perſarum ob ſomnium divinitùs revelatum, multis magnisque muneribus affectum univerſo Babyloniæ regno cũctisq; ſapientibus aliis præpoſuit. Alius deinde Rex Belſazar eundem à ſe tertiũ in regno conſtituit, poſtquam ſcripturã arcanã explicuiſſet. *Daniel.* 2 *verſ.* 48. *c.* 5. *v.* 29 Bello Saxonico Carolus Magnus duobus gregariis militibus, qui factâ teſtudine munitiſſimæ urbis aggeres diſſiparant, ac portas effregerant, pro concione laudatis præfecturam inter Rhenum Alpéſque dedit. Eodem bello duos tyrones, licet vulgò contemtos, fortiter in medio hoſtium agmine depugnantes inter cubilarios ſtipatoresque ſuos eſſe juſſit. In his publicorum honorum digni-

tatibus

tatibus non poſtremum eſt nobilitatis decus, quo ſummi magiſtratus omnibus excellere aliis certis quibuſdam ſignis ac notis publicis voluerunt eos, qui pace & bello, literis & armis, inſignem Reip. utilitatem attuliſſent. Nobilitatis gloriā ex bonæ famæ ſtudio & publico rectè ſentientium conſenſu ortam penes magiſtratus omnium primò reſediſſe ſupra oſtendimus: unde nunc porrò illa tanquam fonte per gratitudinis canales ulterius ad virtutē in Repub. pulcerrimè florentem irrigandam & in aliis quoque exornandam diffunditur, & tribuit nomina nova, inſignia, privilegia, interdum etiam feuda & reditus bonorum. Nec à nobilitatis honore excludendos præclaræ literatos eſſe, Sigiſmūdus Imp. judicavit, à quo non modò Georgius Fiſcellus J C. Equeſtri ordini adſcriptus ſed etiam reprehenſus fuit, cùm in ſynodo Baſileenſi relicto doctorum ſcamno, ad nobiles & equites conceſſiſſet: ſtultè agis, inquit Sigiſmundus: nam ego equites uno die mille, ſed mille annis doctorem unicum non fecerim. *Aen. Sylv. lib. 4. com-*

4. *comment. de Alphonſ. Dubrav.lib. 25.*
Ab armis tamen & militiâ potiſſimùm nobilitatis decus duci fatendũ eſt, quòd inſignia quoq; armorum demonſtrant. Ottomannus Imp. cum res Italicas conſtitueret, more à Francis acceptofortiſſimum quemq; militiæ ſuæ adſcribere, eosq; , qui ſtrenuam ſibi fidelemq; operam navaſſent, regalibus ſuis inſignire aggreſſus eſt. Erant autem regalia dignitatis & prædia, quæ Rex benemeritis ad arbitrium concedebat. Dignitates ut duces, Marchiones, Comites, Capitanei, Valvaſores & Valvaſini: Prędia, ut vectigalia, telonia, portus, ripatica, pedatica, monetæ, piſcariæ, molendina, ſalinæ, fluminum uſus, & omnis proficiſcens ex illis proventus, & quæ generis erant ejusmodi. Duces erant qui Ducatum, Marchiones qui Marchiam, Comites qui Comitatum, à Rege in feudum acceperant: Capitanei, qui à rege aut duce, Marchione Comitéve plebẽ plebisvé partẽ, Valvaſores qui à Capitaneis, Valvaſini, qui à Valvaſoribus acceperant: quorum tres priores Capitanei Regis, reli-

qui

qui valvaſores majores, minores, & minimi quoq; vocati ſunt. Unde nova nobilitatis ratio in Italiam eſt inducta, ut ii demum ſoli nobiles judicarentur, qui ipſi aut eorum majores his atq; ejusmodi aliis honeſtati privilegiis eſſent. Hãc conſuetudinem ſucceſſores ejus non omiſerunt, ſed etiam multis partibus adauxerunt, ſive ut gratiam pręfectis ſuis ac militibus, pro operâ in bellis egregiè navatâ, referrent, ſive ut eos ſibi potiſſimum clientes devincirent, quorum virtute eam regionem cõtinere in fide poſſent: atque hos quidem feudatarios, vaſallos, homines ac fideles vocarunt: qui verò feudum conferebant, Domini & ſeniores appellati ſunt, *Sigon. lib. 7. reg. Ital.* Receptâ conſuetudine, quem in equeſtrem nobilium ordinem Reges cooptant, ejus leniter humeros ſtricto gladio feriunt. Quâ ceremoniâ Carolus VIII. Galliæ Rex, poſt memorabilẽ Tarrenſem cum Venetis Sfortianiſque

pugnā inſignes aliquot ex ſuis, ob eximiam ſpectatamq́; virtutē, equeſtri dignitate condecoravit. *Iov. 2. hiſt.* Hinc varii equitū ordines inſtituti, ad quos admitterentur, quorum jam antè cognita perſpectaq́; virtus eſſet, quique præſentiſſimū militiæ robur in ſubitis Reip. caſibus ac periculis præberent: qualis annotatur, ordo equitum Stellę, Mauricianorum, Annunciationis Mariæ, Sancti Michaelis, Lunæ, Aurei velleris, Sancti Stephani, Spiritus Sāi, Sancti Jacobi, aureę periſcelidos & alii. *Varem. de Eremb. de fœd. c. ult. Bod. de Rep.* 4. Inter omnes honores militares ſummi longeq́; præclariſſimi erant apud Romanos Ovatio & Triumphus: qui à S. P. Q. R. decernebātur belli ducibus, qui rē in bello ſtrenuè ac feliciter geſſiſſent. Ovationis honos erat, præmium belli non uſq́; quaq́; ordinarii aut difficilis confecti: vel quòd non ritè indictum eſſet, vel hoſtis humilis & non idoneus, vel victoria ferè ſine pulvere & ſanguine comparata: aut, ut addit in Marcello Plutarchus, verbis non armis

rem

rem Imperator peregiſſet, aut, ut ſæpe Livius, quis ſine Magiſtratu vel alienis auſpiciis vel in provincia aliena rem geſſiſſet, vel exercitum non deportâſſet. Ingrediebantur autem pedibus tantùm ovantes, myrto coronati, tibiis præcinẽtibus, ſequentibusque non militibus, ſed univerſo ſenatu. *Gell, lib. 5. c. 6. Sigon. lib 2. de antiquit. iur. provinc. c.* 10 *Alex. ab Alex. lib. 6. c.* 17. Triumphus verò majoris negotii atque periculi bello nõ ſine cruore confecto concedebatur, omniũ honorum, qui ſuffragio aut ſtudio civium deferrentur, ãpliſſimus, à Romulo primo urbis conditore inſtitutus, quiquead Imperatorum Romanorum tẽpora uſq; permanavit. Ejus pompa, quamvis aliis temporibus alia pro rerum ac victoriarũ conditione fuit, in hoc tamen ferè ſemper fuit eadem, ut Senatus, qui ad portã obviam victori prodierat, anteiret: tum ſpolia de hoſtibus capta & præda omnis auri atq; argenti & oppidorum captorũ ſimulacra & captivorũ hoſtiũ duces vincti ſubſequerentur; Belli dux autem

ipſe auratis quadrigis, laureâ coronatus, dextrâ ramum lauri tenens, os minio illitus, obullâ ornatus & togâ, tunicâque triumphali indutus veheretur: currum verò legati & tribuni militum in equis & pedibus, exercitus omnis laureatus cum cãtu & clamore aſſectaretur, quousq; in Capitolium perveniret. *Sigon. d. l. Alex. ab Alex. lib. 6. c. 6. Plutarch. in Æmil Liv.* 4. *decad.* 4. *Joſeph. bell. Jud.* 24.

Cæterùm pergit Gratitudo Magiſtratus ultra hanc laudum & honorum viã, quodammodo ſterilem, in fructuoſiſſimos beneficentiæ agros, & veram virtutem ſectantium, non tantùm amplificare verbis & honoribus exiſtimationem atq; gloriã, ſed rẽ etiam locupletare familiarem, properat. Quod reale quoddam Gratitudinis genus eſt, re & facto ipſo præſtitum. Res eæ ferè ſunt quantitatis omnes, ut alimenta, & quæcunq; æſtimationem & defunctionem inter homines habent, ut pecunia, domus, ager, frumentum, dos, legatum, pocula, ſuppellex, præda, & quæ hujuſmo-

juſmodi. Ferè enim fit, ut qui artib⁹ quęſtuoſis poſtpoſitis, publicis tantùm invigilare commodis & ſtrictū virtutis tramitē tot inter malos decurrere ſtudent, frequēter rebus ad vitam neceſſariis deſtituti, fatiſcant, niſi publicâ Magiſtratus Gratitudine in virtutum & honeſtorum laborum curſu confirmentur. Athenis Prytaneum fuit, in quo publicè victus præbitus iis, qui tantum vel beneficium vel honorem factis inclitis promeruiſſent. *Suid.* Hìc fuerunt Hippocrati Coo ejusque poſteris alimenta publica adſignata, ob peſtilentiam ſedatam. *Soran. in ejus vit.* Hìc Solon præter alia dona illorum, qui bello occubuiſſent, ali filios & bonis inſuper diſciplinis inſtrui ſanxit. *Plutarch. in Solon.* Narrant Polycratem Samium matres militum, qui in bello interiiſſent, recenſuiſſe, easque locupletioribus civibus nutriendas tradidiſſe. *Eraſm. in Adag.* Beneficentiam & hoſpitalitatem Barſillai remuneraturus rex David, ipſius filium & poſteros regiâ uti mensâ in aula voluit

2. *Sa-*

2. Samuel. 9. v. 40. 1. Reg. 2. v. 2. Pro unica tabula Aſtronomica Matthias Ungariæ rex precioſam veſtem & Ungaricos aureos octingẽtos Regiomontano dedit *P. Ram. lib. 2. Proem. Mathem.* Dionyſius Syracuſanus Heliconem Cyzizenũ talento donavit, quòd Solis deliquium prædixiſſet. *Plutarch. in Dion.* M. Antonio Sabellico pro ſcriptis hiſtoriarum libris Senatus Venetus aureos nummos ducentos annuos deſignavit. *Sabellic. lib. 7. c. 5.* Eraſiſtratus medicus à Ptolemæo rege aureis nummis quindecies millibus eſt donatus propter unicam curationem *Lud. Vives de laud. Philoſoph.* Pindarum Crœſus rex Lydorum tantum accipere juſſit, quantum capere auri poſſet. Ob pauculos verſiculos Lyſander rex Spartanus Antilocho pileum argento implevit. *Pontan. de liberal. c. 29.* Alexander Magnus Pyrrhonẽ Elienſem, Philoſophum & Poetam præclarum, decem aureorum millibus donavit pro oblato Poemate. Virgilio verſus ſuos de luctu Marcelli, qui ab Auguſto Imperatore ad optatus decimo octavo ætatis anno perierat,

erat, in fine libri ſexti Æneidos poſitos recitante, Octaviam Marcelli matrem, quæ recitationi intererat, animo defeciſſe ferunt, tandemque ægrè refocillatam dena ſeſtertia pro ſingulis verſibus Poëtæ dari juſſiſſe, qui numero ſunt unus & viginti. Qua ratione Virgilius pro verſibus paucis ultra quinque aureorum millia abſtulerit. Oppianus qui Piſcatoria quinque, Venatoria quatuor, Aucupium duobus libris deſcripſit, pro ſingulis poëmatis ſui verſibus à Severo Imperatore aureum ſtaterem & ſic in univerſum viginti millia aureorum accepit: unde Oppiani carmina vulgò aurea dicta. *Suid.* Rex Syracuſanus Hieron Archimolo poëtæ mille medimnos tritici in Pyræum uſque miſit, pro uno Epigrammate, quo is navem Hieronis celebrârat. *Athen. lib.* 9. *var.* Cn. Scipionis filias Senatus Romanus publicè dotavit, poſtquàm pater ipſarum rebus in Hiſpania proſperè geſtis pauperrimus deceſſiſſet. *Frontin. lib.* 4. *c.* 3. Ariſtidis, viri de Rep. optimè meriti, cæterùm pauperis admodum defuncti, filias è Prytaneo Athenienſes

enſes ſponſis tradidiſſe, publicè nuptias civitate paciſcēte, dotisq; nomine utriq; tria drachmarū millia decreviſſe, tradūt. Lyſimacho etiā filio ej⁹ minas argēti C. totidēq; telluris conſitæ jugera populus dedit, & quaternas in ſingulos dies drachmas. *Plutarch. in Ariſtid.* Captis Vejis ſeptena jugera agri, nec non bina in Latio, terna verò in Falerno militi à Romanis data ſūt, cùm Latinus ager Privernati additus, & Falernus Cāpanis ereptus bello eſſet, *Blōd. lib.* 6. Iidē viris fortiſſimis Mutio Scęvolæ prata trās Tyberim, & Horatio Cocliti tātùm agri aſſignârūt, quantū uno die circūaraſſet. *Livius lib.* 2. M. Valerio poſt Sabinos gemino ꝓlio fortiter ꝓfligatos pręter triūphos populus Romanus domū in palatio ædificavit publicam, tali privilegio, ut cōtra ſeculi illius cōſuetudinē, fores tātùm extra ædē rejicerentur, ita ſemper eū de publicò participare ſignificātes. *Plut, in Poplicola.* Pōpejus victo Mithridate & Tigrane ſingulis militibus mille & quingentas drachmas Atticas ꝑdæ nomine diviſit: cæteris ducibus ſua cuiq; ꝑmia, tā largâ pecuniarū copiâ, ut ad ſexdecim millia talētorū

ea largitio abſumſerit. *Sabellicus lib. 4. Ennead. 6.* Juli⁹ Cęſar veteranis legionibus prędę nomine in pedites ſingulos ſup bina ſeſtertia, quę initio civilis tumultus numeraverat, in equites vicina quaterna millia nummûm dedit. Aſſignavit & agros, ſed non continuos, ne quis poſſeſſorum expelleretur. *Sueton.* Solet nãque magiſtratus in præmium victoriæ militibus prædam ab hoſtibus concedere, quæ in rebus propriè tantùm mobilibus & ſe movẽtibus cõſiſtit, ut aurum, argentũ, gemmæ, veſtes, arma, ſuppellex, homines, pecora. Reliqui gratitudinis modi tot ſunt, quot officia hominis erga hominẽ eſſe poſſunt. Erga bene meritos enim gratus quoq; eſt magiſtratus eoſdẽ conſolando, liberando, defendendo, lugendo, ſepeliendo, jus civitatis, vectigalium, nundinarum, privilegiorum dando, officiaq́; præſtando quæcunque alia. Nec poſtremæ notæ gratitudo eſt, in immunitatibus ab oneribus publicis, quas concedere magiſtratus ſubditis ob præclara merita interdum aſſolet. Eccleſiaſtici ordinis q̃ ſunt, legibus Imperatoriis

Romanorum ab oneribus tam patrimonialibus,quàm perſonalibus , & ipſi & conjuges ipſorum cum liberis ac miniſtris immunes pronunciantur. *l.* 1. 2. 3. 6. 52. *C. de Epiſc. & cleric.* Medici quoque & maximè Archiatri vel ex Archiatris, Grammatici & Profeſſores alii literarũ & doctores legum unà cum uxoribus & filiis, nec non & rebus,quas in civitatibus ſuis poſſident, ab omni functione & ab omnibus muneribus,vel civilibus, vel publicis,liberantur,ut neq; in Provinciis hoſpites recipere,nec ullo fungi munere cogantur. *l.* 6. *& l.ult. C.de Profeſſ.& Medic. l. ult. §. ult. D. de Munerib. l. ſi duas* 6. *§.* 1. *&. ſeqq. D. de excuſat.* Bonarum artium ſtudioſis, ut aliorum onerum publicorum, ita vectigalium non ſolvendorum,tã pro ſe, quàm pro libris , quos in peregrinatione circumvehunt,conſtitutione Friderici Imp. data immunitas, *C. Ne filius pro patr. Oldendorp. de jur. ſingul.* Nec militum veteranorum & præſtantiorum mechanicorum pauciores momentiq; levioris in Romano jure extant immunitates: *de quib. vide tit.* 47. 54. 55.

54. 55. 64. *lib. 10. C. tit. ult. lib.* 49. *& tit.* 4. 5. 6. *lib. ult. D.* Ita Hadrianus Imp. cùm intelligeret quoſdam, qui Romæ docuiſſent, propter ingraveſcentem ætatem muneri amplius ſatisfacere non poſſe, ætatis & diuturnæ profeſſionis ratione habitâ, eos divitiis honoribusq́; cumulavit, & vacare vitæ reliquum juſſit. *Pontan. de Liberalit.* 11. Spartæ cives erant, qui ἀγαθοέργοι benemeriti dicebantur, equeſtriq; militiâ defuncti tandem quinti quotannis vacationem muneris conſequebantur. *Plut.* Cyrus Perſarum Rex quadam in expeditione regione deſertâ, cũ exercitu in maximas commeatus anguſtias redactus, cum Arimaſpi triginta millia curruum frumento onuſtorum adduxiſſent, deinceps gentem illam ab omnib. tributis liberam cõſtituit, & pro Arimaſpis, Evergetas appellavit. *Diod. lib.* 17. Theodoricus Rex Arelatenſibus, eò quòd obſidionem cum graviſſima fame fortiter pertulerant, tributum remiſit. *Caſſiod. lib.* 3. *c.* 32. Unà cum matrimonio filiæ ſuæ ampliſſimiſq; pollicitationibus immunitatis quoque à tributis præmi-

præmium Saul Judæorũ Rex propoſuerat illi, qui Goliathum Philiſtæũ occidiſſet. 1. *Sam.* 17. *v.* 25. Pœnarum moderatio etiã privilegium quoddam & immunitas eſſe videtur illuſtribus optimeque aliâs de republica meritis viris indulta, veluti de Scipione peculatus damnato Tib. Sempronius Gracchus Trib. plebis pronunciavit: Cùm L. Corn. Scipio Aſiaticus triumphans hoſtiũ duces in carcerẽ conjectaverit, alienum videtur eſſe à dignitate Reip. in eum locum Imperatorẽ populi Romani duci. *Liv.* 8. *Decad.* 4. *Val. Max. lib.* 4. *c.* 1. *Gell. lib.* 7. *c.* 19. Officii enim publici reverentia & merita quoddam pœnæ levamentum afferunt delinquenti *l. Capitalium* 28. §. 2. *D. de Pœnis. Gothofr. in not. ad rubr. C. de Decurion. Gail.* 2. *Obſ.* 110. *n.* 14. Dúmodo qualitas delicti ex dignitate & officio perſonæ incrementum non accipiat. *Gail. ibid. n.* 45.

Et quia magna eſt Gratitudinis cum Juſtitia affinitas vera æſtimatio meriti & prẹmii à Magiſtratu prudẽter inſtituẽda, quæ ex omnibus circũſtãtiis deſumitur,

& vo-

& vocatur proportio Geometrica. *Bodin.lib. & c.ult.de Rep.P.Gregor.*10.*de Rep.* 2.*n.* 14. Nã & perſonæ interdũ ſplendor meritum reddit auguſtius, nec qui bene meritus dives tã nũmis,quibus abundat,quàm laude & honoribus cumulari gaudet. Meriti quoq; finis & propoſitum præmii valorẽ auget,aut minuit:& quod tẽporis articulo admodũ periculoſo factũ eſt bene, majorẽ retributionem repoſcit. Quinimò meritum ipſum in re ſæpè tam præſtanti tamq; nobili conſiſtit, cujus amplitudinem non niſi ingenti ſummâq; gratitudinis cõtentione adſequi & recompenſare poſſis. Sed ubiq; ad circumſtantiarum lancem meriti pondus appendendum eſt, quo probè exacto, præmii æqualitatem, quantum poteſt, gratitudo reponat. Ludovicus X I. Galliæ Rex ſaltuario cuidam ſibi noto rapum beneficâ ſimplicitate offerenti mille aureos rependit : nobili aulico , qui ad ſimilem gratitudinem provocandam gene-

generoſum equum regi donaverat,rapũ iſtud ſindoni involutum interq́; regios theſauros repoſitum reddi juſſit: atq; ita non ingenuâ mente profectam liberalitatem pari aſtu eluſit, rapum mille aureïs æſtimans, quos ante veræ virtuti præſentes numerârat. *Corrozet. de dict. & fact. memorab.* Socrates præmia decreta iis, qui in Olympiis aut Nemæis viciſsēt contraxit, eaq; majora decrevit iis, qui in bello pro patria fortiter occubuiſſent: dicens illos,& dum exercētur, magnis impendiis exerceri, & ſi vicerint, magis adverſus patriam, quàm adverſus hoſtes, coronari,& cùm ſenuerint,ad nihil utiles evadere, haud aliter, quàm detrita pallia, ut qui nec bello ſint utiles, nec gerendæ Reip. accommodi. *Laërt. lib,* 1. Etiam in præmiorum diſtributione ut prudenter fiat, & gratia diutius animo inſideat, per gradus quoſdam & cum tractu præmia interdum ſunt ſenſim inſinuanda, non uno quaſi impetu effundenda.

Carceres quoq; certos, intra quos gratitudinis ſuæ curſum coërceat, metamq; quo-

quouſque permittat, magiſtratus ſecum animo deſtinet, ne meritorum recompē-ſatio facultatibus major ſuſcipiatur, aut in paucorum merita immodicè tantum profundatur, quantum Reip. conditio partiri inter plures ſuadebat. In monarchia quidem gratitudinis cauſſâ ſummi honores nunquam communicandi cum aliis, unde regni æmulatio naſcitur. *Petr. Greg 22. de Rep. 9.* Communem principatus cuſtodiam Ariſtoteles facit, neminem unum magnum facere. 5. *Politic.* 11. Periculoſum Tacitus judicat privati hominis nomen ſupra (imò & juxta) principis attolli. *In Agricol.* Neque immunitates à publicis oneribus paſſim tribuendæ ita, ut reliquorum cervicibus onus intolerabile imponatur; *Nov.* 43. *Petr. Gregor. 3. de. Rep. ult. n. ult.* Imò hujusmodi; quę contra leges, contraque publicam utilitatē privati à magiſtratibus ſæpe extorquent, vel eblandiuntur, non oportet gratiâ ſed odio digna judicare, nec verborum interpretatione augere. *l. nec damnoſa 3. C. de precib. Imp. offerend l. ſi quando. 35. C. de inofficioſ. teſtam. Gail.*

a *obſ.2.n.14. & de Arreſt. Imp. c.11. n.2.* Hinc omnibus ferè principum beneficiis, largitionibus, immunitatibus, privilegiis, hæc verba ſubjiciuntur: Quod ſine meâ aut alterius fraude fiat. *Bod.1.de Rep.* 8. Prudenter Bodinus: Cùm reip. interſit quid quiſq; pecuniarũ aut beneficiorum quæ quiſq; præmia ac privilegia conſequatur, accuratiſſimè in eo genere magiſtratibus eſt incũbẽdum, ac potiſſimũ in popularibus imperiis, in quibus cùm publica õnia õniũ direptioni patent, tũ verò ſeditioſis hominibus ob eã cauſam ꝑturbãdæ Reip. occaſio datur. *3. de Rep.* 4.

Sic, opinor, & Gratitudinis ampliſſimæ virtutis penitralia politices ac hiſtoriarũ ſtudioſis reſeruimus, ut nunc porrò cõjicere facile ſit, & quæ ratio publicorum præmiorum in Rebuſpub. bene conſtitutis ſemper fuerit, & quæ non minus hodie à prudentibus politiarum rectoribus ſuſcipienda ſit.

Quãtò igitur magis Gratitudo citra expreſſum juris conventi vinculũ ſolo honeſtatis & æquitatis inſtinctu officia officiis, beneficia beneficiis compenſare cõ-

tendit

tendit, tantò etiam vicinior illi officioſarum virtutum familiæ eſt, cui & proximè ſucceſſit. Nunc JUSTICIA & ipſa quidem meritis ducitur, quorum retributioni inſiſtit, ſed ita, ut hoc non tam ſponte faciat, quàm ob debitum facere cogatur. Merita in Gratitudine compenſationis magis occaſionem præbent, in Juſtitia etiam neceſſitatem important, propter intervenientem certum obligationis nexum. Adhæc gratitudine, etſi difficulter, minori tamen damno ſocietas humana careat, quàm Juſtitia: quòd in gratitudine officia quidem inter homines elangueſcunt & frigent, Juſtitiâ verò è medio ſublatâ, arx ipſa humanæ ſocietatis expugnatur, fides commerciorum omniſque honeſtas funditus interit, fraudes, expilationes, ſcelera omnia cõſequũtur. Ad juſticiã igitur publicam, quã ſuprâ magiſtratus propriã conſtituimus, hęc quoq; juſticia cõmunis accedit, ex cujus præſcripto magiſtratus unà cum omnibus communiter hominibus, pro ſua tamẽ conditione, cuiq; ex debito tribuere ſuum diſcit, ad ſocietatem huma-

nam conſervandam. Licet enim Juſticia diſtributiva maximè propria eſſe magiſtratus videatur, & verò in ea exercendâ aliud publicam, aliud privatam perſonã deceat: ſui tamẽ naturâ ita cõparata eſt, ut quilibet etiã privatus, pro ea qua eſt conditione, illam exercere inter ſuos poteſtati ſuæ qualitercunque ſuppoſitos & poſſit et debeat, ut vitiis pœnarũ acerbitate ubiq; exſtirpatis, bonis beneſit atq; commodè.

Cùm verò debitũ illud, ex quo à magiſtratu ſuũ cuiq; juſtè tribuendum eſt, vel conſenſu certâq; cõventione, vel delicto inter homines cõcilietur, quorum illud in commerciis, hoc in offenſione facto vel verbis contra jus illatâ puniendâ verſatur: duplex inde juſticia eſt, una Commutativa, Diſtributiva altera. Quã duplicem juſticiam ſignificârunt veteres, cùm juſticiæ imaginem alterâ manu librare lancem, alterâ ſtrictum vibrare enſem effinxerunt.

Nam & magiſtratus in cõtractibus & cõmerciis per Juſtitiam COMMUTATIVAM ita agere cũ proximo ſuo debet,

bet, uti ipſemet ſecũ agere alios, ſi eo loco eſſet, cuperet, ut æqualites ſervetur. Nemo enim principali authoritate circumſcribi ac decipi debet. *l.1 C. de his qui veniam ætat. impetr*. Nec calũniæ facultatẽ ex principali majeſtate capi oportet. *l. pen. D. de hæred. inſt* Sed fiſcus communi hominũ jure utatur. *l. in facto 6. inf. D. de condit. & demonſtr. l. 2. inf. D. de alimẽt. l. cum fiſco. 9. D. de SC. Silanian*. Nec magiſtratus niſi inſigni aliqua neceſſitate urgẽte publicâ ad rem faciendã Monopoliũ in merce peculiari, aut Sortilegiũ in damnũ ſubditorũ inſtituat. *Keckerman. 1 Politic.* 21. Quin & contractibus prædeceſſoris ſui in rem conceptis & legitimè factis ſtare Magiſtratus tenetur, ut quia honorem & dignitatis cõmoda lubens amplectitur, adjunctũm quoq; ei onus ſubeat *Pet. Gregor. 7. de Repub. 20. n. 47. & 60. & ſeqq.* Quæcũq; igitur Magiſtratus ſecundum jus naturæ & probatas leges in negotiis & cõtractibus ad ſocietatis humanæ cõſervationẽ pertinẽtibus ſive cũ ſubditis ſuis & quibuſcũq; privatis, ſive cũ magiſtratibus & Rebuſpub. aliis

cóvenerint, in his ita verſabitur, ut nihil magis quàm æqualitatem ſpectet, hujus cauſsâ interdum etiam ab expreſſa contractus lege in ſubitis & inopinatis caſibus, & infortunio eorum, queîs cum ipſi res eſt, diſcedere & juris ac conventorum rigorem ad æquitatem reducere non dubitet, ne alienâ calamitate ad ſuũ incrementum abutatur. Ita namq; agi ſecum vellet, ſi quid fortè adverſi accidiſſet: nec æquali tas tum conſtiterit, ſi æquitati locus nullus concedatur. Æqualitatem cùm dico, ejuſmodi proportionem intelligo, quâ uni parti contrahentium non plus minuſve accedit, quàm alteri, nec ullâ ratione cum alterius detrimento commoda alterius ædificantur: quæ proportio Arithmetica eſt. *Ariſtot.* 5. *Ethic.* 2. *Bodin. lib.* 6. *c. ult. de Repub. P. Gregor.* 10. *de Repub.* 2. *n.* 13. Hanc in contractibus ut ipſe teneat Magiſtratus & ſuos obſervare ſubditos doceat, probam monetam, certi ac juſti valoris atq; ponderis ex eo metallo & materiâ, quam loci aut temporis conditio uſusq; & opinio hominum æſtimabilem facit, in ſuâ ditione publicè habeat. Nummus enim eſt men-

ſura contractuum, juſtiſſimum cõmerciorum inter homines inſtrumentum. Initio quidem rerum is non fuit, aut aliqua mercium & precii diſtinctio, ſed unusquiſq; ſecundum neceſſitatem temporum ac rerum utilibus inutilia permutabat, quando plerunque evenit, ut quod alteri ſupereſt, alteri deſit. Sed quia non facilè nec ſemper concurrebat, ut cùm tu haberes, quod ego deſiderem, invicẽ haberem, quod tu accipere velles, electa materia eſt, cujus publica & perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum a-æqualitate quantitatis ſubveniret, eaq; æ materia formâ publicâ percuſſa uſu dominiumq; non tam ex ſubſtantia præbet, quàm ex quantitate. *l. 1. D. de contrahen. emt. Ariſtot. 1. Polit. 9. Marquard. Freher. de re monetar. P. Gregor. 9. de Repub. 1. n. 31.* Antiquiſſimum juxtà & legitimũ monetæ uſũ demonſtrat hiſtoria Abrahami, probato numiſmate argẽteo certi ponderis agrum ſepulturæ à Republic. Hethæorum redimentis *Geneſ. 23.* Tempore Claudii Imperatoris Romamani monetæ publicè cudendæ popoteſtatem, nequaquam privatis

faciebant, ſed in tanto Imperio unam tantū monetarum officinam habuerūt, Junonis tēplum, in quo Tresviri monetales trium metallorum, auri, argenti, æris, nummos ſine ulla miſtura ſignabant. Præterea Marii Gratidiani Tribuni plebis rogatione ſcholam conſtitui placuit, in qua nummi probarentur. Carolus Magnus Imp. omnes monetarum officinas, in Palatium coegit, quo ſeveriùs & accuratiùs nummi fabricarentur ac probarentur. *Bodin. 6. de Repub. 3.* Ex numiſmatum Romanorum integritate, quòd ipſorum denarii licet diverſis temporibus à pluribus facti, pares tamen pondere eſſent, Indi ante incogniti ipſorum ſapientiam & juſtitiam conjectantes, per legatos ad amicitiam provocârunt. *Plin. lib. 6. c. 22.* Apud Ægyptios ei qui monetam circumcideret, aut adulterinam cuderet, aut pondus vel ſigna immutaret, aut falſis literis inſcriberet, ambæ amputabantur manus, ut quæ corporis pars peccâſſet, per univerſam vitam lueret pœnam; cæteri quoque illorum calamitate moniti, à ſimili ſcelere abſtinerent.

nerent. *Diodor. Sicul. lib.* 1. *c.* 6. Imperatorum Romanorum conſtitutionibus in ejuſmodi falſatores cremationis pœnâ animadvertitur, *l.* 2. *C. de falſ. monet. Cōſtitut. Carol. art.* 3. Utile quoque in Repub. ut Magiſtratus in gratiam pauperū ad res etiam viliores emendas monetam in minutiſſimas partes dividat. Par juſticię ſtudium in menſurarum, ulnarum, & modiorum, & in ponderum conſtanti ratione à Magiſtratu ponendū. Othocarus Boëmorum rex pondera & menſuras partim varias & inter ſe diverſas, partim fraude doloque nonnullorū vitiatas ad unum æquabilemque modum revocavit. *Dubravius lib* 17. Baſilius Macedo Imp., ut pravis hominibus maleficii occaſionem eriperet, numeros, quibus aſſis partes deſignantur, non ut antea, notis, ſed literis imprimi juſſit, quas etiam ruſtici legere poſſent, & de ſuo ſūtus in chartas, literas, atque ſcribas ipſe ſuppeditavit. *Cedren.* Juſtiſſimà eſt imperatoris Juſtiniani ſanctio *in Novel* 128. *c.* 15. Eos, inquit, qui publica tributa exigūt

juſtis põderib⁹ & mẽſuris uti prçcipim⁹; ut neq; in hoc noſtros tributarios lædãt. Si autem collatores putant gravari ſe ſive in menſuris, ſive in ponderibus, habeant licentiam ſpecierum quidem menſuras & pondera à glorioſiſſimis Præfectis, auri verò & argenti & reliquorũ metallorũ pondera à glorioſiſſimo pro tẽpore Comite ſacrarũ largitionum accipere, & has mẽſuras & põdera in ſanctiſſima uniuſcujusque civitatis Eccleſia ſervari, ut ſecundum ea & gravamen collatorum & fiſcalium illatio & militares & aliæ expenſæ fiant. De ſtateris adulterinis quæ annonam onerant divus Trajanus edictum propoſuit, quo pœnam legis Corneliæ in tales ſtatuit, perinde ac ſi teſtamenti corrupti damnati eſſent. Sed & D. Hadrianus eum, qui falſas menſuras habuit, in inſulam relegavit. *l. annonam 6. D. de extraord. crimin. l. penult. D. ad L. Cornel. de Falſ.* Ad ſtipendiorũ & mercedis pactæ ſolutionem hæc juſtitiæ commutativæ norma Magiſtratum ducit: ne doctoribus, profeſſoribus,

ac prę-

ac præceptoribus in Eccleſia & ſcholis, conſiliariis, militibus, Reipub. miniſtris aliis, ſalaria deſtinata iniquâ morâ protrahuntur, ſed tempeſtivè & cum fide numerentur. Conſtantinus Imp. Philoſophis & facultatum Doctoribus ſuas mercedes & ſalaria reddi jubet, quò facilius liberalibus ſtudiis & artibus multos inſtituant. *l. medicos 6. C. de profeſſor.* Athalaricus rex ad Senatum Romanũ ſcribens, Cognovimus, inquit Doctores Eloquentiæ Romanæ laboris ſui conſtituta præmia non habere, & quorundam nundinatione fieri, ut ſcholarum magiſtris deputata ſumma videatur imminuta. Quaprópter cùm manifeſtum ſit præmium artes nutrire, nefas judicavimus, Doctoribus adoleſcentium aliquid ſubtrahere, qui ſunt potiùs ad glorioſa ſtudia per commodorum augmenta provocãdi. *Caſſiodor. lib. 9. variar. Epiſtol.* 21. Alphonſo Areſtino duci Ferrarienſi hanc laudem adſignat Jovius, quòd creditor maluerit quàm debitor haberi. Ideoque militi ſua sẽper ſtipẽdia incorruptâ fide

ad diem perſolvit, & numquam optimarum artium profeſſoribus, qui in Gymnaſio juventutem docebant, conſtituta præmia retardavit. Sic enim ſibi cùm ſecuritatis tum dignitatis ſuæ rationem conſtare exiſtimabat: quarum alteram fide militum parari, alteram autem præclarâ florẽtis Gymnaſii exiſtimatione ſuſtentari arbitrabatur. Imperatorum Romanorum ſanctiones militibus eorumq; defunctorum uxoribus & liberis, ut & cæteris miniſtris publicis, ſine ullo dolo & fraude adſignatam annonam & pecunias à juratis erogatoribus juſto tempore præſtari mandant. *tot. tit. C. de erogat. militar. annon. & in primis l. jubemus 16. in princip. & fin.* M. Antoninus philoſophus Imp. ut militibus debitum ſtipendium exſolveret, omnia aurea vaſa, argentea cryſtallina, & myrrhina cum omni ſuppellectile imperatoriâ ornatuque conjugis, publicè vendidit. *Sabellic. lib. 4. Ennead.* 7. Peſcenninus Niger cùm Galliam regeret, imperante Septimio Severo, tribunum lapidari juſſit, qui militum ſtipendia decimârat. *Fulgoſ. lib. 6. c. 3.* Jo-

c. 3. Joas rex Judæ templi Hieroſolymitani ruinas refecturus, mercedem operariorũ & artificum, cuiq; debitam, numerari præſentem optimâ fide curavit. 2. *Reg.* 12. 2. *Chronic.* 24. In emendo juſtus David Iſraëlitarum rex aream Araſnæ Jebuſitarum regis captivi nõ niſi certo precio accipere voluit. 2. *Samul. ult*; 1. *Chronic.* 22. Tantum abeſt, ut Themiſtocles fundum venditurus quem decipere conaretur, ut cæteris fundi commoditatibus & illã à præcone adjici juſſerit: Quòd haberet bonũ vicinum. *Plutarch. in Apophtheg.* Q. Mutius Scævola, is, qui Proconſul Aſiam provinciã tantâ integritate adminiſtravit, ut in poſterum in eam provinciam ituris Magiſtratibus exemplum atq; forma officii Scævola proponeretur, cùm fundi cujuſdã precium minoris ſtatui videret, quàm ipſe emturus æquum putavit, contractui centum millia ultrò adjecit. *Rutil. in eius vit.* Q. Fabius Maxim⁹ captivos ab Hannibale certâ nummorum pactione receperat, qui cùm à Senatu non ſolverentur, miſſo in urbem filio, fundum, quem u-

nicum poſſidebat, vẽdidit, ejusq; preciũ in caſtra relatum juxta legẽ contractus Hannibali protinus numeravit. *Valer. Max. lib. 4 c. 8 Plutarch in Fab.* Cùm verò Magiſtratus pleriq, inferiores poteſtate publicâ armati Imperiiq; terrore formidabiles cõditionib⁹ ſæpe iniquiſſimis cũ ſubditis cõtrahẽdi facultatẽ arripiant, & ſalubritatẽ atq, integritatẽ officii ad perniciem & injuſtitiam erga minores uſurpent: Romana Reſpub. conſtituit, ne ullis officiorum publicorum adminiſtris in Urbe & in primis in provinciis, eorũq; domeſticis & cõſiliariis vel domũ exſtruere, vel ullam rem emere, niſi fortè victus quotidiani cauſſâ, aut permittente principe, fas eſſet, etiamſi poſt adminiſtrationem finitam conſenſus diſtrahentis aut quinquennale tempus elapſum exſtiterit: ſed Imperio peregrè functos nõ prius redire in urbẽ cõceſſit, quàm in certis locis ſui copiam publicè per quinquaginta dies feciſſent, ut cuivis inique habito rem ſuam ab ipſis repetere liceret *tot. tit. C. ut omn. judic. tam civil. quàm militar, cum*

Novel.

Novel. 95. & tit. C. de cõtract. judic. l. penult D. ad L. Jul. repetũd. l. aufertur. 46 ſ. 2. D. de jur. Fiſc. Si quos verò debitorum mole depreſſos, neceſſitas publicę rationis adſtringat proprias diſtrahere facultates, Valentinianus, Theodoſius, & & Arcadius Impp. reſcripſerunt, ut rei qualitas & redituum quantitas æſtimetur, ne ſub nomine ſubhaſtationis publicæ locus fraudibus relinquatur & poſſeſſionibus viliori precio diſtractis plus exactor ex gratia, quàm debitor ex pretio, conſequatur. *16. C. de reſcind. vendit.* Eademq; Gordiani Imperatoris eſt ſentetia, ut ſi minori precio, quàm res eſt, apertâ fraude ẽtoris vel gratiâ, quę obligata ſunt fiſco, venierint, aditus procurator fiſci quãtitatem debitam inferenti reſtitui prædia jubeat. *l. 5. C. de jur. Fiſc.* Alcamenes Telecri filius cuidam percunctanti, Quo pacto quis optimè regnum ſervare poſſet? Si lucrum, inquit, non magni fecerit. *Eraſm. lib. 1. Apophtheg.* Auguſtus Cæſar pædagogum miniſtrosq; Caji filii, per occaſionem valetudinis mortisque ejus, ſuper-

ſuperbè avareq; in provincia graſſantes, oneratis gravi pondere cervicibus, præcipitavit in flumen. *Sueton.* Crenitam Chaldiæ in Calabria præfectum, qui vili precio coëmens omnia ad vitam ſuſtinendam neceſſaria, magno poſtea ſubditis vendidit, qui, quòd bello premerentur & auro abundarent, libenter precium quodvis perſolvebant, Conſtantinus Porphyrogenitus Imp. officio dejectú, ademtâq, pecuniâ conſeneſcere & mori infamem juſſit. *Cedren.* Eandem juſtitiæ laudem collegium Tribunorum Romæ tulit, quòd, cùm unus ex eo L. Cotta fiduciâ ſacroſanctæ poteſtatis creditoribus ſuis nollet ſatisfacere, decrevit: Si neq; ſolveret pecuniam, neq; daret, cum quo ſponſio fieret, appellantibus ſe creditoribus auxilio futurum: iniquum ratum, majeſtatem publicam privatæ perfidiæ obtentui eſſe. Itaq; Cotta in tribûnatu, quaſi in aliquo ſacrario, latentem tribunitia inde juſtitia extraxit. *Valer. Max. lib. 6 c. 5.* Hâc juſtitiâ dictitante Magiſtratus bona ſumtibus & nomine univerſæ Reipubl. bello parta publica eſ-
ſe ſi-

ſe ſinet, ne quod univerſitatis contributione ac intuitu, publicisq; regni auſpiciis adquiſitum, privatis unius aut paucorum commodis cedat. In hunc locũ referendi legitimi contractus & commerciorum inter homines genera alia omnia, commodatum, emphyteuſis, depoſitum, pignus, ſocietas, mãdatum, ſtipulatio, fidejuſſio, permutatio, negotiorum geſtio, hæreditatis & rei cujuscunq; alterius diviſio &c. in quibus ſingulis juſtitia commutativa Magiſtratus ita occupata eſſe debet, ne cum alicujus læſione juſtitiæ lanx ullam in partem inclinet, ſed paribus utrinq; ponderibus examen in æquilibrio conſiſtat, juxta naturæ mutuæq; dilectionis legem, quam Severus Imperator tantoperè ſuſpexit, ut in palatio paſſim alicubi etiam publicis monumentis incidi curârit: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. *Lamprid.*

Juſtitia Magiſtratus DISTRIBUTIVA pænas delinquentibus condignas irrogat. Cũ enim multitudinis hæc ſit conditio, ut neceſſitati potius, quàm ratio-

rationi & pænis, quàm honeſtati pareat, inſtar jumentorum, animadverſionibus & pænis coërcenda eſt. *Ariſtot.* 10. *Ethic.ult.* Ut quos ipſa natura retinere in officio non poteſt, ii magnitudine pœnæ, maleficio ſubmoveãtur, *Cic. pro Roſcio.* Eaq; optima eſt civitatis gubernãdæ ratio, cùm injuſti dãt pœnas, nil impunè quidquã cuiq̃ eſt, exitio, carcere, verberibus, infamiâ, ære, capite, ſontes puniuntur, *Plat. 2. & 9. de LL.* nec tantùm decẽtes leges ferũtur, ſed etiã ſancitę accuratè cuſtodiuntur, & ad effectũ deducũtur, trãſgreſſores cõpetentibus pœnis ſubjiciũtur. *Novell.* 161. nõ quidẽ ob præteritũ facinus, quod infectũ fieri ãplius non poteſt, ſed propter futurũ, ne qui alteri injuriã fecit, tale quid iterũ cõmittere audeat, cęteri quoq; à vitiis deterreantur. *Ariſtot. 7. politic.* 13. Ideò Romæ noctu ſumere ſupplicium de nocẽte non licebat: quia nota eſſe ſupplicia, ad aliorum facere emendationem, cenſuere, *Alex. ab Alex. lib. 5. c.* 3. Ut nãq; in corpore, ſi quid ejuſmodi eſt, quod reliquo corpori noceat, uri ſecariq; patimur, ut mẽbrũ

aliquod

aliquod potius,quàm totũ corpus intereat: Sic in Reip.corpore,ut totũ ſit ſalvũ qdquid eſtpeſtiferũ ãputãdũ eſt. *Cic.8. Philip.* Et hortulani noxias herbas tollũt, ut herbis utilibus incremẽta cõciliẽtur. *Saxo lib.14. Danic.hiſt.* Neque inhumanitas hoc, ſed potius sũma quædã humanitas eſt,cũ multi paucorum animadverſione ſalvãtur. *Novell 30.c.12.* Nec ſolũ futurorũ maleficiorũ iſta eſt inhibitio,verũ etiã cõſolatio læſorũ. *Plutarch. de ſer.nũ.vindict.* In eã ſentẽtiã Valẽtinianus,Theodoſi⁹,& Arcadius Impp.reſcripſere: Animadvertimus à facinoroſis cõtaminari gaudiũ lętitiãq; publicã, ſi dimittãtur. *l. 3. C. de Epiſc.audiẽt.* Accedit mãdatũ divinũ, quo Magiſtratus jubẽtur auferre sãguinẽ noxiũ & juſto abſoluto cõdemnare improbũ. *Deuteron.19 v.13 c.25.v.1.* Hinc Spartæ Timoris templum juxta tribunal Ephori collocârunt, cùm Rempub. nullâ re magis, quàm metu corrigi putarent. *Alex.ab Alex. lib. 2. c.4.* Digna juſto Imperatore vox fuit Henrici IV. Imperatoris ad legatos Saxonum: Defendãinjuriâ affectos, & nemo meã ſępẽ

fruſtra

fruſtra implorabit, modò innocens ſit. Sed qui inopes & pupillos defendo, pacẽ ſervari jubeo, latrocinia prohibeo, in eo officio meo ſatisfacio & pietas eſt id feciſſe, non injuria. A Deo enim princeps conſtitutus ſum, & enſem fero, ut ſceleſtos puniam, & bonos ac concordiæ amantes defendam. *Avent. lib.* 5. Quod ex Apoſtoli & Spiritus ſancti mẽte dictum, qui, Principes, inquit, nõ ſunt timori bonis operibus, ſed malis. Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ab illa. Dei enim miniſter eſt, tibi in bonum, ſin autem malum feceris time. Nõ enim ſine cauſſa gladium portat. DEI enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malè agit. *Roman.* 13. *v.* 3. 4. Hinc adeò Maximilianum Imperatorẽ, hujus nominis primum, loca ſuppliciis ſontium deſtinata, venerabundum prætererire ſolitum, ferũt, cum hac voce: Salve ſancta juſtitia. Pro juſtitiæ hujus conſervatione ſontes in alienum territorium confugientes à Magiſtratu loci aut puniendi, aut (quod interdum etiam pacto inter Magiſtratus cautum eſt) ad priorem

orem Magiſtratum remittendi. Ac ne ullo modo pęnarum in delinquentes exſecutio nequiter & malitiosè extrahatur cauſſæ criminales capitales neq; per viam ſimplicis querelæ neq;per appellationẽ in Camera Imperiali Germaniæ, niſi fortè ratione nullitatis proceſſus,recipiuntur, quæ ſi accuſetur, ſummariè & de plano per inſpectionem actorum abſq;litis conteſtatione & ſine ordine judiciario proceditur. *Conſtit. Imp. de anno* 1530. *§. item* Alß jetzt ettlich zeit *Ordinat. Camer. part.* 2. *tit.* 28. *§.* 5. *Gail.* 1 *obſ.* 1. *n.* 27. *& ſeq. Mynſig.* 4. *obſ.* 41. 42. *VVurmſ. tit.* 24. *obſer.* 18. Hinc & jura civilia Romanorum Magiſtratus jurisdictioni, in cujus territorio crimen commiſſum eſt, & delinquens deprehenditur ad pœnam ſubjiciunt eum, qui aliàs ſubditus nõ eſt. *Gail.* 2. *obſ.* 36. *n.* 14.

Pœnarum itaq; publicè conſtituendarum & irrogandarum jus ac poteſtas regulariter tantùm eſt penes Magiſtratũ ſummum; uti apud Romanos in ſtatu populari populus, in monarchico ſoli Imperatores definiebant, quę pœnæ quibus de-

bus delictis imponendæ eſſent, quas etiam Magiſtratus inferiores delictis ordinariè infligerent, aut certè ab his expreſſis non multum diſcederent, ſi delicti circumſtantiæ mitigationem aut exacerbationem pœnę ſuaderent. Nam & à populo, & deinde ab Imperatoribus, juriſdictio criminalis, inferiorũ Magiſtratuũ nõnullis cõceſſa legitur. Senatusquidẽ juriſdictio in Democratia Romana non niſi extrordinaria fuit, in cõjurationibus adverſus Rempub. & in criminibus aliis ſtatum publicum concernentibus, aut in caſibus his, in quibus populus cognitionem habens, eum ad Senatum remittebat. Conſulum verò poteſtas fermè Regia pace belloq; fuit: ſic tamẽ, ut in caput civis Romani animadvertere injuſſu populi non poſſẽt, coërcere quidem poſſẽt, & in vincula publica duci jubere. Procõſules quoque cum Imperio cõſulari provincias adminiſtrantes criminum coërcitionem habebant. Poſtea Imperatores ſummam rerum judiciorumq; proximè à ſe cõmiſerunt Præfecto prętorio: Pręfecto itidẽ Urbi, crimina vel in ipſa Urbe vel intra centeſimũ lapidẽ admiſſa pu-

niendi, nec non provinciarum Præſidibus jus damnandi in metallum & adimendi vitam, non autem ſecuri, aut telo, aut laqueo, neque jus deportandi, vel confiſcandi ab Imp. datum. Ab iiſdē Vicarius parē cū Præfecto Prætorio, præfectus Auguſtalis Parem cum Proconſule poteſtatem accepit: ſed & Rector provinciæ, jus mulctæ dicendæ habuit. In municipiis verò ſoli Defēſores plebis de levioribus criminibus cognoſcere poterant, majoribus ad Præſidem remiſſis, *D. Vult.* 1. *Iuriſpr. Roman.* 13. Quorſum verò hæc? Nempè, ut quiſque Magiſtratus Juriſdictionis ſuæ pœnalis ambitum accuratè metiatur, quemcunque Reipub. lex & Magiſtratus ſúmus ipſi deſcripſit. Quippe leges Reipub. Magiſtratui etiā ſummo alicubi non permittunt liberum Reipub. ſtatū ac membrum pro arbitrio pœnis ſubjicere, ſed in eo reliquorū ſimul ordinū adhibere cōſēſū jubēt. Galliæ regem, ſupra oſtēdimus, legibus regni impediri, ne Magiſtratum regni aliū exauctorare poſſit abſque cauſſæ in parium concilio cognitione. Romæ Livius. Druſus Tribunus pl. Philippum

conſulem, quòd ſe in concione interpellaret (id enim capitale erat) obtortâ gulâ in carcerem egit: alius item duos conſules cuſtodiæ publicæ addixit, quòd rogantibus Tribunis decem civibus vacationem à militia concedere noluiſſent. *Bodin. 3. Repub. 3.* Ab Ephoris Spartanis reges non tantum mulctari ſolitos, ſed capitali etiam ſupplicio nonnullos affectos, Pauſanias refert, *lib.* 4. Nonnunquā inter ipſa Reipub. ejuſdem membra ſibi aliàs nullo jure devincta alterum ſententiam alterius in pœnis capitalibus conſtituendis petere & exequi cogitur: ſicuti Argentina Obernehemii (quæ & ipſa Imperialis urbs eſt in Alſatia) in criminalibus jus dicit. Etiam qui ſub principibus ſunt Magiſtratus plerunq; ſententias capiti & ſanguinis à provinciæ vel aulæ principalis judicibus accipiunt: rarò in talibus liberè decernere ipſiſmet licet. *add. Gail* 1. *obſer. 6. n.9. & ſeqq.* Miniſter autem pœnarum publicarum lege quidem Moſaicâ, etiam in ſuppliciis ultimis, quivis ex populo erat, præſertim teſtes facinoroſum convincentes,

centes, & ſimul univerſa populi multitudo. *Deuteron*.17.*v*.7. Sed hodiè in pœnis corpori infligẽdis, adhibẽtur lictores & carnifices, quorum munus per ſe infame non eſt, niſi fortè ob mores animiq; no■m crudelitatem & fœdiſſima quædam officia alia, quibus tale hominũ genus ferè inquinatur: ut neque Romæ per leges cenſorias carnifici domicilium in urbe habere licuerit. Interim hi in tam neceſſario, ſed pleriſq; inviſo, puniendi officio, adverſus petulantiam & vim incurſantis vulgi tuti atq; ſecuri præſtandi ſunt. *Bodin*. 3. *de Repub. ult. cõſtit. Carol. crimin. artic*. 97. Huc carceres pertinent à Magiſtratu legibus & cuſtodiis muniendi, ut ſint reorum cuſtodiendorum firmum inſtrumentũ. *l*. 1. *D. de effractor. conſtitut. Carol. artic*. 11. 180. & *penult*. §. 3.

Ante omnia autem delicta adverſus publicum religionis exercitium, contraque charitatem divinam admiſſa, blaſphemia, magia, apoſtaſia, ſchiſma, perjurium, ſacrilegium, pœnis vindicanda: puniendi, qui officii proprii

partibus in Repub. deſertis, aut ſocordię & luxuriæ ſe tradunt, aut artibus prohibitis ad rem quærendam utuntur, vagi ſtratiotæ, mendici validi, Zigari, fures, plagiarii, concuſſores, invaſores, graſſatores, prædones, pyratæ, incēdiarii, prodigi, decoctores, ebrioſi: qui ſuam ipſius vitam naturalem, corpus, famam, corrumpunt, lædunt, tollunt, αὐτόχειρες, lenones, Ganeones, ſcortatores, fornicatores, adulteri, raptores, inceſtuoſi, Polygami, Sodomitæ, beſtiales, quibus accedunt percuſſores, homicidæ, venefici, latrones, ambitioſi, Epicurei: qui geſtu, moribus, oratione, cohabitatione, in proximum injurioſi ſunt, ſcurræ, calumniatores, delatores, perfidi, falſarii, deſertores, transfugę, prævaricatores, inquieti, rixoſi: & qui ſocietatem humanam etiam apertiùs impugnant, mortuorum inſectatores, patriæ proditores, maledici, convitiatores, inhoſpitales, ingrati, impoſtores uſurarii, expilatores, annonæ flagellatores, monopolæ, monetæ adulteratores, moratores, iniqui exactores, προσωπολήπται, δωρόφαγοι: deniq;

niq́,officii magiſtratus & ſubditorum everſores, Tyranni factioſi, ſeditioſi,cõtumaces,perduelles. Quæ delicta omnia & quæcunq́ue alia lęſionem contra divina humanaq́ue jura factam continent à Magiſtratu pœnis publicis ſubjicienda, ut religio, honeſtas & humana ſocietas hiſce ſentibus ac dumetis vitiorum eradicatis publicè floreat. *Conſtit. crim. Carol. artic.*106. *&ſeqq.* Tametſi in delictis atrocioribus, quæ maximum periculum habent, etiam conatum, licet effectu non ſubſecuto, puniri jura Romanorum juſtum cenſuerunt. *l. Quisquis* 5. *C. ad. L. Jul. majeſt, l. is qui cum telo* 7 *cum duab. ſeqq. C. ad L. Cornel. de ſiccar. l. in eadem cauſſa.* 3. *D. ad L. Jul, de vi publ. Gothofred. in not. ad l. cogitationis* 18 *D. de pæn. Gail.* 1. *de pac. publ.* 14. *Mynſing.* 3. *obſervat.* 9. *Decius conſil.* 18 *n.*326. *&ſeqq. vol.* 1. Nec ab hac puniendorũ categoria excluduntur, qui maleficium perſuaſerunt, celârunt, juvârunt, *l. nõ ſolũ* 11. *in princ. & ſ.* 6, *l. Item.* 15. §. 8, *&* 18. *D, de injur. l, nihil intereſt,* 15. *D. ad L. Cornel. de*

ſicar, l. ſi quis uxori 52. §. 19. D de furtis. l. 1. §. 3. de ſerv. corrupt. l. ſi quis ſervo. 20. C. de furt. tot. tit. D. de recept. & C. de his qui latron. Gail. 1. de pac. publ. 1. n. 43. 44. & lib. 2. c. 10. Conſtit. criminal. Carol. artic. 177. & ſeq. Interdum delicti atrocitas pœnam etiā in liberos derivat, in quibus paterni criminis exempla metuuntur, *d. l. quiſquis C. ad L. Jul. maieſt.* Romani ut omnia delicta penitus ex ſua Repub. profligarent, ſapientiſſimo inſtituto Cenſores creârunt, qui præter cenſus publici curam ſupremum etiam jus pręcipuamq́; animadverſionem in morum diſciplinam publicam gerebant: cognoſcebāt de jurāento & in perjuros animad vertebant, epularū ſūtus cohibebāt, indignos immeritosq; propter turpitudinē ſordesq́; vitę Senatu vel tribu amovebāt, notisq; & ignominiis afficiebant, aut in Ceritū tabulas referebant, etiam ædilem quæſtoremq́ue faciebant ærarios, qui ſupra ſeptimum & decimū annum equo mereri debuiſſēt, nec militâſſent, equitibus equum publicū adimebāt. Tū illos, qui agrū malè colerēt, aut incurioſè habe-

ſè haberent, perditosq; & profuſos nepotes, parũq; honeſtis moribus vivẽtes, aut verbis incivilibus utentes, inter ærarios adſcribere, de paupertate, orbitate, & cælibatu quærere, & contumaces plectere, denique in omnes omniũ mores inquirere, cũcta, quæ ad publicã diſciplinam facerent, lege editâ ſtatuere Cenſoriæ poteſtatis erat. Ejuſmodi morum præfectum & vitæ magiſtrum publicũ etiam Carthaginẽſes inſtituerunt. *Alex. ab Alex. lib. 3. c. 13.* Venetiis Tresviros cũm cenſoria poteſtate ad cõformandos civium mores, nec nõ Genevæ pro Cẽſoribus Decẽviros, quos ipſi antiqui appellẽt, quaſi magiſtros morũ haberi, qui tantâ ſeveritate vitia caſtigent, ut vix ullum ſcelus tam occultum ſit, quod inultum reperiatur, Bodinus annotavit. Idq; officium cenſorium in Repub. adeò neceſſarium idem ducit: ut cenſuram civitatum gubernatricem virtutum omniũ effectricem, bonorum civium procreatricem, improborum expultricem, appellare non dubitet. *6, de Repub. 1.*

Porrò genera pœnarum, quas uſus po-

pulotum frequentavit, ad tria capita revocari poſſunt, Rerũ, Corporis, Famæ: in quibus vitæ humanæ tũ neceſſitas, tũ honeſtas ſita eſt: ultra quæ homini quod eripi aut accidere grave poſſit, nil ſupereſt. Rerum appellatione hîc non tantùm fortunas & opes, verùm etiam jura comprehendo, quæcunq; in Repub. quis poſſidet. Cujus generis ſunt mulctæ, bonorũ ademtiones, & confiſcationes, ſervit⁹, remi, metallum, ludus, deportatio, bannus, proſcriptio, exilium, relegatio, exauctoratio, depoſitio, degradatio, aratri in urbem inductio, murorum demolitio, privilegiorum ereptio. Corporis pœnæ ſunt, quæ infliguntur corpori, idq; aut citra mortem, aut cum ea. Illiusmodi ſunt, carcer, fames, opus publicũ, verbera, virgæ, notarum inuſtiones, forcipes candentes, membri amputatio. Mortis mille modi ſunt paſſim uſurpati, ſuffocatio, lapidatio, præcipitatio, confoſſio, haſtæ præpilatæ, vivi in terram infoſſio, confractio, quæ fit rotâ, crucifixio, veru, uſtulatio, decollatio, diſſectio, membrorum diſtractio, cõbuſtio. *Cõſtit. crim.*

Caroli

Carol.artic.193.& ſeqq. Quarum tamē pœnarum uſus non ubiq; omniū receptus. Pænarum verò omnium acerrima cenſenda eſt Infamia, quæ exiſtimationē lædit, quâq; notati honores, ſi quos habēt, amittunt, eorumq́; conſequēdorū in poſterum incapaces redduntur, honeſtis hominum conſortiis excluduntur, memoriâ ipſorum interdum etiam poſt mortē damnata. Verùm Politicā infamiā ab Ethica diſtingui oportet: quòd jura Reip. nō sēper pro infami habeāt, qui exiſtimationem bonorum judicio laſam gerit.

At quæ pœna quibus delictis applicāda ſit in ſpecie nullus exprimere legislator potuit, quòd jura certa, facta infinita ſint, circumſtantiarum varietate multiplicata. Semper verò animus & voluntas peccantis ad rationis trutinam appēdendus eſt, ſiquidem voluntas & propoſitum delinquentis maleficia diſtinguit, *l. qui injuriæ, 53. D. de furt.* Neq; in maleficiis exitus ſed voluntas ſpectatur. *l. Divus, 14. D. ad L. Cornel. de ſicar.* Sic quæ Magiſtratus ad vindictam majeſtatis publicè facit, etiāſi ad contumeliā alicujus

pertineant, injuriarum non tenetur, *l. quod Reip. 33. D. in injur.* Unde juſtitiæ diſtributivæ duæ oriuntur virtutes rectrices Nemeſis & Clementia.

NEMESIS ita delinquentiũ propoſitũ intuetur, ut quos illa malitioſos & præfractos deprehendit, ſtricto jure perſequatur, pœnãq; legitimo modo dictam ſine mitigatione infligat. Flagitiorum namq; deformitas tollit miſercordiam. *Tacit. 11. Annal.* Et ſalutaris rigor vincit inanem clementiæ laudẽ. *Amm. Marcell. lib. 29* Corporis morbos celeres & diu auctos nõ niſi per dura & aſpera coërceas: corruptus & *corruptor, æger* & flagrãs animus haud levioribus remediis reſtinguẽdus eſt, quàm libidinibus ardeſcit. *Tacit 3. annal.* Nec enim pœnæ leves poſsũt refrenare juvẽtutis inſaniã & ingenii ferocitatem, neq; poſſunt rerum honeſtarum cõtemtores ad temperantiam reducere. *Dion. Halicar. lib. 2.* Tantum ergò legibus ſeveritatis addendum, quantũ flagitia creverũt. *Symmach. Epiſt. 13.* Juvenes, qui turbulentis acclamationibus popularium in Circo ac theatro ſe ac-

ſe accõmodaverint, & nihil amplius admiſerint, nec antè ſint à Præſide admoniti, fuſtibus cæſos demittendos, aut etiã ſpectaculis eis interdicendum, Calliſtratus cenſet. Quòd ſi verò ita correcti in eiſdem deprehendantur, exilio puniendos, nonnunquã capite plectẽdos pronunciat: ſcilicet cùm ſæpius ſeditiosè & turbulenter ſe geſſerint, & aliquoties deprehenſi tractati clementiùs in eadem temeritate propoſiti perſeveraverint. *l. capitalium. 28. ʃ. 3. D. de pæn.* Gravioris noxæ crimina iterata remiſſionem veniæ habere ſuæque liberalitatis humanitatem Imperatores in illos referri prohibent, qui impunitatem veteris admiſſi non emendationi potius, quàm conſuetudini, deputaverint. *l. Nemo. 3. C. de Epiſc. aud.* Campani, quia majora adverſus Romanos in defectione deliquerãt, quàm quibus ignoſci poſſet, tãdẽ urbe captâ octoginta principes Senatus interfecti, trecenti fermè nobiles in carcerẽ conditi, alii per ſociorum Latini nominis urbes in cuſtodias dati variis caſibus interierunt. Mul-

titudo alia civium venumdata: habitari tantùm tanquam urbem Capuam frequentariq; placuit: corpus nullũ civitatis, nec Senatus, nec plebis conſilium, nec Magiſtratus relictus: prefectus ad jura reddenda ab Roma quotannis miſſus. De quo ita Livius, Conſilio, inquit, ab omni parte laudabili ſeverè & celeriter in maximè noxios animadversum. *lib. 26.* Carthaginẽ toties rebellantẽ, contraq; fidem datam pertinaciter inſultantẽ Romani tandem funditùs evertère. Nam ſi civitas vel univerſitas committat enormiſſimum *delictũ*, puta, *rebellionis* adverſus principem, tunc non ſolùm bãniri, privilegiis & bonis privari, ſed etiã funditùs everti, & damnatâ ejus memoriâ ſolo æquari, & aratro ſubjici poteſt. *Gail. 2. de pac. publ. 9. n. 27. & ſeqq. P. Gregor. 23. de Repub. 9. n. 15.* Debitâ ſeveritate Iſraëlitæ tribus Bẽjamiticæ in ſceleribus publicis tolerandis contumacem lenitatem plexi ſunt, ita, ut ſexcenti duntaxat, ex numeroſiſſima tribu, ſint relicti ſuperſtites. *Judic. 19. & ſeqq.* Et quo magis delictũ religionẽ honeſtatem & pacem publicam

licam perturbat,ſtatum ac libertatē Reipub.juraq; Majeſtatis labefactat, hôc ei pœnis ſeverioribus obviam eundum eſt, ne inveteraſcens malum radices figat,ut convelli ampliùs, niſi cum terræ parte, nequeat, quod plerunq; fit in ſeditionibus & tyrannide, ſi vires & ætatem impunitatis ſpe adquirant. Hinc læſæ majeſtatis crimen tanto rigore omnium populorum conſenſus puniendum ſemper exiſtimavit,ut apud pleroſq; etiā in mortuos eorumq; poſteros ſævitum ſit, tantiq; facinoris vel leviſſimus conatus pœnâ ſit acerbiſſimâ dignus judicatus. *tot. tit. D. & C. ad L. Jul. Majeſt.* Neq; Tyrannidis diverſum hîc jus eſt,quę divinis humaniſq; legibus quaſi pedibus cōculcatis nihil ſibi non licere autumat contraq; omne jus ac fas contraq; fidem datā pertinaciter fertur. Achabi pervicaciſſimi Iſraëlitarū Tyranni univerſam progeniem,unâ cum ſceleratiſſimâ fœminâ Jeſabele Jehu dux exercitus ex mandato divino cum pulviſculo ſuſtulit *2. Reg. 9. 10.* Poſtquam Joas, Ahaſiæ filius legitimus, regni Judaici hæres, ab Athaliæ
Hh 6

aviæ ſuæ tyrãnide(quæ ſtirpe regiâ deletâ regnum invaſerat) clàm ſervatus Rex à populo inaugureretur, Athaliam ſupervenientem & ſeditiosè reclamantem Jojada ſummus pontifex necari juſſit. 2. *Reg.* 11.2. *Chronic.*22.*v.*10 *& ſeq.* Neronem flagitioſiſſimum Tyrannum cùm Senatus Romanus, uti hoſtem Reipub. more majorũ puniẽdũ judicaſſet, nempè, ut cervice furcæ inſertâ virgisq; ad necẽ cæſus ſaxo præcipitaretur, propriis ipſum manibus mori compulit. *Sueton. Eutrop. lib.* 8. Ad hæc Nemeſis modos etiam quærit, quibus ſcelerati deprehenſi ad juſtã pænã pertrahantur. Nam & torqueri illi debent, qui ſufficicientibus indiciis ſceleris jam jam convicti ad plenam veritatis confeſſionem adigi ratione aliâ non poſſunt, ut improbè factorum probè exploratorum pænam omninò parem conſequantur. *Gail.* 2. *de pac. publ.* 2. *n.*15. *Mynſing.*6.*obſerv.*97.*& ſeq. Menoch. lib.*2. *de arbitra. jud queſt. caſ.*270.*tot. tit. D.& C. de queſtiõ. cõſtit. crimin. Carol. art.*20. *& ſeqq.* Nec aſylorũ jura dolo malo ſontibus indulgẽda, cùm

cùm Deus eum, qui datâ operâ & ex inſidiis hominem occidiſſet, etiam ab altari ſuo avellere & rapere ad mortẽ jubeat. *Exod.* 21. *v.*14. *Deuteron.* 19. *v.*11. Eamque juſtam ſeveritatem Rex Salomon in Joabo olim homicidâ & ſeditioſo exercuit. 1. *Reg.* 2. *v.* 28. *& ſeqq.* Auguſtus Imp. Dianæ Epheſiæ templum, ad quod confugientes noxii, velut ad aſylum, mancipio ſolvebantur, eo privilegio ſpoliavit, ne propoſitâ impunitatis ſpe, facinoribus anſam præberet. *Alex. ab Alex. lib.* 3. *c.* 20. Tiberii quoque Cæſaris temporibus cùm propter aſylorum immunitatem multa ſcelera admitterentur magnâ licentiâ, ne impunita eſſent crimina, aſylorum immunitatem is abrogavit. *Sueton. Tacit.* 3. *annal.* Juſtinianus Imperator neque homicidis, neque adulteris, neque virginum raptoribus delinquentibus, terminorum cuſtodiri tutelam, ſed inde extrahi, & ſupplicium iis inferri, ne ſacrorum quidem locorum jure ac religione obſtante, voluit. *Novell.* 17. *c.* 5. *&* 7. *novell.* 117

vell. 117. *c. ult.* §. 1. Omnes facinoroſos, qui juxta leges capitali ſupplicio afficiendi eſſent, ad Eccleſiam confugientes, Carolus Magnus Imperator excuſari foverique vetuit, ſed inde trahi permiſit. *Avent. 4. annal.*

CLEMENTIA magiſtratus & ipſa circa pœnarum diſtributionẽ verſatur, eoque à manſuetudine & miſericordia diſtinguitur, licet cum actionibus clementiæ illa ſemper concurrant: cum è contrario clementia manſuetudinis & miſericordiæ perpetuum adjunctum non ſit. Clementiæ itaque objectum pœnæ ſunt, non quidem ut eas ſtrictim in doloſis ſontibus perſequatur, ſed ut ſufficientes ob cauſas mitiget. Materia eſt gloriæ principalis, inquit Theodoricus Rex, delinquentis reatus: quia, niſi culparum occaſiones emergerent, locum pietas non haberet. *Caſſiod 3. var. Epiſt. 46.* Punit clementia ſontes, ſed leniter & cum moderatione: regumque propria ex eo dicitur, quòd majorem clementiæ exercendæ occaſionem magiſtratus habeat. *Seneca 1 de clement.*

Hâc

Hâc nihil eſt, quod Imp. Romanum magis commendet gentibus, hęc Cęſarem Deū fecit, hæc Auguſtū consecravit. *Capitol in M. Antonin.* Miſcēda ergò eſt lenitas cum ſeveritate, faciendumq; quoddam ex utroque temperamentum. *D. Gregor. 20. Moral. p. 4. c. 6.* ita ut magiſtratus nec vindictā ſinat ſuperare peccata, nec culpā inſultare legibus impunitam. *Caſſiod 3. var. d. epiſt. 46.* Quanquam modum tenere & ſeveritatem pari jucunditate condire, ſummęque gravitati tantum comitatis conjungere, non minus difficile, quàm magnū eſt. *Plin. 4. Epiſt. 3.* Ex hac propriè virtute magiſtratus Clementis & Clementiſſimi titulo inſignitur.

Cauſæ clementię vel ab ipſo homine puniendo, vel etiam à Repub. ſumuntur: efficiuntq; clementiam aliam Neceſſariam, aliam Probabilem.

NECESSARIA CLEMENTIA à magiſtratu poſtulatur, cùm & delinquens dolo malo caret, & aliàs ſit miſerè ſatis afflictus: ut ſi minoris ætatis quis ſit, quàm, ut malitiâ delinquere potu-

potuerit, ſi mente ac judicio ebrietate obruto peccârit, dummodò ebrioſus nõ ſit, ſi juſtæ iracundiæ calore abreptus modum exceſſerit, ſi infirmitate ſexus, imprudentiâ, errore, imperitiâ lapſus, aut perſuaſus & ſeductus ſit ab aliis. *Gail. 2. obſ. 110. 2. de pace publ. 9. n. 24. Hartman. ab Epping. 50. Obſ. 10. 11. Conſtitut. Criminal. Carolin. art. 179.*. Nam in minoribus interdum commiſeratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem perducit. *l. auxilium 37. ſ. 1. D. de minorib. l. ſacrilegij. 6. D. ad L. Jul. peculat.* Neque in cæde domini impuberes etiam ſervi torqueri debent: terreri tantùm ſolent & habenâ vel ferulâ cædi. *l. 1 ſ. impuberi. 33. l. excipiuntur 14. D. de SC. Silanian. Conſt. Crimin. Carolin. art. 164.* Julius Cæſar Ptolemæum Ægypti Regem non eodem modo punire voluit, quo ejus conſiliarios, hac additâ ratione: quòd puer Rex eſſet, conſiliarii ſenes. *M. Junius 3. quæſt. polit.* 104. Commiſeratione ætatis Hadrianus Imp. reſcripſiſſe videtur, ut termini moti

moti reus ſenior leniùs puniatur, quàm juvenior. *l. 2.* D. *de termin. moti.* Per vinum aut laſciviã lapſis capitalẽ pœnam lex remittit, leniori irrogatâ *l. omne delictum §. 7. D. de re militari l. 4. §. 1. D. ad L. Cornel. de Sicariis. l. milites 12. D. de cuſtod. & exhibit. reorum.* Imperator M. Antoninus & Commodus filius reſcripſerunt, Si maritus uxorẽ in adulterio deprehenſam impetu tractus doloris interfecerit, non utique legis Corneliæ de ſicariis pœnam excipiet. Nã & D. Piꝰ, Ei, inquit qui uxorem ſuam in adulterio deprehenſam occidiſſe ſe non negat, ultimum ſupplicium remitti poteſt, cùm ſit difficillimum juſtum dolorem temperare. *l. ſi adulterium 38. §. 8. D. ad L. Jul. de adulteriis. l. Gracchus. 4. C. de adulteriis. l. 1. §. ult. ad L. Jul. de ſicar.* Similiter ſi quis clavi percuſſit aut cucumâ in rixa, quãvis ferro percuſſerit, tamẽ nõ occidẽdi animo, leniẽdã pœnã ejus Hadrianꝰ Imp. reſcripſit, quia in rixa caſu magis, quàm volũtate homicidiũ admiſit.

d. l.

d l.1.§.3 D.de ſicar. Mitiùs quoq; in puniẽdo agi cũ fœminis jura Romana cõſtituerũt, propter ſexus imbecillitatẽ. *d.l.ſi adulteriũ.38.§.7. D.de adulteriis. d l. ſacrilegii 6 D.ad L.Jul.peculat⁹ .l.quiſquis 5.§.3. C.ad L.Jul. Majeſtat. Tiraq. de pœnis c.9.* Parcũt eadẽ ignorantibus. *l.2. in fin. D.de termin.mot.* Imperitiæ, imprudentiæ, erroris culpã ad vivum non creſcãt, *tot tit. Inſt. D.& C.de L. Aquilia. tot. tit. Inſt. de obligat.quæ quaſi ex delict. naſcũtur. l.ſi quis abſentis 5.§. 4. & ſeqq. D.de O.& A. Conſt. crim. Carolin. art. 146. §. 1.* Clementiæ quaſi portũ DEUS clemẽtiſſimus aſyla apud Hebręos ſex urbes aperuit, ad quas cõfugerẽt, & in quib⁹ exſilii quâdã ſpecie tuti deliteſcerẽt, qui citra malitiã hominem occidiſſent, donec ſummus, qui ſacris pręerat, Põtifex vitam cũ morte cõmutaſſet. *Num. 35. v. 9. & ſeqq. Deuteron. 4. v. 14 c. 19. v. 2. Joſua 20* quo exemplo Chriſtiani ſua tẽpla nõ ſpõte peccãtibus immunitatẽ pręſtare voluerunt. *Luitbrãd.l.1.c.9. Soxomenus lib.8.c.7. Nov. 17.c.5 & 7. Nov. 117.c. ult.* Athenienſes delictis involuntariis aras perfugii

oca tuta conſt tuerũt. *Thucyd. lib.* 4 ne
ortè perſequẽtis pænę ſtrictus rigor
mparatos poccuparet, antequã facti
ui nõ ſpõtanei ꝓbationes ſufficiẽtes
onquirerẽt. Romanorũ ſecures vir-
garum faſcibus illigatæ erant propte-
ea, quò ſignificarent, non ſtricto ſem-
per jure in pœnis utendum, ſed inter-
dum adhibendam eſſe clementiã. *Ale-
xand. ab Alex. lib.* 3 *c.* 5. M. Antoninum
Imp. Capitolinus & Dion teſtãtur, in
cognitione criminũ ſeveritatem cle-
mentiâ condiiſſe, inq; more poſitum
habuiſſe crimina minore ſupplicio,
quàm legibus plecti ſolent, punire, ſi
levia eſſent, nec pluribus noxis rei ſe
obſtrinxiſsẽt: ſed nonnunquã contra
manifeſtos & gravium criminum reos
inexorabilem permanſiſſe. Vniverſi-
tate aliquâ hominum criminis reâ
clementiæ officiũ eſt, promiſcuã vul-
gi multitudinẽ, q̃ impetu magis & im-
pitiâ, aut perverſorũ oratorũ perſua-
ſionibus, aut magiſtratuum ſuorum
juſſionib us cõpulſa, quàm deliberatâ
& ultronea malitiâ peccavit, in ſup-
plicio

plicio ſumendo ab ipſis delicti autoribus & ducibus diſcernere. *Mynſing. 4 obſ.78.79. Gail.1. de pace publ. 4. n. 13. Bart. in l. aut facta, D. de pœnis. Bodin.3. de Rep.7* Cananeas urbes vi expugnatas Deus ob antegreſſa ſcelera ab Iſraelitis duriùs tractari, dedititias, quæ repugnandi pertinaciam impietati non adjunxiſſent, tributarias dũtaxat effici voluit. *Deuter.20 v.11* Solius Sebæ ſeditioſorum ducis ſupplicio Joabus Regis Davidis militiæ prçfectus noxam populi elui paſſus eſt *2. Samuel.20. v.20.21.*

Eſt verò Clementię cauſſa etiam alia, magiſtratui propè ſingularis & propria, quam bonum publicum & ſalus communis ſuadet, cùm pœnâ leniore afficiuntur delinquentes, non quidẽ dolo & malitiâ vacui, ſed tamen ſanabiles. Inde hæc Clementia Probabilis nominatur, eò quòd non tam ex perſonâ peccantis, quàm boni publici conſideratione lenitatem exerceat. Nam ſtrictâ malorum punitione digna quidem & iuſta, ſed non utilis reipubli-

ublicæ,animadverſio erga ſontes in-
:rdum adhibetur : dummodò mor-
us non ſit ejuſmodi, qui molliora me
icamenta omnia reſpuat, univerſum
ɔrpus everſurus, niſi acerrimis reme
iis exſcindatur. Aliàs nemo aut e-
uis,aut bobus,aut mulis,nedum ho-
ïinibus rectè præfuerit, niſi eorum
ratiæ & voluntati aliquid dederit; ut
t,cùm medici ęgrotorum cupiditati-
us in levibus rebus indulgent, quò
los ſibi in majoribus obſequentes
ręſtent. *Julian. in vita Probi.* Ita qui
:bus rectè conſultum volet,non ſum
ıum jus perſequęndo incommodare
.eipublicę ſed æquitate adhibitâ eã
ɔnſervare debet. *Dion. lib.* 44. Simei,
ui atrociſſimis adverſus regem Da-
idem maledictis mortis ſupplicium
ıeruerat, ad pœnam raptus non eſt,
ım facinus deprecatus ab exilio re-
:untem regem mille Benjamitarum
ıctor exciperet & juvaret : ne dies,
ıem recuperato regno felicem illu-
:ſcere David cupiebat, ſupplicio fu-
:ſtaretur, ac fluctuantibus adhuc
recenti

recenti ſeditione populi animis, turbidus redderetur. 2. *Sam.* 19. *v.* 16. & *ſeqq.* Ioabum ſuum militiæ præfectum qui Abnerum & Amaſam, præſtantiſſimos principes, perfidè ac proditoriè ſuâ manu interfecerat, aliquandiu toleravit invitus, quē ſine magno Reip. motu tot bellorū periculis undequaq; ſeptus, ſe commodè tollere non poſſe videbat: donec tandē moriturus & hunc & iſtum filio ſuo Salomoni puniendos teſtatò commiſit. 1. *Reg.* 2. *v.* 5. 6. 8 9. Pœnæ magnatum quandoq; differendæ, nequid in novitate acerbius fiat. *Suet. in Tiberio.* M. Manlium ob tyrannidem affectatum in vincula duci juſſum iterum dimittere Senatus Romanus coactus eſt, cùm plebis motum formidaret, quæ ob ipſius periculum, quod non niſi in gravibus & publicis calamitatibus fieri ſolebat, veſtem mutaverat. *Plut. in Camillo.* Sapienter T. Quintius, cùm legiones ſeditiosè tumultuantes plectere ſalvâ Rep. non poſſet, nec milites in urbē redire tutum arbitrarentur, ipſe Ro-

mam

mam profectus rogationẽ ad populũ tulit, nec cui militũ fraudi eſſet ſeceſſio: id ſumma S.P.Q.R. voluntate obtinuit. Appio Conſuli exercitum tumultuãtem coercere conanti, Tribuni militum ac Centuriones, Nihil periculoſius eſſe, dixerunt, quàm eos vi coercere velle, in quorũ obſequio ac fide imperii tota vis conſiſteret. *Bodin. 3. de Repub. 7.* Aliàs Romani ubi multitudo militum obnoxia eſſet, autores turbarum ad palum deligabant & ſecuri percutiebant, reliquæ multitudinis ſolummodò decimum quẽque aut viceſimum ſorte ductum ad ſupplicium rapiebant. *Alex. ab Alex lib. 2. c.* 13. ut juxta Ciceronem pœna quidem ad paucos, metus ad omnes perveniret *1 pro Cluent.* Bonum publicum Ageſilaus reſpexit, cùm bello Corinthio adverſariis intra mœnia compulſis, ut Corinthũ ipſam oppugnaret, virtuti ſuæ cõvenire negavit. Se namq; eum eſſe dixit, qui ad officiũ redire peccantes cogeret, non qui urbes Græciæ nobiliſſimas expugnaret.

Nam

Nam ſi, inquit, eos extinguere voluerimus, qui nobiſcum adverſus barbaros ſteterunt, noſmet ipſi nos expugnaverimus, illis quieſcentibus: quo facto, ſine negocio, cũ voluerint, nos opprimẽt. *Probus in eod.* Ligũres, deditionis legibus iterum iterumq; ruptis, rebelles cùm Popilius conſul Romanus in ordinem vi tandem redactos oppido diruto, ipſoſque & bona eorũ vendidiſſet, veritus Senatus Romanus, ne tantâ atrocitate alii ad dedendum in fidem Romanorum abſterrerentur, in ſedem ſuam Ligures reſtituit. Nam vitandę ſeditionis aut cauſſâ publicâ aliâ, de ſuppliciorum rigore interdum quid remittendum. *DD. ad l. qui cædem* 16 *D. de ſicariis. & ad l. Ad beſtias* 31. *D. de Pœnis. Clarus* 5. *ſentent. §. ult. quæſt.* 60 Conſtitutione pacis publicę Imp. Caroli V. anno 1548. promulgatâ poteſtas judici & aſſeſſoribus Camerę Imperialis conceditur, ut juſtâ ex cauſſâ pœnam banni ordinariã in pecuniariam convertant, putà, ſi bannum ſinè publico metu, vel ſcandalo

lalo, executioni mãdari nõ poſſet. Nã
›b multitudinẽ à regulis juris cõmu-
ıis nonnunq̃ receditur, & ob multorũ
ẛragẽ ſeveritati detrahitur. *Gail. 2. de*
acepubl. 9. n 19. 20. *&* 37. *Mynſing. 2. obſ.*
0. *&* 54. ꝑpter excellẽtiã artificii, inter
ũ etiã pœna mortis aut alia corporis
ravior remitti ſolet, ſi nocẽtis opera
c induſtria Principi & Reip. ſingulari
:r utilis & cõmoda eſſe poſſit. *d. l ad be*
ıas 31. *D. de pœnis. Gail. 2. obſer.* 110. *n* 41.
.liàs nõ facilè remitti pœnã, publicè
ıtereſt, ne ad maleficia temerè quiſ-
proſiliat. *l. ſi opis* 14. *C de pœnis.*

Clementiam itaque neceſſariam
ıſtitia diſtributiva ſimpliciter exigit,
robabilem non niſi modo admodum
›eciali & definito: ılla delinquentis
›tiſſimum animum & perſonam;
æc rempub. reſpicit: illa dolo tantũ
ıcantibus, hæc etiam doloſis parcit:
›loſis, inquam, attamẽ ſanabilibus.
)uemadmodum rurſus Clementia in
:nere à Nemeſi diſtinguitur, quòd
mper in puniendo, illa jus ſtrictum,
ec lenitatem, conſectetur: in illa

pœnam lex magis dictitet, in hac magiſtratus. Species verò clementiæ, & quidem clementia neceſſaria, hoc à Nemeſi habet diverſum; quòd nemeſis dolum, hæc culpam, puniat, ſed clementia probabilis doloſos quidẽ etiam, verùmtamen ſanabiles, nemeſis, ſolos inſanabiles coërcet.

Atq; hæc quidem ita regulariter in omni delicto ſemper uſu veniunt: ſed judicis prudentia in pænis irrogandis preterea ad circumſtãtias etiam alias animum intendet: ex quarum varietate delictum nunc gravius cenſetur nunc levius, ac proinde graviori vel leviori pænâ perſequendum, proportione quâdam Geometricâ. Atrox injuria æſtimatur vel ex facto, veluti, ſi quis ab alio vulneratus ſit, vel fuſtibus cæſus: vel ex loco, veluti, ſi cui in theatro, vel in foro, vel conſpectu prætoris injuria facta ſit: vel ex perſona, veluti ſi Magiſtratus injuriam paſſus fuerit, vel ſi Senatori ab humili perſona injuria facta ſit, aut parenti, patronovè fiat à liberis, vel liber-

vel libertis. Aliter enim ſenatoris & parentis, patroniq́;, aliter extranei & humilis perſonæ injuria æſtimatur. Nonnunquam & locus vulneris atrocem injuriam facit, veluti ſi in oculo quis percuſſus fuerit. §. *atrox. 9. Inſtit. de injur. L prætor. 7. §. ult. cũ ll. ſeqq. D. eod. add. l. aut facta 16 D. de pæn* Hinc Quintilianus, Atrocitatẽ creſcere ex his, dicit, quid factum ſit, à quo, in quem, quo animo, quo loco, quo tempore, quo modo. Demoſthenes ex parte corporis percuſſi, ex vultu ferientis, ex habitu, invidiam Midiæ quærit Quare pulſatum querimur? de re primum ipſâ dicendum: tum ſi ſenex, ſi puer, ſi Magiſtratus, ſi probus, ſi benè de republica meritus, ſi percuſſus ſit à vili. 6. *Inſtit.* 1. Abigei duriſſimè puniendi, non ubiq́;, ſed ubi frequentius eſt id genus maleficii. Sed & qui porcam vel capram vel vervecem abduxit non tam graviter, quàm qui majora animalia abigant, plectendus. *l.* 1. *de Abigeis.* In furto occaſione naufragii facto diſtinguere Antoninus

jubet, peritura quis collegerit, an, quæ ſervari potuerunt, flagitioſè invaſerit: liber, & is honeſtior, vel ſordidior, an ſervus ſubtraxerit: & res abrepta magnæ, an tenuis, pecuniæ fuerit. Et omninò, inquit, ut in cæteris, ita hujuſmodi cauſſis, ex perſonarum conditione & rerum qualitate, omnia diligenter ſunt æſtimanda, ne quid aut durius, aut remiſſius conſtituatur, quàm cauſſa poſtulabit, *l. Peditus* 4. *D. de incend.* Ita Solon plebeis tarda, Magiſtratibus velocia conſtituit ſupplicia: quòd exiſtimaret de plebeis quovis tempore poſſe ſumi pœnas, Magiſtratuum verò peccata, ullam moram non admittere, quia oppreſsâ ſalute publicâ, qui pœnas repetat, nemo futurus ſit. Nam quemadmodum delicta, quę inter navigandum committuntur, ſi quis nautarum deliquerit, parvum eſt damnum, ſin gubernator errârit, communi calamitate vectores omnes involvit: ita plebejorum peccata, nō in populi, ſed ipſorum damnum cadit: Magiſtratuū

con-

contra peccata ad univerſos pertinét. *M. Jun. polit. quæſt. 93.* Militaria quoq; delicta eò acerbiùs caſtiganda, quò minus emendationem in bello admittunt. *Veget.* 1. *de re milit.* 13 Nec ibi veniā meretur negligentia, ubi de ſalute certatur, *Id. lib 3. c. 5. P. Gregor. 23. de Republic. 9. n. ult. add. ſupr. C. XVI.* Hęc circumſtantiarum conſideratio efficit, ut uni eidemq́, delicto ſæpè plures pœnæ ſimul imponantur.

Huic cohæret in ambiguis delictorum argumentis prudenter inveſtigandis & diſpiciendis magiſtratus ſolertia. Qualis Salomonis fuit, qui duabus mulierculis ſuper infante diſceptantibus, quem vivum altera permutaſſe cum mortuò dicebatur, re utrinq; maximè dubiâ, ſpirantem adhuc infantem æqualiter partiri inter eas juſſit. Nam ſententiæ atrocitate perculſa vera mater ex ϛοϱγῆ agnita eſt. 1. *Reg.* 3. *v.* 16. Daniel ſeniores duos, Suſannam caſtiſſimam fæminam adulterii perfidè accuſantes, ita deprehendit. Quemlibet enim ipſorum ſeor-

ſim de loco interrogavit, in quo adulterantem illam offendiſſet: cùmq; alter lentiſcum, alter quercum nominâſſet, in mendacio deprehenſi ſententiâ populi ambo condemnati ſunt *hiſtor. de Suſan.* T. Clœlii Tarracinenſis duos adoleſcentes filios parricidii judicio & ſuſpicione Magiſtratus Romanus ideò abſolvit, quòd conclavi in quo pater ipſorum jugulatus erat oſtio aperto ipſi dormientes reperti ſunt. Nulli enim viſum, quenquam eſſe, qui, cùm omnia divina atque humana jura ſcelere nefario polluiſſet ſomnum ſtatim capere potuerit: propterea, quòd tantùm facinus qui commiſerunt, non modò ſine cura quieſcere, ſed ne ſpirare quidem ſine metu poſſunt. *Cic. pro Roſc. Valer. Max. l. b.* 1 *c.* 8. Ubi namque veritas certis rerum documentis non apparet, cõjecturis præſumtionib⁹, indiciis & ſignis, quaſi quibuſdã cuniculis, ad veritatis occulta ſecreta penitrandũ: ex variis tu perſonarum, lociq;, ac temporis circumſtantiis indagandum facinus eſt

done

donec ſingula, præſertim in delictis, luce meridianâ clariùs pateſcant. *l. ult. C. de probat. l. ſinguli* 14. *C. de accuſat. l. qui ſententiam* 16. *C. de pœn. Gail.* 1. *de pace publ.* 15. *n.* 18 19. *Mynſing.* 6. *obſervat.* 16. 97. *Conſtit. crim. Carolin. art* 25. *cum* 199. & 143. *Laté, Menoch. de præſumt.*

In Magiſtratus officio præſertim publico elucere debet ΑΠΡΟΣΩΠΟΛΗΨΙΑ, quæ tam in præmiis diſtribuendis, quàm juſtitiâ faciendâ, ſummam æqualitatem erga omnes ſervat, nec ullius amore, vel odio, aut perſonæ reſpectu, affectuque animi alio, muneribusve, ducitur, ut plus minus vè cuiquam attribuat, quàm merita exactè poſtulare cognoſcuntur: adhibet in conſilio legem, religionem, æquitatem: libidinem autem & invidiam, metum, cupiditates omnes, amovet, *Cic. pro Cluent.* Qua in re ne quidẽ ipſi principes ſummi ab inferioribus Magiſtratibus ſibi quidquam cõtra leges indulgeri voluerunt. Ægyptiis regibus ex præſcripto legis antiquę moris fuit, judices mox futuros jure jurãdo adigere, ne ſi rex quidem injuſti quidpiam injunxiſſet, à vir-

tutis medio declinaturos, nec lineam omninò, quod dicitur, moturos. *Cæl. l. 12. A L.46*. Et Impp. *in l. 1. C. de petit. bōor. ſub lat.* ne reſcripto quidē ſuo, adverſus formam latæ legis, loci aliquid à præfecto prætorio relinqui concedunt: quoniam plerunq; ita in nonnullis cauſis inverecundâ petentium inhiatione conſtringātur, ut etiam non concedēda tribuāt. Omnes cujuscūq; majoris, vel minoris adminiſtrationis, univerſæ Reipub. Romanæ judices, Anaſtaſius Imp. monet, ut nullum reſcriptum nullam pragmaticam ſanctionem, nullam ſacram adnotationem, quæ generali juri, vel utilitati publicæ adverſa eſſe videatur, in diſceptationem cujuslibet litigii patiātur proferri, ſed generales ſacras conſtitutiones modis omnibus non dubitent obſervandas, *l. ult. C. ſi contr. jus vel utilit. publ. &c.* Et legibus Regni Gallici cautum: ne judices ullam habeant reſcriptorum rationem, niſi quatenus æquitati ſunt ac veritati conſentanea. *Conſtit. Carol. 5. art. 66. Conſtit. Philip. Bell. art. 11.* Princeps nāq; ille demum eſt legitimus pręſes Reip. & com-

commune bonum omnibus ſubditis, qui nec per odium quemquã pœnâ, nec ex anticipatâ affectiõe beneficio afficit, ſed æquabili modo pro meritis ſingulis ſua, more Agonothetarum, diſtribuit. *Petr. Fab* 3. *Semeſt*. 17. Magiſtratus enim, qui optimi atq; ſapientis nomen uſurpare voluerit, non ignavam nobilitatem, nõ opes per injuriam partas, non ullam deniq; falſi ſpeciẽ, virtutis opibus anteponit: ſed omnes in quibuſcũq; virtutis lumen eluxerit, quocunq; hominum genere illi procreati ſint, muneribus ampliſſimis honeſtabit. Sic exiſtet illa præclara contentio, quæ omnes imperioſas Respub. ex parvis magnas effecit. Nobilitas enim, ne dignitatem majorum virtute partam amittat, aut ne à novis hominibus ſuperetur, enixè cõtendet. Cõtrà autem homines ignobiles, ut è tenebris emergant, & virtute ſuâ ſplendorẽ nobilitatis obſcurent, omni ratione pugnabunt. Rex autem quaſi quidam ludorum præfectus æquiſſimus de viribus & artificio, non de genere aut divitiis judicet, & præmia pro virtutis ratione diſtri-

buat. Sic eveniet ut contemnatur ignaviâ, coërceatur inſolentia, odio flagret injuria, nullus honor habeatur avaritiæ, & extinctis flagitiis, virtutes omnes effloreſcãt. *Oſor. de Reg. Inſt. lib. 3.* Hinc Antigonus Rex adoleſcenti cuidam egregii centurionis filio timido atq; molli, qui ſe ornari ac provehi ad honores poſtulabat, Apud me, inquit, ô adoleſcẽs, ꝓpriæ, non patriæ virtutis ſunt præmia. *Plut. de pudor. vitioſ.* Nec filios quidem ſuos Auguſtus Cæſar populo Romano commẽdavit aliter, niſi adjiceret: Si merebũtur. *Sueton.* Haud temerè quemquam in Senatum Epiſcoporum Carolus Magnus adlegit, ſed in omnibus cooptandis eruditionem atq; bonitatem potiſſimũ ſpectavit, neminem niſi antea ſibi probatũ & cognitum creavit: Hildegardi Reginę petenti pro ſacrificulo ſuo, proceribus item aulę pro eodem intercedentibus, ut ad Epiſcopatum eveheretur, Idoneo, inquit, etſi pauperi, jam deſtinavi: Imperatorem obtrudere DEO non decet eum, cujus vitam, mores, ingenium, ignorat, & nũquid tanto oneri par ſit compertũ nõ
habet

habet. *Avent. 4. Annal.* Publici criminis & læſæ majeſtatis reos, graduq; ſacerdotii indignos & perpetuò infames Leonis & Anthemii Impp. lex pronunciat, qui ſanctam & venerandam epiſcopi ſedem pecuniæ interventu ſubiiſſent, aut, ut alterum ordinarent vel eligerent, aliquid accepiſſe detegerentur. *l. ſi quemquam 31. D. de Epiſcop & cleric.* Magiſtros ſtudiorum Doctoresq;, inquit Julianus Imp. excellere oportet moribus primùm, deinde facundiâ. Sed quia ſingulis civitatibus adeſſe ipſe nõ poſsũ: jubeo, quisquis docere vult, nõ repentè nec temerè proſiliat adhoc munus, ſed judicio ordinis probatus decretum curialiũ mereatur, optimorum conſpirante conſenſu. *l. 7. C. de Profeſſor. & Medicis.* In Archiatri locum quemquam admitti Valentinus & Valens Impp. vetant, antequam primis, qui in ordine reperiuntur, ſeptem vel eo amplius judicantibus idoneus approbetur. *l. 9. d. t.* Synodus Conſtantienſis, Ut in poſterum, inquit, floreat ſapientia & vigeant literarum ſtudia, nullus ad titulos graduum & honorum aſſumatur, ni-

ſi idoneus & approbatus moribus & ſciẽtiâ, atq; bene meritus, nec ita levis & nimium præcipitata promotio fiat. Nã, ut multis notũ eſt, & ridiculoſum, multi magiſtri nomen obtinent, quos magis adhuc diſcipulos eſſe deceret. Contra facientes aut venientes privilegiis regalibus eiſdem univerſitatibus conceſſis ipſo jure priventer. Apud Caſſiodorum, Theodoricus Gotthorum Rex, Admittendos, inquit, in Senatũ examinare cogit ſollicitus honos Senatus. Nec Ludovicus Imp. dignitates contulit ob pecuniam, ſed probè obſervavit, qui doctrinâ & bonis moribus eſſent ornati. *Regin. lib.2.* Severus Imp. non tantùm in pernoſcendis hominum ingeniis ipſe miro acumine & acerrimo in ponderandis cujusq; meritis judicio fuit, ſed etiã quẽ ad honores ampliſſimos & provinciarũ gubernacula provehere cupiebat, ejus nomen programmate publico pervulgabat, ut de anteacta vita inquireretur: cùm turpe eſſe diceret, Chriſtianos, qui ejusmodi quæſtiones haberent, majorẽ in ſuis pontificibus deligendis curam gerere

rere, quàm principem in rectoribus provinciarũ. Honores juris gladii nunquam vendi paſſus eſt, inquiens; Neceſſe eſt, ut qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores poteſtatum, quos ſi patiar, damnare non poſſum: erubeſco enim punire illum hominem, qui emit, & vendit. *Lãprid. Spartiã.* Octaviani Cęſaris edictum quinquennium à Magiſtratus officiis arcebat, qui largitionibus illa ambiiſſent. *Dion. Caſſ. lib. 54.* De provinciarum rectoribus Theodoſius & Valentinianus Impp. præcipiunt, ne illis honoris iſtius inſignia ambitione vel pretio, ſed probatæ vitæ teſtimonio, conferantur, interq; geſta ipſi jurati depromant, ſe pro adminiſtrationibus ſortiendis neque dediſſe quidpiam, neque daturos unquam poſtmodum, ſive per ſe, ſive per interpoſitã perſonam, in fraudem legis ſacramentique, aut venditionis donationisvé titulo, aut alio velamento cujuscunq; contractus *l. ult. C. ad L. Jul. repetund.* Novell. 161. quæ Tiberii Imperatoris eſſe putatur, Illi, inquit, Magiſtratum gerant, qui & bona exiſtimatione noti ſunt, & in ex-

cenda juſtitia plurimũ repoſuerunt ſollicitudinis: ſed & citra ullum munus & largitionem Magiſtratus ſuſcipiant. *add. Novel.* 8. Circumſpice, inquit Jethro ad Moſen, & qui ex univerſa plebe ſapientes ſunt, Deumq; timent, qui veraces, & avaritiæ hoſtes ſunt, hos conſtitue judices. *Exod.* 18. *v.* 21. Hinc juſtitiæ imaginem, Gellius ſcribit, à Chryſippo pictoribusq; & Rhetoribus antiquioribus fieri ſolitam, ad hunc fermè modum: Formâ atq; filo virginali, adſpectu vehemẽti & formidabili, luminibus oculorum acribus, neq; humilis, neq; atrocis, ſed reverendæ cujusdam triſtitiæ dignitate. Ex imaginis autem iſtius ſignificatione intelligi voluit Chryſippus, judicem qui juſtitię antiſtes eſt, oportere eſſe gravem, ſanctum, ſeverum, incorruptum, inadulabilem, contraq; improbos nocentesq; immiſericordem atq; inexorabilem, erectumq; & arduum, ac potentem, ut majeſtate æquitatis veritatisq; terrificũ. *lib.* 14. *N. A. c.* 4. Et multoties SS. ſcriptura in judicando ſequi multitudinem votorum, accipere munera, conſiderare per-

ſonam

ſonam pauperis, aut honorare vultũ potentis, vetat: vult audiri pariter omnes, ſummos, infimos, cives, peregrinos. *Exod. 23. v. 1. 2. 3. 6. 7. 8. 9. Levit. 19 v. 15. Deuteron. 1. v. 16. 17. c. 16. v. 19. Proverb. 18. v. 5. c. 24. v. 23. c. 28. v. 21* Religioſiſſimus Judæ Rex Joſaphat judices à ſe cõſtitutos, ut rectũ facerent judicium, ſeriò hortatus eſt, graviſſimâ additâ ratione; Quòd non hominis, ſed Dei exerceant judicium, apud quem nullus perſonarũ, nullus munerũ reſpectus, & qui ipſe unà ſedeat in judicio, in caput ipſorum abundè relaturus, quidquid injuſtè judicaverint. *2. Chronic. 19 v. 6 7.* Hanc Joſaphati ſententiam Ludovicus Imp. expreſſit paræneſi, quã ad officiarios ſuos habere eſt ſolitus talem: Vide quid agas: nõ hominis, ſed Dei maximè, miniſter es, ejuſdem ſacramento autoratus es; & quæſo ſic agamus, ne quis popularium nos accuſet. Quodcunque judicabis, facturusque es, in te redundabit: ita tecum agetur, quemadmodum cum alio ages. *Avent. 4. annal.* Ratisbonæ in Curia eadem fere ſententia aureis literis tabulæ marmoreæ inciſa legitur: Quiſ-

Quiſquis ſenator curiam officii cauſsâ ingrederis, antè hoc oſtium privatos affectus omnes abjicito, iram, vim, odium, amicitiam, adulationem: Reipub. perſonam & curam ſubjicito. Nã ut aliis æquus, aut iniquus fuerit, ita quoq; Dei judicium expectabis & ſuſtinebis. Athenis Areopagitæ litium controverſias non interdiù ſed noctu & obſcurâ nocte judicabant, ut procul ab omni affectu, qui animos in diverſum agit, ferre poſſent judicium. Non enim ignorabant hominis adſpectu, cultu, veſtitu, geſtibus, ita moveri interdum judicem, ut à juſtitiæ & ęquitatis tramite decedere cogatur. Lege apud eoſdem cautum fuit, ut qui cauſſam diceret, nec proëmio uteretur, nec ad miſerationem, aut invidiam judices adduceret, ne cui plus in verbis & miſericordiâ, quàm in cauſſa ſpei eſſet. Romæ judices capitalium rerum conceptis verbis, ſe nihl odio, vel gratiæ, vel precibus dare, ſolenniſſimum jusjurandum præſtare cogebantur. ſed quod judiciis mox depravatis fieri deſitum eſt. *Alex. ab Alex. l.b. 3. c. 5.* Hodiernis Imperii le-

rii legibus exſtat judicum & aſſeſſorum, conſiliariorum, ſenatorum, in cauſis capitalibus jus jurandum, quò ſanctè promittunt, ſe in capitalibus judicaturos, dicturos & declaraturos, quod legibus, moribus, conſtitutionibus, proditum, æquo omnibus, egenis, locupletibus, pueris, ſenibus, exteris, civibus, jure: nullius gratiâ, odio, pollicitationibus, aut donis, æquum, juſtum, mutaturos. *artic. 3. & 4. Conſtit. crimin. Carol. V.* Cui illud conſonum, quod Juſtinianus Imp. propoſuit olim iis, qui adminiſtrationes accipiebant. Inter alia enim jurabant: Æquos ſe utriq; parti, tam in cauſis civilibus, quàm tuendâ diſciplinâ publicâ præbituros, in neutram partē præter jus & fas inclinaturos. Deinde ni illa ſervâſſent Dei hominumq; vindictam ſibi imprecabantur. *Novel. 9. in fin.* Proconſulem Romanum Ulpianus Juriſcõſultus informat, ut ordinum poſtulationem ſervet: ſcilicet, ut omnium deſideria audiantur, ne fortè dum honori poſtulantium datur, vel improbitati ceditur, mediocres deſideria ſua non proferant. Advocatos quoque

que petentibus ut indulgeat, præſertim fœminis, vel pupillis, vel aliàs debilibus, vel his, qui ſuæ mẽtis non ſunt, ſi quis eis petat, vel ſi nemo ſit q̄ petat, ut ultrò eis det, etiã his, qui per potẽtiã adverſarii nõ invenire ſe advocatũ dicunt, nec quẽquã opprimi ſinat per adverſarii ſui potẽtiã, admonet. *l. nec quicquam 9, D. de offic. procons.* Pręſidem provincię idem Ulpianus, munera & honores in civitatibus æqualiter per vices ſecundum ætates & dignitates, ut ſunt gradus munerum, honorumq́; antiquitus ſtatuti, injungi vult, ne ſine diſcrimine & frequenter iiſdem oppreſſis ſimul viris & viribus Reſpublicæ deſtituantur. *l. 3 §. 15. D. de muner.* Atque ut leges ad puniendum non iracũdiâ ſed æquitate ducuntur; *Ci. 1. off. c.* ita jus dicentem (quod Calliſtratus J.C. reſpondit) neq́; excandeſcere adverſus eos, quos malos putat, neq; precibũs calamitoſorum illacrimari, oportet. Id enim nõ eſt cõſtantis & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit. *l. obſervandũ 19. D. de offi. præſid. novel.* 17. *c.* 2. Tum neque ſeveritatis aut clemẽtiæ gloria affectanda

ctanda eſt judicanti, ſed perpenſo judicio, pro ut quæq; res expoſtulat, ſtatuedũ eſt. *l. perſpiciendum.* 11. *D. de pœn.* Ad Piſidiæ præſidem,& prætorem Lycaoniæ, mandatum Juſtiniani Imperatoris fuit: neminem maleficorum revererentur, & ſi de potentioribut foret, ſed perpetuò ad Dei timorem & ad leges reſpicerent, neq́; præterea quidquam omninò in animo cogitarent: ni competenti animadverſioni Imperatoris ſubjici vellent ſi adminiſtratione ſuâ abuſi, & vel furta feciſſe, vel grat : fortè, vel inimicitiis ſuperati, leges violâſſe deprehenderentur *Novell. 24. c. 2. & Novell. ſeq. c. 2. & 3. in fin.* Hanc in judicando æqualitatem ut teneret Magnus ille Alexander, judicia capitalia exercens manum fertur alteri auri, dum diceret accuſator, admovere ſolitum, reo ut alteram integram & intactam ſervaret à calumniis. Ariſtides arbiter inter duos electus, cùm alter, ut ipſum in adverſarium magis incitaret, extra cauſſam pleraq́; illius in Ariſtidem maledicta recenſeret, Hæc omiſſa, inquit, faciamus, at tu verò, bone vir, ſi quid

quid in te commiſit explica, quoniam in præſentia tibi, non mihi, judicium exerceo. *Plutarch. in Ariſtid.* Alexander Severus Imp. cum duos ſuorum nepotum Romà ejeciſſet, quòd flagitioſi eſſent, & ut eos condonatâ culpâ reduceret, rogaretur, Chariorem ſibi eſſe Rempub. quàm illos, reſpondiſſe dicitur. *Lamprid.* Tenediorum rex Tennes filiū ſuum in adulterio deprehenſum ſecuri, juxta legem à ſe latam, percuti juſſit. *Heraclid. in polit.* Zaleucus Locrenſiū Legislator, ut lex à ſe in adulteros conſtituta omnino ſervaretur, proprio filio adulterii convicto oculum erui unum, ſibique alterum paſſus eſt. *Valer. Max. lib 6. c. 5. Cic. de LL. 2.* Sed nec matris Olympiadis novem menſium in utero geſtationem objicientis poſtulata Alexander Magnus admiſit, ut inſontem cō-demnaret, Aliam, inquit, optima parēs, repoſce mercedem: hominis ſalus nullo beneficio penſatur. Ageſilaus Spartæ Rex in quodam judicio juſſus à patre ſententiam à legibus alienam ferre: A te, inquit, mi pater, jam antè ab initio edoctus

doctus ſum legibus parere: itaque nunc etiam tibi obtemperabo, nihil in leges peccando. *Plutarch. de vitioſ. pudor.* Cauſſam in judicio habebat Marſyas regis Antigoni frater, petebatque, ut de ea domi cognoſceretur. Sed Antigonus, Si culpâ, inquit, vacamus, diſceptetur in foro, & cunctis auſcultãtibus. *Plutarch. in Apophtheg.* Phocion nec genero ſuo Charillo de Harpalea pecunia reo in judicio adfuit, ſed hoc fatus, ſe eum ſibi generum ad juſta adlegiſſe, diſceſſit. *Plutarch in polit.* Hinc illa juris civilis ſanctio, ne qui jurisdictioni præeſt, ſibi jus diceret, vel uxori, vel liberis ſuis, vel libertis, aut exteris, quos ſecũ haberet *l. 10. D. de jurisdict. l. ult. §. pen. C. ubi ſenator. l. unic. C. ne quis in ſua cauſ. jud.* eodemq; jure cõſtitutum, ne quis officia & Magiſtratus ea in provincia gereret, ex qua oriundus eſſet, aut in qua larẽ collocaſſet. *l. 3. C. de diverſ. offic. jud.* 12. Ne amicorũ cauſsâ à recto diſcederet Cleon Athenienſis, cùm primùm ſtatuiſſet Rempublicam capeſſere, illis in unum locum convocatis, amicitiam diſru-

diſrupit. *Anton. Meliſſ. par. 2. ſerm.1.* Cùm Aſprenas Nonius cauſsā veneficii diceret, Auguſtus Cæſar, cui is arctiùs junctus erat, conſuluit ſenatum, quid officii ſui putaret. Cunctari enim ſe, ne ſi supereſſet, eriperet legibus reum, ſin deeſſet, deſtituere ac prædamnare amicum exiſtimaretur. Et conſentientibus univerſis, ſedit in ſubſelliis per aliquot horas, verum, tacitus, ac ne laudatione quidem judiciali datâ. *Sueton.* Argutè Themiſtocles Simonidem poſtulantem rem injuſtam removit, Nam neque tu, inquit, Poëta eſſes bonus, ſi contra carminis leges caneres, neque ego bonus Magiſtratus, ſi judicarem ſecus quàm eſt juſtum. *Plutarch. de vitioſ. pudor.* Catulus inter Romanos dignitate princeps, quo tempore cenſuram gerebat, ad Catonem tunc quæſtorem acceſſit, deprecaturus pro quodam, cui Cato mulctam dixerat: cùmque urgeret precando, tandem impatientiâ impulſus Cato, Turpe eſt, inquit, Catule, te Cenſorem hinc diſcedere nolen-

nolentem, à lictoribus trahi. Aſperiùs negavit, quod cõtra leges exigebatur. *Plutarch. ibid. & in Caton. minor.* Submovit idem judex è quæſtione tabulas Cn. Pompeji laudationem cujuſdam nocentis ſenatoris & infamis rei continentes, lege recitatâ, quâ cautum ab ipſo olim Pompejo fuerat, ne ſenatoribus tali auxilio uti liceret. *Val. Maxi. lib 6. c 2. Plutarch. in Pomp.* Neq; enim contra Rempub. inquit Cicero, neque contra jusjurandum ac fidem amici cauſsâ vir bonus faciet, nec ſi judex quidem erit de ipſo amico. Ponit enim perſonam amici, cùm induit judicis: tantum dabit amicitiæ, ut verã amici cauſſam eſſe malit, ut porandę liti tẽpus, quoad p leges licet, accõmodet. Itaq; præclarũ à majorib⁹ accepimus morẽ rogãdi judicis: Quę ſalvâ fide facere poſſit. *3. offic.* Sed nec populi exclamãtis vanæ voces audiendæ ſunt, iiſq; credi oportet, quando aut noxiũ crimine abſolvi, aut innocentẽ damnari deſiderat. *l. Decurionum. 11. C. de pæn.* Atque uti *ἀπϱοσωποληψία* in juſti-

juſtitia exſequenda nulla amicitiâ aut interceſſione movetur, ita nec merita cujuſquam, quantacunq; illa ſint, reſpicit, ut in delictis atrocibus, cùm nulla cauſſa alia Magiſtratum ad lenitatem hortatur, pœnam remittat. M. Manlius, unde Gallos depulerat, inde tandem ipſe præcipitatus eſt: quia fortiter defenſam libertatem nefariè opprimere conatus fuerat. Cujus juſtæ ultionis nimirum hęc præfatio fuit: Manlibus eras mihi, cùm præcipites agebas Senones: poſtquam mutari cepiſti, unus factus es ex Senonibus. par indignatio Romanæ civitatis adverſus Sp. Caſſium erupit: cui plus ſuſpicio concupitæ dominationis nocuit, quàm tres magnifici conſulatus, ac duo ſpeciosiſſimi triumphi profuerunt. Senatus enim populusq; Romanus non contentus capitali eũ ſupplicio afficere, interemto domum ſuperjecit, ut Penatium quoq; ſtrage puniretur. *Val. Max. lib. 6. c 3. Liv. decad. 1. lib 2 & 6.* Et quantum, ad incorruptam legum executionem, facere

cere arbitramur, ſi puras ab omni lucro manus judex habeat? Agite, inquit judex Iſraeliticus Samuel ad populũ, à juventute mea uſq; in hunc diẽ verſor inter vos, reſpondete mihi nunc coram Deo & coram rege veſtro, an cuiquam veſtrum vim & injuriam fecerim, num munera à quoquam acceperim, mihiq; occæcari oculos paſſus ſim? Cui reſpondit populus: Nunquam vim aut injuriam nobis feciſti, nec ab ullius manu quidquam accepiſti. 1. *Samuel*. 12. *v*. 23. In ſepulcro Simandii regis Ægyptiorum ab una muri parte ſculpti triginta numero erant judices abſq; manibus, & in medio judicii princeps, cujus à collo ſuſpenſa veritas pendebat, ipſe oculis eſſet ſubclauſis, librorum cumulo circumjecto. Fuerunt hæc integritatis in judicando illuſtria monimenta. *Diodor. lib*. 1. *c*. 4. Jurisjurandi, quod Heliaſtæ judices Athenis præſtabant, Demoſthenes illud quoque caput recitat: Judicii cauſâ neq; dona munerave ulla accipiam, neque in meam

rem alius, ſed neq; ullum arte fraudeve aliquâ quidquam accipere patiar, ſciens, dolo malo. *In orat. contr. Timocrat.* Mandatis contineri Ulpianus JC. ait, ne donum vel munus ipſe proconſul, vel qui in alio officio erit, accipiat, ematvé quid, niſi victus quotidiani cauſsâ. *l. ſolent 6. in fin. D. de offic. procoſ. add. l. plebiſcito 18. D. de offic. præſ.* Oportet te, inquit Juſtinianus, purè ſumentem adminiſtrationem & ſine omni ſuffragio præ omnibus aliis mundas ſervare Deo, nobiſque, & legi manus, & nullum cõtingere lucrum, neque majus, neque minus, neq; captioſum quiddam contra ſubditos facere negotiatione, ſed contentum eſſe ſolis à fiſco tibi miniſtratis, & tã per te quàm per eos, qui circa te ſunt, purũ undique eis ſervare jus. *Novell 17 c. 1. add. novell 25. c. 2* Lex Julia de repetundis præcipit, ne quis ob judicem arbitrũvé dandũ, mutãdũ, jubẽdũvé, ut judicet, nevé ob nõ dandũ, non mutandũ, nõ jubẽdũ, ut judicet, nevé ob hominẽ in vincula publica cõjiciẽdum, vinciendum, vincirivé jubendum,

exvé vinculis dimittẽdum, nevé quis ob hominem condemnandum, abſolvendumvé, nevé ob litem æſtimandam, judiciumvé capitis pecuniævé faciendum, vel non faciendum, aliquid acceperit. *l. 7. D. de L. Jul. repetund. add. conſtit. crim. Carol. V. artic. 205.* Non armis Romani ſuam Rempublicam ex parva magnam effecerunt (inquit Cato apud Auguſtinum) ſed alia ſunt, quę illos magnos fecerunt: domi induſtria, foris juſtum imperium, animus in conſulendo liber, neq; delicto neque libidini obnoxius. *Auguſtin. 5. de civit. Dei.*

Hoc tàm communi, quàm proprio Magiſtratus officio eximiè expedito, ſcaturigo venaque aperitur, unde manat omnis, quæ ab homine optari hac in vita poſſit, beatitudo ac felicitas. Quod ne Ethnici quidem à vera Dei agnitione alieni ire inficias ſunt auſi. Virtuti & prudentiæ Deum res ſecundas tribuere magnus ille Imperator Q. Fabius Max: apud Plutarchum agnoſcit. Et Plautus Virtus,

inquit, omnia in ſe habet, omnia ei adſunt bona, quē penes eſt virtus. *In Amphitr.* Antiſthenes uſurpabat aſſiduè: Virtutem ſibi ad felicitatem ſufficere, nec ullâ re opus habere, niſi robore Socratico. Neminem felicē eſſe ſentiebat Socrates, niſi omnibus virtutibus præditus eſſet. Hinc percontanti Gorgiæ, An Perſarum regem felicem putaret? *Neſcio*, hercle, inquit, quantum virtutis & diſciplinę habeat. *Laert.* Nec aliò reſpexerunt Philoſophi, cùm viututis finem ultimū conſtituerūt in beatitudine: ut virū bonum virtute præditū etiā in extremis miſeriis dixerint beatum, utrāq; & mentis & fortunæ ſerenitatē uno beatitudinis ac felicitatis nomine comprehendentes: quarum illa, quę mentis eſt, nunquā eripi beato poſſit. Et ſanè qui innoxium virtutis iter in omnibus officii ſui actionibus terunt, ſimul quòd proſperi optatiq; rerū ſucceſſus iis ſperandi ſunt, gratâ quoq; conſcientiæ trāquillitate perpetuum innocentis vitę teſtimonium jucundiſſimum perhibentis fruuntur, Magna profectò res eſt, inquit Sophocles

phocles, ſi quis de innocentia ſua ſibi cõſcius eſt. Securam mentem Salomon ſapientiſſimus rex juge vocat convivium: virum probum confidentem eſſe dicit inſtar Leonis. *Proverb.* 15. *v.* 15 *c.* 28. *v.* 1. Rex Alphonſus interrogatus, cur ſine ſatellitibus ſæpenumero incederet? Se innocentiâ ſtipari, reſpondit. *Panormit. l.* 2. *de Alphonſ.* Innocenti manibus & mundo corde, qui in viis ac mandatis divinis recto gradu incedit regius Pſaltes promittit benedictionem à DOMINO, & miſericordiam à DEO ſalutari ſuo. *Pſalm.* 24. *v.* 3. 4. *tot. Pſ.* 112. 127. *& ſeq.* Sedechiæ regi Judæorũ quód in Reipub. adminiſtratione feliciter omnia ſucceſſerint, cauſſam ſacra ſcriptura reddit, quia vitam ſuam omnesq; actiones ad normam legis & præceptorum Domini inſtituerit, religionis ſinceræ virtutumque acerrimus ſectator ac promotor. 2. *Chronic.* 31. *v.* 20 21. Auguſtinus inquit: Magiſtratus felices dicimus ſi juſtè imperant: ſi inter linguas ſublimiter honorantium & nimis honorabiliter ſalutantium & nimis humiliter obſequẽtiũ,

non extolluntur: ſi homines ſe eſſe meminerunt: ſi poteſtatem ſuam ad Dei cultum dilatandum Majeſtati ejus famulam faciūt: ſi Deū timēt, diligūt, & colunt: plus amant regnū illud, ubi non timēt habere cōſortes: ſi tardiùs vindicāt: facilè ignoſcūt: ſi vindictam pro neceſſitate regēdę tuēdæq; Reip., non pro ſaturādis inimicitiarū odiis, exercēt: ſi veniā & impunitatē iniquitatum, ſed ad ſpē correctionis, indulgēt: ſi, quod aſperè plerūq; coguntur decernere, miſericordię lenitate & beneficiorū largitate compensāt: ſi luxuria in eis tātò caſtigatior, quātò poteſt eſſe liberior: & ſi hæc omnia faciant, non propter favorem inanis gloriæ, ſed propter charitatē felicitatis æternæ: ſi propter peccata ſua humilitatis & miſerationis & orationis ſacrificium Deo immolare non negligunt: tales chriſtianos Imperatores dicimus eſſe felices, & hîc & in futuro ſeculo. *lib. 5. de civitat. Dei c. 24.*

Non poſtrema felicitatis Magiſtratus genera, quæ hinc exiſtūt, ſunt Autoritas & Amor: quæ ipſe tum apud

ſubditos,tũalios omnes, ſibi cõparat, qui ipſius emicãtẽab omni parte virtutẽ cõſpiciunt. Nam plerũq; omnia ſummâ ratiõe geſta etiã fortuna ſequitur & autoritas. *Livi. lib 5.* Nam virtus magnã vel apud hoſtes habet reverentiã. *Plutarch. in Æmil.* Nihil virtute amabilius, nihil quod magis alliciat homines ad diligẽdũ: quippe cùm propter virtutem & probitatem eos etiam, quos nũquã vidimus, quodãmodo diligam°. *Cic. in Lælio* Multitudinis amor vehemẽter cõmovetur ipsâ famâ & opinione liberalitatis, beneficentiæ, juſtitiæ, fidei, omniumque earum potiſſimũ virtutũ, quæ pertinẽt ad mãſuetudinẽ morũ, & facilitatẽ. *Id. 2. offic.* Ad Trajanum Plinius, Quantò nũc tutior, inquit, quantò ſecurior eadem domus? poſtquam non crudelitatis, ſed amoris excubiis, nõ ſolitudine & clauſtris, defenditur. Et quid ergò non diſc[illegible]us expimento, fidiſſimã eſſe cuſtodiã principis ipſius innocentiam? hęc arx inacceſſa, hoc inexpugnabile munimẽtũ, munimẽto nõ egere. Claudiani ad Honor. Imp. vox eſt:

Non ſic excubiæ nec circumſtantia tela,
Quàm tutatur amor.

Themiſtocli virtus partæq; inſignes victoriæ tantam exiſtimationem pepererunt, ut nō tantùm in conventu Olympico omnium oculos in ſe verterit, ſed etiam ad Artaxerxem Perſarum regem, acerbiſſimum Græci nominis hoſtē, quē antea clade affecerat, patriâ ꝓfugus, tātò honore, tantâq; lætitiâ ab eodem exceptus ſit, ut beatum ſe apud amicos rex prædicârit, tanquam maximo fortunæ beneficio affectum, tanti viri adventu: & noctu in medio ſomno ter exclamârit: Habeo Themiſtoclem Athenienſē. *Plutarch. in Themiſt.* Nota Catonis minoris virtus Romæ tantùm pondus habuit, ut nemo innocens, imò ſatis confeſſus putaretur, plurimumq; adjumenti multis ad damnationem attulerit, qui adeò rectum, æquum, ac religioſum judicē viriq; optimi ac integerrimi ſententiā recuſâſſet. *Id. in Caton.* Q. Metelli & M. Æmilii Scauri tanta Romæ autoritas fuit, ut, cùm ille jam ſenex diceret cauſſā de repetundis, ipſiusq; tabulę ab accuſatore

tore

tore poſtulatæ ad nomen inſpiciendum circumferrentur in judicio, univerſum concilium ab earum inſpectione oculos averterit, ne de aliqua re, quæ in tabulis relata eſſet, viderentur hęſitaſſe. Itaque abſolutus eſt. Nec enim in tabulis aut rationibus, ſed in vita Q. Metelli argumẽta ſine certè adminiſtratę provincię legẽda ſibi judices crediderũt: indignũ rati, integritatẽ tanti viri exiguâ cerâ & paucis literis cõprobari. Scaurus etiã ſenex cùm à Vario Tribuno pleb. argueretur, quaſi ſocios & Latium ad arma coëgiſſet: vel (ut Valerius ait) cùm pro roſtris accuſaretur, quòd à rege Mithridate ob Rempub. prodendam pecuniam accepiſſet, ita populum interrogavit: Varius Sucronenſis, M. Æmilium Scaurũ, regiâ mercede corruptum, imperium populi Romani prodidiſſe, ait: M. Æmilius Scaurus huic ſe affinem eſſe culpę negat: utri creditis? Hujus dicti admiratione populus commotus, qui ſummam virtutem Rei & continentiam, accuſatoris nequitiam & vilitatem noſſet, Varium ab hac accuſatione depulit. *Val. Max. lib. 7. c. 3. Plin.*

de Vir. Illuſtr. Is, quem modò diximus, Cato, Tribunus militũ, in Macedoniam ad Rubriũ prætorẽ miſſus, ipſe in caſtris virtutũ cultor ſtrenuꝰ ſubditos ſibi ſimiles efficere unicè contendit, exemplo, oratione, præmiis, ſupplicio. Interim, gloria, gratia, obſervantia, amorque militum ſummus Catonem ſequebatur, quæ ille minimè inſtituto ſuo quæſierat. At enim cùm ultrò in his, quæ aliis imperâſſet, ipſe elaboraret, habituque victu & inceſſu militum quàm ducũ eſſet ſimilior, moribus verò animi magnitudine & facundiâ omnes, qui imperatorum aut ducum nomen gerebant, anteiret, magnam ſibi occultè benevolẽtiam exercitus conciliavit. Nam cõparatum eſt ita, ut virtutem nõ ſuſpiciamus, neq; ejus imitandæ ſtudio corripiamur, niſi eum, in quo illa cõſpicitur, ſummo honore atq; amore proſequamur. Defunctus deniq; Tribunatu militum Cato, deductus à ſuis eſt, non votis tantùm (eſt enim id uſitatum) neque laudationibus, ſed lacrimis & inſatiabilibus amplexibus eum proſequentibus, veſtimentaque ſua,

ſua, quâ iret ſubjicientibus, & manus deoſculantibus: quod eo tempore vix paucis Imperatoribus bellicis à Romanis datum eſt. *Plutarch: in Caton.* Eberhardus Wirtenbergenſis primus dux, urbes ſuæ ditionis circueundo, & apud cives de Magiſtratus & præfectorũ integritate, apud peregrinos de hoſpitum fide diligenter inquirendo, tantũ ſibi cõparavit omnium amorem, ut ſubditi viventem etiamnũ inter Deos referrent, cum ejusmodi præconio: Niſi Deus eſſet, noſter dux Eberhardus Deus eſſe poſſet. Hic eſt ille, qui in principum comitiis, aliis alia ditionum ſuarum bona prædicantibus, Ego verò, inquit, hoc ſolo glorior, quòd nullus ex ſubditis meis ſit, in cujus ſinu ſolus in vaſtiſſima ſylva quieſcere metuam. *Joann. Agric. in proverb. german.* Menãder rex Bactrianorum ob probitatis ac juſtitiæ opinionem, quam ſibi apud ſubditos excitârat, tantoperè dilectus fuit, ut, eo in caſtris vitâ functo, maximis contentionibus urbes certârint, ad quam illarum ſepulturæ honos potiſſimùm deferri oporteret: nec

alius contentionum exitus experiri potuit, quàm reliquiæ ejus æquis portitionibus dividerentur, quò monimentum ipſius apud omnes pariter cum veneratione exſtaret. *Plutarch. in polit.* Ea propter Magiſtratus pius ac Chriſtianus, qui rerum omnium abundare copiâ & ad voluntatem fluēte uti fortunâ, in media hoſtiū acie tutus verſari, effugere omnis generis mala, cunctisq; è calamitatum fluctibus enatare ſalvus, optat, poſt ſalvificam fidem in Chriſtum mundi redemtorem unicum, virtutibus lege Dei præceptis, operibusq; vocationis ſuæ diligenter ac ſeriò incumbat, nec dubitet, quin amplam factorum ſuorum mercedem propter Chriſti meritum in hoc etiam ſeculo abundè ablaturus ſit: cùm & DEUS pro infinita ſua bonitate Ethnicorum & incredulorum virtutes ſaltem morales & diſciplinam qualemcunque exteriorem variis exornare donis mundanis ſoleat. Ne tamen omninò albæ, quod ajunt, Gallinæ filium, ſemperq; in roſis ac violis ſe conſtitutum fore Magiſtratus etiam pius arbitretur: cùm neq;

ſanctiſ-

ſanctiſſimus inter homines qui eſt, ita omnis erroris expers ac nævi ſit, ut nullam pœnam, divinamq; caſtigationem mereatur. Et verò diaboli totius humani generis hoſtis jurati rabies pios Magiſtratus præcipuè oppugnat: tum comparati naturâ ita ſumus omnes, ut ſecuritatis ſomnus infortunio immiſſo nobis ſubinde excutiendus ſit. Ne dicam, quòd Deus ſuorum interdum probare fidem & conſtantiam conſuevit: donec imagini Chriſti ſimiles efficiantur, & vitæ hujus ærumnoſæ tædio capti alteram beatam æternamq; ſitire incipiant.

DE OBEDIENTIA SUbditorum.

CAP. XXVI.

TAle Magiſtratus officium tam proprium, quàm commune fuit: ſubditorum ſequitur. Subditi ſunt ordinis politici homines Magiſtratui legitimè ſubjecti. Hoc nomine qui veniant D. Paulus Apoſtolus explicat, cùm Omnẽ animã poteſtatibus ſupereminentibus ſubditam eſſe jubet. *Roman.* 13. *v.* 1. Quibus verò

verò ſubjectio illa debeatur, Apoſtolus Petrus declarat, cùm nos omni humanæ ordinationi eſſe ſubditos vult, ſive regi, ſive præſidibus, ſive præfectis, ſive miſſis ab illis. 1. *Epiſt.* 2. *v.* 13 14 Quo modo omnes in Rep. ſubditi ſunt, præter Magiſtratum omniũ ſupremum, qui nullã poteſtatẽ humanã regulariter agnoſcit ſuperiorẽ, ſoli Deo naturæq; ſubjectus. Magiſtratus itaq; inferiores omnes, multoq; magis, qui nullo Magiſtratus munere in Repub fungũtur, ſubditi ſunt: ut neq; Eccleſiaſtici ordinis qui ſunt, hujus ſubjectionis jugo ſubtrahere collũ debeãt: cùm & Chriſtus ipſe ſupremus Eccleſiæ doctor & caput, jus civitatis Capernaũ in his terris ſuſcepiſſe credatur, tributũq; Cęſari perſolverit. *Matth*, 4. *v.* 13. *c.* 9. *v.* 1. *c.* 17. *v.* 24. & Paulus Apoſtolus ſe civem Romanum & ſubditum imperii profeſſus, ad Cæſarẽ provocârit. *Act.* 22. Quod tamẽ ad officiũ Eccleſiaſticorum propriũ nõ eſt extendendum, in quo ſoli Deo ejusq; verbo ſubjiciũtur. Pro Magiſtratuũ verò gradibus idem homo ſæpè pluriũ eſſe ſubditus intelligitur; primò,

quidẽ ejus, cui proximè ſubjicitur, & deìndè etiam illius, quem hic rurſus ſuperiorẽ & Magiſtratũ ſũmũ recognoſcit. Ex quo provocationum ordo judicatur, qui per inferiorũ Magiſtratuum judicia forenſia ad ſupremi Magiſtratus tribunal gradatim adſcendit. *l. imperatores. 21. D. à quib. appell. non lic. Novell.* 17. *c.* 13. *in fin. Ordinat. Cam. part. 2. tit. 29. §.* 1. *Gail.* 1. *obſervat.* 119. *n.* 2. *Mynſing.* 1. *obſ.* 67. 2. *obſ.* 4. *Hartmã. ab Epping.* 19. *obſ.* 5. Interdum ratione bonorũ & poſſeſſionũ quis ſubjicitur juriſdictioni pluriũ Magiſtratuũ, inter quos alias nulla poteſtatis aut ſubjectionis relatio eſt: ut ſi plurium dominorum Vaſallus quis ſit, aut quovis modo alio in diverſis ditionibus ſuas facultates ſitas habeat, aut alicubi contrahat, ibidemque reperiatur: quo reſpectu, ut Magiſtratum, ita forũ ſortitur diverſum, & politicâ generali appellatione ſubditus fit. Quemadmodũ & Cliẽtelares ſubditi, præter ordinarium ſuum Magiſtratũ, alterius inſuper protectioni ſubjiciuntur. *Bodin.* 1. *de Repub.* 7. *&* 9. Alio autem jure ſubditus dicitur,

qui in Magiſtratus alicujus ditione natus eſt, aut domicilium habet. *Gail. de pignorat. obſ. 15. n. 3. & ſeqq. & de pac. pub. c. 13. n. 19. 20. 2. obſerv. 53, n. 6 & obſ. 36. n. 14.* Hinc ſubditi diſtinguuntur in eos, qui pleno jure ſunt ſubditi, hoc eſt, omnibus Reipub. juribus & commoditatibus plenè utuntur, feruntur, vel certo dũtaxat modo ac reſpectu. Quorum illi rurſus ſunt Originarii & Nati ſubditi, vel Aſſumti & Facti, jus Reipub. cõſenſu demum Magiſtratus cõſecuti, qui ob id voluntarii poſſunt dici, quippè ſemper ſuâ & Magiſtratus voluntate, licet voluntate ſuâ non ſemper in id deſtinatâ, ſubjecti. Pleni cives Romani & optimâ lege erant Liberi homines, urbem agrumvè Romanum inhabitantes, qui domicilium & tribum ac honorum poteſtatem eſſent adepti. Domicilium quidem etiã inquilini, & tribum libertini, obtinuerunt: quorum tamen illi nullum jus civitatis, hi verò non optimum habuerunt. Libertinis enim, quãquã tribus urbanę, nõ tamen honores ullo tẽpore patuerũt. Qui autẽ è municipiis fuerũt, quãquam tribum,

tribũ,&honorũ petitionem ſunt cõſecuti: tamẽ quia domicilio caruerũt, nõ ingenui,cives Romani,ſed municipes,(niſi ſi quando Romæ fortunarũ ſuarũ domicilium collocâſſent) nominati ſunt. *Carol. Sigon.lib.*1.*de jur. civ. Roman. c.*1. At verò iſta ſubditorum æſtimatio ac jus in arbitrio more, lege, cujusq; Reipub. eſt, pro cõditione poteſtatis in Magiſtratu, & ſubjectionis in ſubditis: niſi quos ratio naturalis etiã præter volũtatẽ Magiſtratui ſubjecit. *add. Alex. ab Alex, lib,* 4.c.10.

Propriũ ſubditorũ officium, quod omnes regulariter ſubditi prȩſtare Magiſtratui tenentur, partim in Obediẽtia eſt, tũ Amore atq; Honore erga Magiſtratũ, partim in Onerũ publicorũ portatione.

OBEDIENTIA ſubditorũ Magiſtratus legitimè imperantis mandatis ac legibus cum verbo Dei nõ pugnãtibus morem gerit. Hoc prȩcipuũ Reipub. fũdamentũ eſt: ut rectè Theopõpus Spartanorũ rex, dicente quodã, Spartȩ ſalutẽ indè ꝓficiſci, quòd reges ad imperãdũ haberet idoneos, Nõ eã eſſe causã tãtũ, reſpõderit, ſed

ſed quòd cives obediſſe noſsēt. *Plutarch. in Apophi.* Veteres finxerint πειθαρχίαν deā, id eſt, ſubditorū erga Magiſtratū obediētiam, Jovis uxorem fuiſſe, unde εὐτυχία procreata ſit. Neque propter utilitatē modò externā, aut propter metū pœnæ, ſed propter cōſcientiā quoq; S. ſcriptura obedientiam erga Magiſtratum à Chriſtianis exigit. *Romā 13. v. 5.* omnibus proponit imitandam Iſraelitarum erga Joſuam ducem ſuum ſubjectionis proclivitatem dicentium: Omnia quæ præcipiſti nobis faciemus, & quocunq; miſeris nos ibimus: ſicuti Moiſi obedivimus, ita & tibi obediemus. Quicunque verbis tuis & mandatis morem non geſſerit, morte morietur. *Joſ. 1. v. 16.* Præcipuè in ſincero Dei cultu à Magiſtratu ſecundum verbum Dei inſtituto recipiendo ac retinendo, impiisq; ac idololatricis opinionibus renunciando, ſuum promtiſſimum adſenſum dabunt ſubditi & obſequentur. Arcam Domini Saule rerum potiente diu neglectam reducturus David rex conſentiētem & obedientem habuit univerſum populū.

1. *Chro-*

1. *Chronic.* 14 *v.* 4. Non Samueli, non Joſiæ regi, Idololatriam abroganti, repugnârunt ſubditi, relictis ultrò erroribus puritatem doctrinæ cæleſtis denuò amplexi. 1. *Samuel.* 7. *v.* 4. 2. *Chronic.* 34. 35. Quando Imperatores veritatem tenēt (inquit Auguſtinus ad Donatiſtas) pro ipſa contra errorē jubēt. Quod quiſquis contēſerit, ipſe ſibi judiciū adquirit. Nā & inter homines pœnas luit, & apud Deum ſortem non habebit, quia hoc facere noluit, quod ei per cor regis ipſa veritas juſſit. In civilibus verò obedientia Magiſtratui debetur à ſubditis, quantumvis honeſtas & utilitas mandatorum Magiſtratus non illico perſpicitur; quandoquidem non rarò, tēporibus præſertim periculoſis, ſua celare conſilia Magiſtratus ſolet, nec aliàs cuivis ſubditorum is factorum ſuorū reddere rationes ſemper tenetur. *Bodin.* 3. *de Repub.* 4. Turci, cùm à Rege ſuo jubentur, dicto citiùs ad bellum exeunt. *Cuſpin.* Incredibilē Muſcovitarum erga ducē ſuum obedientiam Joh. Faber, cùm ipſorū religione loquitur, omnibus aliis nationib⁹,

præfert,quam in rebus etiam cū maniſeſto vitæ diſcrimine conjunctis non detrectant,pulcrumq;ducunt pro Principe vitam effundere.Idcircò paucos intra dies aliquando bis aut ter centena millia,vel aliàs ingens ipſorum multitudo, ad Principis juſſum confluit. Rectè hi omnes & obedienter, modò in cauſſa pia & juſta.In exercitu quoq́, Hannibalis ex Afris,Numidis, Mauris, Hiſpanis, Balearibus,Gallis,Italis, collecto,in tāta hominum colluvie & diverſitate, tam longo bello,tam variis evētibus, nullus militum contra ducem inſurrexiſſe legitur. *Sabellic. lib. 6. c. 8.* Lacon quidam in prælio gladium hoſti jam jam incuſſurus, ut receptui cani audivit, ictum non intulit, Melius eſſe,dicens, imperatori parere,quàm hoſtem interficere. *Plutarch. in Apophtheg. Lacon.* Stilico regni affectati abſens dānatus, cùm adverſus milites ab Honorio Imperatore miſſos primùm ſe defenderet,mox,ubi Imperatoris volūtate ac juſſu manus ſibi injici cognovit,ſeſe interfici paſſus eſt.

Idcircò quoties Magiſtratus verę religionis

gionis patrocinium ſuſcipit, legesque aut jubet aut exſequitur, aut bella gerit, juſtitiam & honeſtatem publicam tuendo, aut tributa exigit, facit alia, quæ officii ipſius proprii partes flagitãt, aures & operas ei accõmodare obſequioſas ſubditi ex officio tenentur: hac tamen neceſſariâ & notabili cautione, ne Divinæ Majeſtatis mandatum terreni Magiſtratus juſſionibus poſtponãt. Quod etiã Socrati (in cauſſa lõgè inferiori) viſũ ęquũ, cùm apud Platonem ita ratiocinatur adverſus Athenienſes: Quod ſi me, inquit, Viri Athenienſes, eâ nunc lege abſolveritis, ut ne amplius huic inquiſitioni ſapientiæ navem operam, neu verſer in rebus præclaris cognoſcendis, ſed mors ſit mihi capitis condemnato obeunda, ego ſanè conditionem hãc recusârim. Equidem vos, viri Athenieſes, ſingulari quâdam benevolẽtiâ omnes cõplector, parendum tamen & potius duco Deo immortali, quàm vobis. Itaq; , quàm diu & ſpirabo & potero, nunquam Philoſophiæ curam abjiciam, nec veſtri admonendi, & quemçunque fuero ex vobis

vobis nactus ad virtutem exhortādi, cō-ſuetudinem. Petrus & Johannes Apoſtoli prædicationem Evangelii de Chriſto ſibi divinitùs injunctam ſub gravi cōminatione intermittere juſſi, Judicate ipſimet, inquiunt ad ſuum Magiſtratū, utrū æquius ſit & prius, Deo obedire, an Vobis? *Actor. 4. v. 19.* Nam ſi Magiſtratui extra fines provinciæ, aut ſupra, quàm jure debeat, imperanti, omnibus imperium recuſare fas eſt, tametſi honeſtum ſit illud quod jubetur. *l. ult. D. de Juriſdict. tot. tit. C. ſi à non compet. judic.* Quantó minus principi turpia & injuſta præcipienti parebitur? terminos enim ac fines imperii à natura ipſa poſitos movet ac ſuæ jurisdictionis leges ab immortali Deo ſacratas perrumpit. *Bodin. 3. de Repub.* 4. Imperatores itaque, ſi in errore eſſent, (quod abſit) proque errore ſuo contra veritatem leges darent, per eas juſti & probātur & coronātur, nō faciendo, quod illi jubēt, quia Deus prohibet. Sicut juſſerat Nabuchodonoſor, ut aurea ſtatua adoraretur: quod qui facere noluerūt, Deo talia prohibēti placuerunt.

Auguſtin.

Auguſtin. ad Donatiſt. Epiſt. 166. At, qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Sed quid ſi illud jubeat, quod non debeas facere? Hic ſané contemne poteſtatē, timendo poteſtatem. Ipſos humanarū legū gradus advertite. Si aliquid juſſerit Curator, nonné faciendū eſt? tamē ſi cōtra Proconſul jubeat, nō utiq; cōtemnis poteſtatē, ſed eligis majori ſervire. Nec hinc minor debet iraſci, ſi major prælata eſt. Rurſus ſi aliquid ipſe Procōſul jubeat, & aliud jubeat Imperator, nūquid dubitatur, illo contemto, illi eſſe ſerviendum? Ergò, ſi aliud Imperator, & aliud Deus: quid judicatis? Solve tributū: eſto mihi in obſequium: rectè: Sed non in Idolio. In Idolio prohibet: Quis prohibet? major poteſtas. Da veniam: tu carcerem, ille Gehennam, minatur. Hic jā tibi aſſumenda eſt fides tua, tanquā ſcutum; in quo poſſis omnia ignita jacula inimici exſtinguere. *Id. Auguſtin. ſerm. 6. de verb. Domin.* Milites Chriſtiani ſervierunt Juliano Imperatori infideli, Apoſtatæ, iniquo, Idololatræ. Ubi veniebant ad cauſā Chriſti, non agnoſcebāt, niſi

niſi illum, qui in cælo erat. Quando vocabat, ut idola colerent, ut thurificarẽt, proponebant illi Deum. Quando autem dicebat: producite aciem, ite contra iſtã gentem, ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant dominum æternum à Domino temporali: & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum, etiam Domino temporali. *Id. in Pſal.* 124. Verumtamen, ſi in mandatis adverſus Deum vim adhibeat Magiſtratus: nunquid liceat in hujusmodi caſu, jugum imperii & obedientiæ gladio excutere? In eam cum præſtantiſſimis Eccleſiæ doctoribus ac politicis pedibus ire ſententiam ratio cogit: ut diſtinguamus inter merè & non merè ſubditos. Jam ſi quæratur de merè ſubditis: iis ſcriptura non concedit, ut vi & armis reſiſtant magiſtratui, quantumvis impio. Sicut enim Petrus 1. *Epiſt.* 2. ſervos ſubjicit obedientiæ dominorum non tantùm bonorum, ſed etiam pravorum & tyrannorum: ſic Magiſtratui, licet tyranno, parere debent Chriſtiani, in iis, quæ ſalvâ conſcientiâ præſtari queũt. Ergò ſi Magiſtratus ad idololatriam aut impi-

impietatem velit cogere, nunquam certè conſentire debent ſubditi; ſed tum neque armatâ manu ſe proprio magiſtratui ſuo opponere. Huc enim verè pertinet illud Chriſti: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Sicut Petrum meritò reprehendit Dominus, quando contra pōtificum ſervos armis dimicavit: quantū-vis id prætextu Evangelii, imò ipſius Chriſti defendendi animo ſtudioq; faceret. Quòd ſi verò Magiſtratus perſequi & crudelitatem in confeſſores veritatis exercere incipiat: tum ne ſic quidem ad arma contra magiſtratum ſumenda proſiliant ſubditi: ſed id medium acceptēt, & uſurpent, quod ipſe Chriſtus *Matth.* 10. præſcripſit inquiens: Si perſecuti vos fuerint de civitate una, fugite in alteram. Aut, ſi id fieri non poſſit, tum ad exemplum prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum, aliorumq; S. Martyrum, patienter pro Evangelii veritate perſecutiones & ſupplicia tolerent. Videmus enim nec Chriſtum, nec ullum ex Prophetis, vel Apoſtolis, aut primitivæ Eccleſiæ. Martyribus, unquam vi & armatâ manu ſuis

propriis Magiſtratibus ſe opponere conatos fuiſſe. *Aegid. Hunnius in cap. 13. ad Roman.* Sic Eccleſia Hieroſolymitana, propter perſecutionem, in omnes regiones fugâ olim diſpergebatur. *Actor.* 8. *v.* 1. At Sadrach, Meſach, Abednego, itemque Daniel, citiùs vitam, quàm verum Dei cultũ, abjicere non dubitarunt. *Daniel.* 3. *&* 6. Ex hâc ſupremâ erga Deum obedientiâ Martyrium conſtanter adierunt tempore Maccabæorum ex Judæis non pauci virorum, mulierum, ſenum, adoleſcentum. 2. *Maccab.* 6. *v.* 10. 11. 18. *c.* 7. Tum enim non ſunt graviter metuendi, qui corpus duntaxat, non etiã occidere animam, valent, ſed is potius, qui ſimul cum corpore animã ignibus perdere æternis poteſt, *Matth.* 10. *v.* 28. Si verò non ſunt merè ſubditi, ſed ipſi quoque Magiſtratus Politici munia non poſtrema ſuſtineant, hoc & ſimilibus caſibus, ubi legibus conceſſa eſt, defenſio, ſubditis, adverſus injuſtam tyrannidem imperantium, obedientiã excutere, verbum Dei non prohibet. *David. Rung. in d. c. 13. ad Rom. add. P. Gregor. lib. ult. de*

Repub.

Repub. c. ult. Edomitæ ac Libnenſes, quia vim & injuriam Jorami regis ferre diutius non poterant, & is præterea verum Deum Iſraëlis deſeruerat, ab ipſo seceſſionem fecerunt & deſciverunt. 2. *Reg.* 8. *v.* 20. *& ſeqq.* 2. *Chron.* 22. *v.* 8. *& ſeqq.* Cōtra Athaliam, quæ regni Judaici ſceptrū vi & parricidiis arripuerat, ſummus Sacerdos Jojada, genuinum regni hæredē Joamū inauguravit, illamq; repugnātem interfici curavit. 2. *Reg.* 11. *v.* 15. Verùm enimverò in hoium quoq; determinatione ferè genus tantùm poni poteſt. Qui autem ſubditi merè ſint in ſpecie, aut nō ſint, & quinam in Repub, Magiſtratus inferiores reſiſtere tyrannidi poſſint, ex cujusq; Reipub. legibus, quæ ſtatum Reipub. fundant, judicandū. Ac ne quid in eo fiat præcipitanter, intēpeſtivè, improvidè, audacter, timidè, negligenter, remiſſè, furenter & iracundè, fortitudinis eſt, patientiæ, manſuetudinis, diligētiæ, virtutumq; aliarum, &, quæ ad circumſtātiarum trutinam virtutes omnes alias cum judicio appendit, Prudentiæ. *add. Althuſ. polit.* 14, *Bodin.* 2, *de Repub.*

4. & 5. Zoannet. p. 3 tripart. defens.

Aliás nullum inobedientiæ velamentum ſubditi ex aliis Magiſtratus legitimi vitiis, infirmitatibus, erroribus, lapſibus, vel quod propter ætatem, aut morbum, cauſſamq; aliam, ad imperandum inhabilis fortè ſit, prætendere poſſũt. Quandoquidem ſubditos, non ad vitam Magiſtratus ſed ad juſſiones attẽdere oportet: quod Chriſtus filius Dei de Scribis & Phariſæis in cathedrâ Moiſis ſedentibus monuit, *Matth. 23. in pr.* probavit tributum, quod Imperatori Romano quantumvis Ethnico, â Judæis ſubditis pręſtabatur. *ibid c. 22 v. 21.* docuerunt Israëlitas ſanctiſſimi Prophetæ, ut, pro regis Babylonici, â quo captivi tenebantur, ejusq; liberorum vitæ diuturnitate, urbis que Babylonis ſalute, Deum invocarent. *Baruch. 1. v. 11. Jerem. 29. v. 7.* Sauli, quẽ Deus regem reprobârat, quiq; furore & perturbatione mentis agitabatur, nihilominus gerere morem Iſraelitæ perſeverârunt: nec eidem ut ſe ſe opponeret David, in illius locũ rex jam unctus, adduci ullo modo potuit: Hoc magnus à

me pro-

me prohibeat Deus, inquit, ut vim unčto Domini adferam, quia unčtus Domini eſt. Num quis unčtum Domini læſerit, & inultus erit? Ita dominus vivit, niſi eum Dominus percuſſerit, aut tempus advenerit, ut moriatur, aut in pugnam exeat, & trucidetur, hoc à me Dominus procul eſſe velit, ut manũ meam adverſus unčtum Domini commoveam 1. *Samuel.* 24. *v.* 7. *c.* 26. *v.* 9 10 11. Aut nunquid Davidi poſtea adultero ac homicidæ, qui arrogantiâ ſuâ, etiã contra Joabi ducis ſui bellici monita, pænam univerſo regno attraxerat publicã, aut Salomoni Ethnicum Deorum cultum in gratiam mulierculàrum ſuſcipienti ac publicè exercenti, quisquam ſubditorũ obediẽtiæ officium propterea denegaſſe legitur? *vid. P. Gregor.* 26. *de Repub.* 5. Aſaria rex Judæ, usq; ad ultimum ſpiritũ leprâ infečtus manſit, ita ut ab hominũ cõſortio ſemotus regni negotia ipſemet adminiſtrare non poſſet, ſed filii ſui Jothami vicariâ uti operâ cogeretur, & nihilo ſeciùs regnum retinuit, 2. *Reg.* 15. *v.* 5. 2 *Chronic.* 26, *v.* 21. Octavo ætatis anno

Joſias rex Judæ Amoni parenti in regno ſucceſſit. 2. *Reg.* 22. *v.* 1. 2. *Chron.* 34. *v.* 1. Et Joas ſeptennis puer, jure ſucceſſionis, ad ſceptrum reductus, regioq; ſolio impoſitus. 2. *Reg.* 11 *in fin.* 2 *Chronic.* 24. *v.* 1. *P. Gregor.* 7. *de Repub.* 6. Valet hìc dictũ Orſici Ungariæ Palatini: Quemcunque ſacrâ coronâ coronatum videris, etiamſi bos fuerit, adorato. *Bõfin. lib.* 3. *decad.* 4.

DE AMORE ET HONORE ſubditorum erga Magiſtratum.

Cap. XXVII.

AD Amorem quoq; & Honorem erga Magiſtratum ſubditi peculiari quâdã propriâq, lege obſtricti ſunt: cùm aliàs hæ virtutes, unà cum obedientia, communiter omnibus hominibus ſint ab unoquoque noſtrum debitæ, quicunq; legitimam imperandi facultatem quantumcunque in nos gerunt, & amore honoreq; digni, nobisq; ſuperiores quovis modo ſunt. Verùm ut publicæ poteſtatis ac ſubjectionis reciprocatio neceſſari

an

am Magiſtratus & ſubditorum relationem introduxit, ſine quibus nulla unquam Reſpub. exſtitit: ſic inane eſſet, atque eluſorium ſubjectionis nomen nullâ obedientiâ ſuffultum atq; expletum. Præterea ingentis ponderis commoditates & emolumẽta, quæ ex laborioſiſſimo Magiſtratus officio, curis & actionibus, ad univerſam Rẽpubl. & ſingulos ſubditos redundant, magnum imprimis amorem ac benevolentiam merentur. Quis enim nõ optimè ei cupiat, non in oculis ferat, complectatur unicè eum, cujus vigiliis, ope, ac virtute, religionis ſinceritate, rerum neceſſariarum affluentiâ, vitæq; honeſtate, ac ſecuritate ſe publicè frui ſentit? tum & dignitatis gradus tantò honorabiliorem Magiſtratum facit, quantò inter mortales locum Deo viciniorem, ſupremi ſcilicet numinis in terris vicarius, tenet, adeò ut in nominis quoq; magnificentiſſimi ſocietatem à Deo admittatur. *Pſalm.* 82. *v.* 7. Subducamus nunc o-

mnes rationis calculos, & penſiculaté admodum conſideremus, quanto amore, quanto honore, dignum cenſere Magiſtratum, quanto animi affectu in ipſum propendere, quibus verbis, & factis noſtram erga ipſum tàm vivũ, quàm mortuum, declarare humilitatem, ſubmiſſionem, reverentiam, debeamus. Petri Apoſtoli monitum eſt, ut regem honoremus. 1. *Epiſt.* 2. *v.* 17. *add. Exod. c.* 22. *v.* 28. *Act.* 23. *v.* 5 Ex hoc ſubditorum officio objurgationis argumentum nectit Deus apud Prophetam inquiens: Si Dominus veſter ſum ubi reverẽtia mea? *Malach.* 1. *v.* 6. Hinc Auguſtinus, Imaginem Dei rex geſtat, inquit: idcirco colenduseſt, ſi nõ propter ſe, ſaltem vocationis & functionis ſuæ cauſsâ. *lib. quæſt. veter. & nov. teſtam.* 35. De Luſitanis Metellus celebrat, quòd ſoli omnium reges ſuos admirentur & ament vehementer. Ægyptii ſuos reges ſummo honore ac veneratione, ut deos, obſervaſſe dicũtur. Nam neq; abſque divino numine illos tantum Imperium crediderũt

adſecutos, & optimè de mortalibus meritos, propter res egregiè geſtas, divinæ naturæ participes arbitrabantur. *Diod. lib.* 1. *c.* 7. Apud Gallorum gentem, conſuetudine inveteratâ, venerabilis atque auguſta eſt regis ſui majeſtas, non ſecus, quàm natura illa ſuprema numenvè divinum, *Guicciard. lib.* 22. In Oriente regium nomen venerationis præcipuæ, regumq; ibi majeſtas eximia, confluētibus ad nomen populis: quemq; ſecundis rebus reverentiæ cultum exhibuêre, vel in adverſis præſtant conſtantiſſimè. *Cælius lib.* 5. *A. L. c.* 2. Apud Perſas, Mēdos, & Indos reges adorari, & in ſalutando homines toto corpore procidere invenîmus. *Alex. ab Alex. lib.* 2. *c.* 19. In more quoq; poſitū gens Judaica habuit, reges ſuos adorationis quodā gene revenerari. 1. *Samuel.* 25. *v.* 73. 24. 2. *Samuel.* 9 *v.* 6. *c.* 14 *v.* 4. *& paſſ.* Lacedæmonii nemini ſurgendi honorem habebant, præterquam Regi, & Ephoro. *Heraclid. in Lacedæm. Repub.* Tanta etiā Regiæ ſellæ apud Perſas veneratio fuit, ut ei inſidere capitale eſſet. *Curt. lib.* 8. *add. l.* 2. *&* 3. *C de offic.*

diverſ. jud. l. famoſi 7. in fin. D. ad L. Jul. majeſt. l. ſi quãdo. 16. C. de oper. publ. l. unic. C. de quæſtor. Veteres Romani per Genium, Chriſtiani veró per ſalutem Principis jurabant: obſervatumq; Romæ, Caji Imperatoris temporibus, ut omnibus juramentis hoc adderetur: *Neq;* me, neque liberos meos chariores habeo, quàm Caj ũ & ſorores ejus. *l. ſi duo. 13. in fin. D. de jurejur. l. 2. C. de reb. credit. Euſeb. lib. 3. hiſtor. c. 14. Sueton. in Cajo.* Perſæ, qui circa portas regis verſabantur, ſingulis diebus cænaturi, menſam genio regis parabant: ſacrificantes non pro ſe ſolis, privatimq; vota nuncupabant, ſed communiter omnibus Perſis benè precabantur, & inprimis quidẽm Regi. *Athenæ. lib. 6. c. 6. Herodot. lib. 1.* Judæi ſolis Impp. Romanis hunc honorem exhibuerunt, quẽ alioquin hominum nulli perſolvebant, ut quotidiè communi impenſâ pro ſalute Principis ſacrificia offerrent, *Joſeph. lib. 2. contr. Appian.* Indi veró etiam ſolennia celebrabãt & maxima dona mittentes certatim ſuas divitias oſtentabant, cùm eorum rex vel capillos ablueret.

Strab.

Strab. lib. 15. *Geogr.* Chriſtus rex regum magiſtratuum ac potentum in mundo honorificum titulum, quo clementes compellantur, etiam ſtabilit. *Luc.* 22. *v.* 25. Rubenitæ & Gaditæ ex filiis Iſraël ducis ſui Moyſis ſe ſervos, ipſum autem ſuum Dominum honoris cauſſâ vocant. Quæ loquendi cum Magiſtratu formula genti illi perfamiliaris fuiſſe, ex Bibliorum lectione notum eſt. Senatores ſuos Romani Patrum Conſcriptorum appellatione venerati ſunt. *Plutarch. in quæſt. Roman. add.* 2. *Reg.* 5. *v.* 13. Ibidem tertio poſt Calend. Januar. die pro ſalute Principis vota ſuſcipiebantut, nuncupabantur verò à Coſſ. & reliquis Magiſtratibus, & Sacerdotibus. Jaciebant & quotannis ſtipem in lacum Curtii: erant, que vota anniverſaria in die quâ Imperator adeptus eſſet Imperium, vel in qua natus eſſet. *l. ſi calvitur.* 133. §. 1. *D. de V. S. l. un. C. de oblat. votor. Plutarch. in Cicer. Sueton. in Auguſt. l. omnes.* 7. *C. de feriis. add.* 2. *Samuel.* 1 *v.* 14. *c.* 4. *v.* 10. 11. 12 Scoti Montani & Hebridum incolæ, rectore delecto, quem Tribus vocant Ca-

pitaneum, per præconem edicũt ſub capitis pœna, ne quis ex ea tribu novũ ducem alio, quàm trito vetuſtoque Tribus Rectoris nomine, deinceps appellet: ubicunq; verò id audiverit, amoto tegmine capitis, flexoq; poplite, non ſecus, ac ſi ſacris intereſſet, revereatur. Hinc per manum, pedem, nomenvé ſui ducis in contractibus jurare conſueverunt, *Heroald. Boëth. lib. 2.* Apud Spartanos in ſenatorem electus, in concionem coronatus ad omnia templa circumibat, ſequebantur multi adoleſcentes virum obſervantes, ac laudibus extollentes, multæ etiam mulieres virtutem decantantes, vitamq; ejus beatam prædicantes. Neceſſariorum autem quivis cœnam ei apponens, hanc ei à civitate honoris ergò offerri menſã, dicebat, *Plutarch. in Lycurg.* De Batavis & Germanis fertur, eos regem quem delegerunt, attollere humeris, & ſcuto exceptum pro regio faſtigio ſubcollare per vices ſolitos. *Alex. ab Alex. lib. 1. c. 18.* Numæ ad regnum urbis Romæ capeſſendum advenienti obviã proceſſum eſt à Senatu populoq;, miro omni-

omnibus viri amore affectis: proſecutæ ſunt etiam mulieres eum honeſtis acclamationibus, ſacrificatum per templa, omninoque id erat omnium gaudiũ, tanquam non Rex urbi, ſed regnũ obtigiſſet. *Plut. in Numa.* Revertentem ex provincia Auguſtum Romani, non ſolùm fauſtis ominibus, ſed & modulatis carminibus, proſequebantur: obſervatum etiam eſt, ne, quoties introiret urbem, ſupplicium de quoquam ſumeretur. Patris patriæ cognomen univerſi repentino maximoq; conſenſu detulerant ei, prima plebs, mox etiam Senatus. Quædam Italiæ civitates diem, quo primùm ad ſe veniſſet, initium anni fecerũt. *Suet. in Auguſto.* Aenariam Africæ inſulam qui incolunt tranſeuntem regem, etiã hoſtẽ, applauſu, tibiis, tubis, & ejuſmodi gratulatione venerari dicuntur. *Panorm. lib. 2. de dict. & fact. Alfonſ. c. 6.* Cicero, Semper, inquit, regium nomen in hac civitate ſanctum fuit, ſociorum verò Regum & amicorum ſanctiſſimum, *Pro Dejotar.* Suum erga regem Davidem amorẽ Huſai oſtẽdit in eo, quòd ipſum periculi im-

minentis præmonuit. 1. *Sam*. 17. *v*. 25. 16. Populus reliquus demõſtravit, cùm prælio eũ intereſſe noluit, ſuã vitã ipſius incolumitati longè poſtponentes, *ibid. c*. 15. *v*. 16. *& ſeqq. c*. 18. *v*. 3. Regno à filio pulsũ reducere quàm honorificentiſſimè cõtendũt. *ibid. c*. 19. *v*. 9. 15. 41. Acerbiſſimo luctu ac deſiderio eadem gens, per dierum plurium ſpacium, ſuorũ magiſtratuum deflere obitus conſueverat. *Deuteron. ult. v*. 8. 1. *Sam*. 25. *v*. 1. *c*. 28. *v*. 3. *c. ult. v. ult*. 2. *Chron*. 16. *v. ult. c*. 35. *v*. 24. 25. Perſis lex erat, ut à morte regis juris & judiciorum intermiſſio per quinque dies fieret: nimirùm, ut intelligerent ſubditi, quanto in prçcio regem ac legem haberi deceat. *Stobæus ſerm*. 42. Ægypti in obitu regis ſinguli capita luto deturpabant, & nudatis mammillis mulieres virique pectoribus plangebant, atque in deformi illuvie ſeptuaginta duos dies cibis animantium, vino, & omni paratu abſtinebant, ac recenſentes regis virtutes crebris ejulatibus luctum renovabant, *Alex. ab Alex. lib*. 3. *c*. 7. *Diod. Sicul. lib*. 1. *c*. 6 *&* 8. Defunctis Spartanorum regibus

gibus equites per univerſam Laconicam obitum regis annunciabant, fœminę per urbem circumeuntes ollas pulſitabant. Cùmq; hoc fiebat, neceſſe erat ex ſingulis domibus duos ingenuos, marem ac fœminã, luctu fœdari, magnis pœnis, niſi hoc faxint, impoſitis. Circa funus autẽ eadem erat Lacedæmoniis conſuetudo, quæ Aſianis: ſi quidem poſteaquã mortem obiit Lacedæmoniorum rex, oportebat ejus exſequiis adeſſe, ex omni Lacedæmonis regione, neceſſarios quosque Spartiatarum qui ſunt numero vicinorum, Quorum & item ſervorum atque ipſorum Spartiatarum poſteaquam multa millia in unum coacta eſſent, promiſcuè cum mulieribus frontes ſuas intrepidè pungebant, & ululatu immenſo utebantur, ultimum quemq; regem dicẽtes ſemper fuiſſe optimum. Qui veró regum in bello perierat, ejus ſimulacrum cùm expreſſerant, in toro bene ſtrato efferebant. Cujus tumulatione decem dies juſtitium erat, nullusq; magiſtratuum conſeſſus, ſed luctus continuus. *Herodot. lib. 6.* Apud Græcos & Romanos

Impe-

Imperatoris aut ducis, qui occubuiſſet in acie, funus, milites, quantum poterãt, militaribus ſtudiis celebrârunt. Ea põpa fuit: ut armatæ inſtructæq; legiones in turmas & centurias, cum vexillis militaribus inverſis, aut abjectis militiæ inſignibus, defunctum comitarentur, phalerasq; equis detraherent, enſium mucrones, & lancearum cuſpides humi dejectas ferrent, & rogum luſtrarent. *Alex. ab Alex. d. lib. 3. c. 7.* Principum Venetorũ exſequias Sabellicus ita peragi ſcribit. Cadaver exenteratum, balſamoque delibutum, ſub aureo amiculo, enſe, aureisq; calcaribus inverſis, publicè in foro triduò aſſervatur. Mox verò omnia civitatis collegia ſub ſignis religioſâ quadam ac ſolenni pompâ ordine procedũt, ſuccedit inde numeroſus clerus. Funus ipſum pullatorum ordo ingens, mœſto ſilentio ſequitur, juxtàq; patriciorũ non parva manus, purpurâ & cocco culta: quo quidem ſignificant, in funere principis, quantumvis optimi, civitatẽ, quæ libera eſt, in luctu planè eſſe, non oportere. Poſtquam ita funus templo illatum eſt, de-

eſt, defuncti memoria pro concione po-
puli laudatur. *lib.* 3. *Decad.* 4. His, & ſi-
qua ſunt plura, amoris indiciis honorisq́;
modis (citra ſuperſtitionem tamen, in-
traq́; humanum faſtigium, convenienter
ac ſecundum Regionis conſuetudinem)
magiſtratus à ſubditis etiam atque etiam
colendus & magnifaciendus eſt: cùm &
qui animo ad rempub. accedit recto, pro
maximis ſuis laboribus, præter hunc a-
moris ac dignitatis fructum, nihil tanto-
perè expetat, & ad officium alacriùs ob-
eundum acerrimum eſt incitamentum,
cùm magiſtratus & amari & coli à ſuis
ſe videt.

DE ONERIBUS PUBLI-cis ſubditorum.

Cap. XXIIX.

AD univerſi corporis ſalutem & cō-
ſervationem nullum in homine eſt
membrum, quod opem auxiliumq́; non
conferat. Totum corpus pedes bajulant:
hi ne fortè hallucinentur, oculi, tanquā
in ſpecula, vigiles, proſpiciunt. Alimen-
tum ma-

tum manus comparant: quod à dētibus confectum & in ventriculum delatum, ibidem concoquitur; mox ab hepate in ſanguinem converſum in corpus diſtribuitur reliquum:unde& ſpiritus vitales, & membra ſingula, confirmantur ac ſuſtentantur. In Reipub. corpore faciendū idem à ſubditis: ne quis eorum membrū in ea ocioſum & inutile ſe præbeat. Tertium hoc ſubditorum officium eſt proprium, ut PUBLICA portent ONERA: ſive, poſſeſſiones & opes, ſive corporis aut animi labores, conferenda ſint. Hæc in Romanorum jure ſubditorum Munera appellātur ad corporis Reipub. conſervationem neceſſariò obeunda, lege, more, imperiové ejus, qui jubendi habet poteſtatem, nec ullo unquam tēpore à quoquam præſcribi poſſunt. *l. munus* 18 *&* 214. *l. pupillus*. 239. *D. de. V. S. l. cōperit*. 6. *C. de præſcrip*. 30, *vel* 40, *ann. Gail*, 1. *obſ*. 21. *n*. 16. Suſtinuerūt ea onera, apud omnes gentes, tam in bonis, quàm perſonis ſuis, ſubditi, pacis belliq; tempore, & tā ordinaria certâ lege ſancita, quàm neceſſitate ita flagitante extra ordinem injuncta.

injũcta. Dare Cæſari Chriſtus jubet, quę ſunt Cæſaris: & Apoſtolus vult tributũ perſolvi cui tributum, vectigal, cui vectigal debetur. *Matth.* 22. *v.* 21. *Rom.* 13. *v.* 5. & 7, Judæi viginti annorum, & ſupra, in ſingula capita cùm recẽſerentur, dimidium dara ſiclum ſacrum juſſu Dei tenebãtur: quæ pecunia in ſacrarium repoſta in uſus ſacros impẽdebatur. *Exod.* 30. *v.* 11. & *ſeqq. Num.* 3. *v.* 47. 2. *Reg.* 12. *v.* 4. 2. *Chronic.* 24. *v.* 9. 10. Sic etiam primogenituras redimebant, & ſingulis annis decimas ſolvebant. *Levitic, ult, v.* 26. & 30. *Deuteron.* 14. *v.* 22. Ad Cæſaris Romani edictum Joſephus & Maria mater Salvatoris, ut nomina ſua & genus profiterentur, & in cenſum cum ſubditis reliquis venirent, Bethlemum ſe contulerũt. *Luc.* 2. *v.* 1. 4. 5. Et Chriſt⁹ ipſemet ab onere hoc publico eſſe immunis noluit, ſed cenſum nomine Cæſaris petitũ, numerare ſolitus fuit exactoribus, *Matth.* 17. *v.* 24. In Syriis, à quatuordecim annis maſculos, à duodecim fœminas, usq; ad ad ſexageſimum quintum annum, tributo capitis obligatos fuiſſe, Ulpianus J.C.
refert

referr. *l. ætatum 3. D. de cenſ.* Solvebant apud Romanos ſubditi canonem frumẽtarium & metallicum ex omnis generis frumentis & metallis, item ſalis, lapicidinarum, & marmoris. *C. de canon. frument. urb. Rom. & Conſtãtinopol. C. de metall. & metallar.* Nec ignorantur penſiones hinc inde ſolutæ de ſylvis, hortis, piſcinis, armentis, gregibus, molendinis, clibanis, torcularibus, cereviſiæ coctionibus, manumiſſionibus, vẽditionibus prędiorum, aut rerum aliarum, dicaſteriorum ſigillis, ſpectaculis ludorum & certaminum inſtituendis, cloacis, aquę ductibus, plurimisque aliis. *P. Gregor. 3. de Repub. 3. n. 14. VVaremund. de Erenb. de oner. ſubdit.* Adeò ut munera realia ordinaria quæ poſſeſſionibus cohærent, & ex legis proviſione certam habent præſtationem, regulariter, jure Cæſario, nõ ſolùm ſubditis, incolis, & municipibus, verùmetiam extraneis & forẽſibus portãda ſint, ſine ulla officii Eccleſiaſtici vel politici, ætatis, aut ſcientiæ excuſatione. *l. reſcripto. 6. §. 4. & ult. l. fin. §. 4. cum Gloſſ. & §. 29. D. de muner. tit. C. de muner. pa.*

ner.patrimō.Gail.2.obſ52.n.11.& obſ.ſeq.n. 5.in tr.de pignorat.obſ.15.n.11. Mynſing. 5. obſ.22. Hart.ab Epping.tit.52.obſ.5.& 7. Quibus accedūt vectigalia & pedagia,ut vocāt, & telonia pro rebus invectis, importatis,aut evectis, exportatisvè, proq; viarū,portuūq; & pontiū ſubſtructionibus ac refectionibus,&ſecuritate cōmeādi.*tit.C.de vect.g.Hart.ab Epping.tit.46. obſ 2.& 3.& tit.duob.ſeq.add.P.Gregor.3. de Rep.4.& ſeq.* Nec omittēdę hic ſunt hoſpitationes,angariæ & parāgariæ, itemq; contributiones ad lytrū pro Magiſtratu ſolvendū, ad profectionem Magiſtratus ultramarinam, ad filiam Principis elocandam, & quæcunq; cōtinent cauſſam publicam juſtam & neceſſariam quamvis aliam. *tit. C de metat.l.11.& fin. D. de muner. Vaſq. illuſtr. controv.7.n.3. Mynſing.5.obſervat.21.*

Perſonalia itidem onera, pro negotiorum publicorū neceſſaria expeditione, regulariter cuilibet ſuſtinenda ex ſubditis: ſive cum dignitate illa cōjuncta ſint, ſive omnis dignitatis expertia. Munera perſonalia ſubditorum Romanorū fuerunt varia. Et primò quidem omnis ge-

neris Magiſtratus, qui Reipub. parti adminiſtrandæ præfecti, honorẽ ac dignitatis gradum officio connexum habuerunt. Quo Magiſtratus munere qui fungi detrectabant, id agnoſcere cogebātur, captis pignoribus. *l. ſi quis.* 9. *l. cui muneris.* 12. *l. honor.* 14. §. *ult. l. ult.* §. 14. *D. de muner.* His proximi erant, qui vel Principi miniſtrabant, & quaſi à latere erant, ut Præpoſiti ſacri cubiculi, Magiſtri ſcriniorum, Comites conſiſtoriani, Comites & Tribuni ſcholarũ, Comites & Archiatri ſacri palatii, & alii: vel Principis ſimul ac civitatum poſſeſſiones, negotiaq; adminiſtrabant alia: quales erant Legati, Syndici, Cenſitores, rationum, pecuniarum fiscalium, rerum venaliũ, annonæ & frumenti, panis, olei, veſtium, arcarum frumentariarum, prædiorum publicorum, operis qualiscunq; in civitate, mænium, valli, foſſarum, portarũ, pontium, templorũ, theatri, curiæ, platearum, ædium, aquæductuum, alvei, fluminum, molarum, piſtrinorum, balneorum, thermarum, viarum, navium, portuum, limitum, excubiarum, curſus vehicu-

vehicularis, & angariarum, Calendarii, certaminum, captivorum, peregrinorũ, ipſorumq; munerum, ac morum, curatores, inſpectores, directores, pro negotii & muneris injuncti qualitate & circumſtantiis. His addendi ſunt miniſtri Magiſtratus, in militia tam togatâ, quàm bellicâ: qui erant pacis tempore omnis generis Officiales expeditionem jurisdictionis Magiſtratus adjuvantes & dicebantur Apparitores omnis generis, Magiſtratibus adjuncti, interdum etiã complures uni; ut Advocati, Numerarii, Actuarii, Chartularii, Scribæ, Adjutores, Scriniarii, exceptores ſedis excelſæ, Accenſi, Interpretes, Præcones, Nuncii, Viatores, Exſecutores & Exactores, Lictores & Carnifices. In bello milites erant, & officia militaria varia, quæ nulli ſubditorũ ſubterfugere licuit, ſine gravi ſcelere; ſancitumq; lege fuit, ut civis Romanus decennio militaret, militãdi neceſſitate ab anno ætatis decimoſeptimo uſque ad quinquageſimum quintũ impoſitâ. *Tacit.* 4. *annal. Plutarch. in Grach.* Qui ad delectum olim non reſpõdebãt, ut prodi-

ut proditores libertatis, in ſervitutem redigebantur: qui filium militiæ ſubtraxiſſet, belli tempore exilio & bonorum parte mulctabatur, in pace fuſtibus cædebatur & requiſitus juvenis, vel à patre poſtea exhibitus, in deteriorem militiam dabatur. Quemdam Trajanus Imp. deportavit, qui dilectu per bellum indicto filium debilitaverat, ut inhabilis militiæ eſſet. *l. qui cum eo. 4. §. gravius. 10. & ſeqq. D. de re militar.* C. Vettienum, qui ſiniſtræ manus digitos, ne bello Italico militaret, ſibi abſciderat, Senatus Romanus æternis vinculis addixit, bonis etiam ejus publicatis. *Val. Max. lib. 6. c. 3.* Digitis ita trũcatos poſtea jiculariter Murcos appellârunt, & pœnis ſubjecerũt variis. *Cujac. 15. obſ. ult.* Quid? quod Romani uſq; ad tempora Tulli regis ſuis ſumtibus militabant, donec Anxuræ oppido capto à ſenatu conſtitutum, ut ſtipendium militi de publico daretur. *Dionyſ Halicarn.. Liv. 4. decad. 1.* Cætera ſubditorum apud Romanos munera perſonalia, non quidem principaliter, ſed in conſequentiam, publica erant, tutela, cura adulti,

adulti, furioſivé, item prodigi, muti, vētris etiam, ad exhibendum cibum, potū, tectum, & ſimilia. Sed & in bonis, cujus officio uſucapiones interpellabantur, ac ne debitores liberarentur providebatur. Item ex Carboniano edicto bonorū poſſeſſione petitâ, ſi ſatis nō daretur, cuſtodiendis bonis curator datus perſonali fūgebatur munere. His ſimiles erant bonis dati curatores, quæ fuerant ejus, qui ab hoſtibus captus reverti ſperabatur, item cuſtodiendis ab eo relictis, cui nec dum quiſquam civili vel honorario jure ſucceſſerat, curatores conſtituti, & ſimiles. *l. 1. §. ult. D. de muner. ib.*

At verò quot & quāta ſint hæc ſubditorū onera certâ definiri regulâ nequit: cùm neque Reip. ſyſtema ſit ubique idē, incertæ inſuper temporum negotiorūq; viciſſitudines & difficultates, munerum iſtud onus non ſemper eſſe idē patiūtur. Nā quod ordinariū munus eſt certâ lege deſcriptum, neceſſitate ingruente, magis etiam intenditur, plurimumq; ponderis & incrementi à caſu accipit: adeò ut in ſumma & extrema Reipub. diffi-

ſultate, omnes immunitates & privilegia ceſſent, omnium animis, omni ope, omnibusq; nervis ad publicam ſalutem intentis. *Gail. 2. obſ. 52. n. 26. Mynſing. 4. obſ. 70. Hartm. ab Epping. t. 52. obſ. 6.* Etenim publica tum neglecta incolumitas cùm nihil faciat reliqui, in quo privatorum adquieſcere felicitas queat: ſatiùs bono civi eſt, privato incommodo bonũ publicum redimere, quàm cũ Reipub. interitu ſpem ſimul omnem privati boni unquam recuperandi amittere. Res enim publica incolumis & privatas res facilè ſalvas præſtat: publica perdendo, tua nequidquã ſerves. *Liv. 6. Dec. 3.* nã & aliàs publica utilitas ſemper eſt anteferenda privatæ *l. unic. ʃ. 14. C. de Caduc. toll. l. 3. Cod. de primipil. l. ita vulneratus, 51 ʃ. 2. v. multa. D. ad l. Aquiliam, l. ſunt perſonæ. 43. D. de religioſis.* Ita ſi via publica vel fluminis impetu, vel ruinâ amittatur, ut vicinus proximus viam præſtet, neceſſitas publica exigit. *l. ſi locus.* 14 § 1. *D. quemadm. ſervitut. amitt.* imò pro utilitate publica non repugnabit fidelis & cordatus ſubditus omnes ſuas opes ac fa-

cultates in medium conferre. Ad vaſtationem regni à Rege Aſſyriorum imminentem avertendam locupletiores ex Iſraëlitis viritim L. ſiclos argenti extra ordinem contribuêre. 2. *Reg.* 15. *v.* 20. Bello Punico ſecundo, cùm Romana res in ſummas redacta anguſtias eſſet, foris Hannibale hoſte acerrimo, crebriſq; ac recentibus victoriis, præſertim Cannēſi, ſuperbo, domi ærarii diuturnis bellis exhauſti inopiâ, ultimum exitium intentantibus: nullus Romanorum fuit, qui non fortunis ſuis omnibus opitulari patriæ laboranti ſatagerit. Cùm namq; Cenſores ob inopiam ærarii ſe jam locationibus abſtinerent, ædium ſacrarum tuendarum, Curuliumq́; equorum præbendorum ac ſimilium his rerum, convenere ad eos frequentes publicani hortantes, ut omnia perinde agerent, locarentq́;, ac ſi pecunia in ærario eſſet: neminem niſi bello confecto ab ærario petiturum eſſe. Convenere deinde dominī eorum, quos T. Sempronius ad Beneventum manu emiſerat, accerſitoſq́; ſe ab [illegible]

ut precia ſervorum acciperent: cæterùm non ante quàm bello confecto accepturos eſſe. Cùm hæc inclinatio animorum plebis ad ſuſtinendam inopiam ærarii fieret: pecuniæ quoq; pupillares primò, deinde viduarum cepta conferri, nuſquã eas tutiùs ſanctiùsq; deponere credentibus, qui deferebant, quàm in publica fide: inde ſi quid emtum paratumq; pupillis ac viduis foret à quæſtore perſcribebatur. Manavit ea privatorum benignitas ex urbe etiam in caſtra, ut non eques, non centurio ſtipendium acciperent, mercenariumq; increpantes vocarent, qui accepiſſet. *Liv. 4. Dec. 3. Val. Max. lib. 5. c. 6.* Annis deinde aliquot pòſt, bello ſimul Macedonico ingruente, cùm ſine claſſibus & remigum ſupplemento Romani aut Siciliam obtinere, aut Italià Philippum Regem arcere non poſſent; ærario autem exhauſto, cives nil reliqui præter terram nudam ac vaſtam ſibi eſſe, ſeq; ut dent, quod non habent, nulla vi, nullo imperio cogi poſſe, dicerent, tanto fremitu, tantâq; indignatione, ut magis dux, quàm materia, ſeditio-

ſeditioni deeſſet: Lævinus Conſul Senatum hortatus eſt: aurum, argentum, æs ſignatum, omnes ſenatores ſequenti die in publicum conferrent, ita ut annulos ſibi quiſq; & conjugi & liberis & filio bullam, & quibus uxor filiæ vé eſſent ſingulas uncias auri, pondo relinquerent argenti: qui Curuli ſellâ ſéderent, equi ornamenta & libras pondo, ut ſalinum patellamq; deorum cauſsâ habere poſſent: cæteri ſenatores libram argenti tãtùm, æris ſignati quina millia in ſingulos patresfamiliæ relinquerent: cæterum omne aurum, argentum, æs ſignatum ad Triumviros menſarios extemplo deferrent, nullo ante SCtô facto, ut voluntaria collatio & certamen adjuvandæ Reipublicæ excitet ad æmulandum animos primùm equeſtris ordinis, deinde reliquæ plebis. Senatu inde miſſo, pro ſe quisq; aurum, argentum, & æs in publicum contulerunt, tanto certamine injecto, ut prima inter primos nomina ſua vellent in publicis tabulis eſſe: ut nec Triumviri accipiendo, nec Scribæ referendo ſufficerent. Hunc conſenſum Se-

natus equeſter ordo eſt ſecutus: equeſtris ordinis plebs. Ita ſine edicto, ſine cohortatione magiſtratus, nec remige in ſupplementum, nec ſtipendio Reſpubl. eguit. *Liv. 6. Dec. 3.* Modeſtinus & Paulus JCti reſponderunt: licet Reipub. defenſionem nemo ampliùs, quàm ſemel ſuſcipere cogatur, attamen ſi penuria ſit eorum, qui magiſtratus ſuſcipiant, idque fieri neceſſitas poſtulet, immunitatem ad aliquid infringendam eſſe. *l. ut gradatim, 11. §. 2. l. æſtimationem. 16. §. ult. D. de muneribus.* Hadrianus Imperator ad Clazomenios, referente Marciano JCto, reſcripſit: Si legatio de primoribus viris in Curiam lectis perſonas deſideret, & qui ordine vocantur inferiores ſint, non eſſe obſervandum ordinem: *l. ſciendum, 4. §. 5. D. de legation.* Bello Punico, cùm Q. Fulvius, App. Claudus Coſs. ægrè delectum conficerent, quòd inopia juniorum non facilè in utrumq;, ut & novæ urbanæ legiones, & ſupplementum veteribus ſcriberetur, ſufficiebat, Triumviri bini creati, alteri, qui citra, alteri qui ultra quinquageſimum lapidem in plateis foriſq; & in cõciliabulis omnem co-

piam ingenuorũ inſpicerent,& ſi qui roboris ſatis ad ferenda arma habere viderentur, etiamſi nondum ætate militari eſſent, facerent. L. Valerio quartùm Cõſule, delectu habito,nõ juniores modò conſcripti, ſed ſeniores etiam coacti nomina dare,ut urbis cuſtodiam agerẽt. Bello Samnitico Etruſco, Senatus delectum omnis generis hominum haberi juſſit, nec ingenui modò aut juniores ſacramento adacti ſunt,ſed ſeniores etiam cohortes factæ,libertiniq; centuriati. *Livius.* Apud Athenienſes, quoties exigebat neceſſitas, cives à decimo quarto ætatis anno uſq; ad ſexageſimum militare cogebantur, cujuſcunq; eſſent conditionis *Julius Pollux. Plut. in Phocion.* Nec dubium eſt,quin hodiè quoq; omnes ſine diſcretione ſubditos induere arma oporteat, quoties ad Remp. propugnandam nulla externa militum auxilia adhiberi commodè & utiliter poſſunt. Eccleſiaſtici tamen ordinis qui ſunt, ne tum quidẽ ad pugnã exciri cũ aliis poſsunt,quòd eorum ſubjectio, quam magiſtratui debent, non latiùs extendenda, quàm

ipſorum hierarchicum admittit. Pro religione enim illi non gladios diſtringũt, ſed verbo Dei pugnant. Coactus repugnare non novi, inquit D. Ambroſius; potero dolere, potero flere, potero gemere: adverſus arma, milites Gothos quoq;, lachrimę meæ mea arma sũt. Talia enim ſunt munimenta ſacerdotis. Aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere: fugere & relinquere Eccleſiam non ſoleo. Servum Chriſti non cuſtodia corporalis, ſed Domini providentia ſepire conſuevit. *c. non pila. 3. c. convenior.* 21. 23. *q* 8. Ad ea itaq; ſubditorum onera in Republica miniſtri Evangelii adſtringendi, quę officio ipſorum, quod gerunt longè ſublimius in Eccleſia, nullum impedimentum injiciant, neq; ſubſidiis vitæ neceſſariis ſpolient, aut aliàs indigna iis ſint, & à ſpirituali docendi munere & curâ animarum prorſus aliena.

Atq; hæc onera ſubditorum Prophepheta Samuel ſuâ ad populum Iſraeliticum oratione complexus eſt, quæ & populus agnovit: Hoc erit jus regis (inquit ex ipſo Dei ore Propheta) filios veſtros

tollet

tollet, & ponet in curribus ſuis, facietq́; ſibi equites & præcurſores quadrigarum ſuarum & conſtituet ſibi tribunos & cẽturiones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorũ, & currũu ſuorum. Filias quoq; veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoq́; veſtros & vineas, & oliveta optima auferet & dabit ſervis ſuis. Sed & ſegetes veſtras, & vinearum reditus addecimabit, ut det miniſtris & famulis ſuis. Servos etiam veſtros & ancillas & juvenes optimos & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoq́; veſtros addecimabit, vosq́; eritis ei ſervi. 1. *Sam.* 8. *v.* 10. *& ſeqq.*

Abſoluto ſubditorum officio proprio, commune eorundem officium in virtutum Ethicarum obſervatione, perinde de atq; magiſtratus, poſitum, nunc perſequi occaſio non permittit: ideoq; filũ hîc abrumpere cogimur.

DE SPECIEBUS RERUM-publicarum.

Cap. XXIX.

Essentialibus Reip. partibus in Magiſtratu & Subditis, eorumq; officio ſingulatim & in genere expoſitis: videndum porró eſt, quot & quales Rerumpublicarum ſpecies ſeu ſtatus, ex harum partium varia inter ſe compoſitione ac diſpoſitione oriantur. Pro diverſa enim ſubjectionis ac poteſtatis inter ſubditos ac magiſtratus conformatione & temperamento, aliæ atq; aliæ exiſtunt Rerumpublicarũ ſpecies: ſicuti varia principiorum phyſicorum mixtura diſtinctas rerum naturas & formas producit. Ac quoniam imperandi principium à publica poteſtate ducitur, ex hac competente magiſtratui poteſtate ſubjectionis ſimul modus in ſubditis, & Reipub. inde forma, qualis ſit, noſcitur. Poteſtatem verò magiſtratus hac in re intueri aliam non debemus, quàm ſummam ac ſupremam in univerſos ac ſingulos: quãdoquidem à poteſtate ea, quæ totã Rempublicam non complectitur, totius Reipub. æſtimari natura nequit; ut totius hominis vita & craſis nõ ex animæ vinculo judicatur, quo cum brachiis aut pedibus, ſed

bus, ſed cum univerſo pariter corpore, ſingulisq; ejus membris, conjungitur. Summa iſthæc & ſuprema poteſtas ſui naturâ eſt abſoluta, id eſt, ſoli Deo & naturæ ſuppoſita: & competit aut æqualiter omnibus ejuſdem Reipub. Civibus, aut Paucorum, vel Unius tantùm cōmiſſa arbitrio eſt. Unde duo ſumma genera Rerumpubl. prodeunt: ut aliæ à Pluribus, aliæ ab Singulis, ſummâ poteſtate gubernari dicantur.

Plurium poteſtas Polyarchiam facit. *Eſt autem POLYARCHIA res ſeu politia publica, in qua ſumma jubendi prohibendiq; poteſtas pariter eſt penes plures. Libertatis amica eſt polyarchia: quoniam non omnes in Repub. unâ quâdam ſimplici ſubjectionis lege conſtringit: ſed libertatis naturalis, quâ omnes & ſinguli homines naſcendi jure mundi domini, ſuarumq; actionum magiſtri & arbitri ſoli ſunt, nota relinquit veſtigia. Idque jus principio rerum omnibus Adami poſteris à Deo datum eſt, tali ſanctione: Terram vobis ſubjicite: domina-

mini piſcibus maris, & volucribus cœli, omnibusq; animantibus, quæ moventur ſuper terra. *Geneſ.* 1. *v.* 28. Donec peccato corruptam humanam mentem ſubiens effrenis malitia legũ & poteſtatis publicæ capiſtro compeſcenda omninò erat, ut civilis inter homines cõſtaret congregatio & ſocietas, cõcordiâ & juſtitiâ publicâ devincta. Ut autem quilibet homo, congenitam ferocientium cupiditatum libertatem legũ vinculis coerceri, impatientiſſimé ſuſtinet: ſine quibus tamen hominum genus, uti nunc eſt, ne ſubſiſtere quidem poſſit: ſic in Repub. proprio faciendi arbitrio ſaltem liberiore dato ferventem perpetuó humani animi nequitiam, & in peſſima quæq; inclinationem, tandem exæſtuare & multorum malorum ejicere ſordes neceſſe eſt. Quâ labe hoc Polyarchicum Reipub. genus non leviter adſperſum, ſeditionumq; procellis ac tempeſtatibus maximé obnoxium deprehenditur: ut quó magis ad libertatem inclinat, hôc ſit quidem ſecundũ naturam

naturam magis, ſed turbulentius ac mutabilius. *Bodin. 6. de Repub.* 4. Dabunt igitur hanc inprimis operā Polyarchici Magiſtratus, ſi eſſe ſalvi velint, tum (quia plures ſunt) ut concordiam inter ſe ſtudioſiſſimè colant, tum (quia pares ſunt) ut ſtrictiſſimis legum repagulis, quæ nullus Magiſtratuum vel leviter moveat impunè, ſtatum ſuum communiant, communemq; poteſtatem ullius fieri propriam vigilantiſſimâ curâ præcaveant. In populari Thebanorum Repub. lege cautum fuit: ut ejus caput ſacrum eſſet, qui exercitui præfectus, vel diem unum, Magiſtratus tempore legibus definito, imperium non depoſuiſſet. Epaminondas & Pelopidas ibidē capitis acerſiti, quòd lege Magiſtratum primo menſe ſucceſſori tradi jubente, ipſi quatuor totos menſes ampliùs eum tenuiſſent: licet interea temporis utiliſſimas res pro Repub. geſſerant. *Plutarch. in Pelop & Emil. Prob. in Epaminond.* Romæ ſancitum lege Juliâ erat: ut reus Majeſtatis haberetur, qui

de provincia, cùm ei ſucceſſum eſſet, non deceſſiſſet. *l. 2. & 3. D. ad L. Jul. Majeſt. Alex. ab Alex. lib. 4 c. 6.* Ne ultra tempus lege præſtitutum Lucullus cum Imperio eſſet Tigranem non eſt inſecutus, ſed potiùs ei evadendi omninó otium conceſſit. *Dio Caſſ. lib. 35.* Ad præcavendas tentandę libertatis occaſiones in Polyarchiis ſedulò quoq; obſervatum comperimus: ut neque magnas poteſtates ſine ſocio, niſi in bellis ferè, neq; diuturnas conceſſerint. Romani majori imperio præfecerant duos annuatim conſules, Carthaginenſes duos ſuffetas, qui viciſſim alternis diebus Rempub. adminiſtrarent. Sex viris, qui conſilii capiendi cauſsâ Venetorum Principi adeſſe jubentur, imperium bimeſtri curriculo definitum eſt. Athenis plus uno die Archonti claves arcis habere non licuit. Sed & Magiſtratuum provincialium, ac plerorumq; aliorum poteſtatem, Romani brevioris temporis ſpatio determinârũt. Sempronia lex Imperiũ provinciale ultra quinquennium

nium cuiquam prorogari prohibuit: Magiſtratui provinciali lex Cornelia triginta tantum dies ad decedendum conceſſit, poſtquam ſucceſſor miſſus eſſet: lex Julia provincias prætorias plus quàm annum, & plus quàm biennium conſulares, obtineri; qui cũ Imperio eſſent, injuſſu populi aut ſenatus de provincia exire, exercitus educere, aut bellum ſuâ ſponte injuſſu populi aut Senatus gerere, in regnum alienum accedere, vetuit: lex Bebia introduxit: ut alternis annis quaterni prætores crearentur: cenſura quoque priùs quinquennalis facta eſt annua ac ſemeſtris, Æmilio Mamurco rogãte, qui & poſtridié, quàm dictator factus eſſet, poteſtatem ultró depoſuit. Conſilii ſui cauſſam is attulit graviſſimam, verèq; Polyarchicam: Maxima, inquit, libertatis cuſtodia eſt, ſi magna Imperia diuturna non ſint & temporis modus imponatur, quibus juris imponi non poteſt. Et ut re ipsà ſciatis, Quirites, quàm mihi diuturna nõ placeant imperia, dictaturà me abdico. *Liv.*

co. *Liv. lib.* 4. *decad.* 1 Nec multum abfuit, quin Gabinius Tribunus plebis à Senatoribus in ipſo Senatu interfectus ſit, quòd belli Piratici adminiſtrationem in quinq; annos Pompejo populi rogatione tribuiſſet. Qua de re Dio, Qui diutiſſimè, inquit, imperârunt, non modó cæteros contemnũt, ſed etiam imperantibus Magiſtratibus parere dediſcunt. Et Caſſiodorus, Antiquitas, inquit, provinciarum dignitatem voluit annuâ ſucceſſione reparari: ut nec diutinâ poteſtate unus inſoleſceret, & multorum provectus gaudia reperirent. *Bodin.* 4. *de Repub.* 4. Apud Diodorum *lib.* 12. in Aventino fœdere ibidem comprehensũ hoc fuiſſe, legitur: uti Tribuni plebis, exacto ſui Magiſtratus anno, mox totidem alios jn annum ſequentem deſignarent: quod ſi prætermiſiſſent, illicó vivi comburerenrur. Tempeſtivé Hannibal, Imperator à Carthaginenſibus delectus, rogationem ad populũ tulit: ne qui biennium continuũ judices eſſent, ſed in ſingulos annos novi lege-

vi legerentur: cùm anté, qui judices perpetui fuiſſent, imperii fiduciâ, ut ſolet, multa factiosè & inſolenter egiſſent. *Liv. lib. 5. decad.* 4. Accidit tamen interdum in Polyarchiis, perturbatiſſimis Reipub. temporibus, & in Magiſtratuum diſſenſionibus graviſſimis, ut uni alicui extra ordinem totius Reipub. ordinandæ poteſtas tribuatur. Quem profectò hominem eſſe lectiſſimum oportet, nec eâ maximâ poteſtate diu præditum. Sicuti Romæ aliquoties, cùm res ita poſtulâſſet, creatus Dictator fuit: quo ineunte, Magiſtratus reliqui omnes abdicabant; ſed nec ultra ſemeſtre ei dari imperium placuit: nec ulli unquã in libera Repub, præterquàm Furio Camillo, in ſex iterum menſes tánta poteſtas prorogata. Tandem etiã rogatione Junia ſacratâ factum, ut creato Dictatore Tribuni plebis nihilominus jus interceſſionis haberent: ut ſi provocaretur à Dictatore, Tribuni cogerent plebem, apud quam de provocatione certabatur. *Bod. 1. de Repub.*

& ſ.

8. *& lib. 4 c. 1. Roſin. antiquit. Roman. 5.6. 8. Alex. ab Alex. lib. 1. c. 6 & lib. 4. c. 25. P. Gregor. 4. de Repub. 5 n. 32. & lib. 6. c. 9. n. 6.* Imperantium ἰσονομία & hinc nata concordia in Polyarchiis ut cuſtodiretur ſarta, Magiſtratuum creatio ſorte alicubi facta eſt: ne, ſi libera ſuffragia eſſent, quis ſe præteritum conquereretur. Quod potiſſimùm populare eſſe Ariſtoteles ſtatuit: ut ſi non omnes, illi ſaltem, Magiſtratus ſorte ducantur, qui non peritiâ inſigni & arte indigent. *6. Politic. 2.* Athenis, uti & Romæ, judices ſorte legebantur, & Venetiis ſorte electos Magiſtratus ex paribus, Contarenus indicat. *lib. 1. de Repub. Venet. Sigon. 2. de jud. 2. & 3. de Repub. Athenienſ. 4. add. Panormit. in c. fin. de ſortileg. Bodin. 3. de Repub. 3. circa fin.* Præterea cùm in pluriũ dominatu omnium pariter voces in publicis deliberationibus admittendæ ſint, & ex plurium votis, ſententia una communis colligenda: ne par utrinq; votorum numerus, concertationes excitet, & actiones publicas impediat, magi-

ſtratuum quædam diſparitas inſtituenda eſt: ut olim apud Athenięſes novem Prætores fuerunt, quos ipſi Archontas appellabant, ut pauciores cęteris aſſentirent, aut numero vincerentur. *Bodin. 4. de Repub. 5.* Et in judiciis Reip. Argentinenſis ſunt ſeptéviri, tredecimviri, quindecimviri, viginti & unus viri, impari omnes numero. Nec minùs munitiones, arces & propugnacula in Polyarchiis & cautè & non facilè alia habenda, quàm eam urbem, in qua totius Imperii ſedes eſt, ac magiſtratus habitatio: præſertim ſi polyarchia anguſtis Reip. finibus cõtineatur: ne aut cũ pauciores imperãt arciũ & propugnaculorum munitiſſimorum occupatione, eorum aliquis cum populo ſe conjungat, & excludat cæteros: aut in populari imperio paucorum libido, loci ac mœnium clypeo vallata in ſe legum ac poteſtatis ſummam, vi transferat. *Bodin. 5. de Rep. 5. Petr. Greg. 2. de Rep. 3. n. 7.*

Plures illi qui in polyarchia rerum gubernacula teneat, ſunt rurſus vel

omnes

omnes & ſinguli, vel certi duntaxat aliquot: quorum illi Democratiam, hi Ariſtocratiam conſtituunt.

DEMOCRATIA eſt polyarchia univerſorum. Atq; ut polyarchia à naturali libertate non diſcedit lõgiùs: ita hæc prima illius ſpecies Democratia, etiam longè minimum ſubjectionis complectitur: magiſtratus & ſubditorum jure ita confuſo, ut qui imperant, iidem ſubjiciantur. Unde vel in primis Democratia ſecundum naturam eſſe intelligitur: ut, quemadmodum natura omniũ primò illam offert, ita artis quoque præcepta, naturæ æmula, hoc Reipub. genus jure ante omnes alias ſibi tractandum proponant. Ut maximè enim Democratia cum Ariſtocratiæ, multoq; minus Monarchiæ præſtantia, conferenda non ſit: nec ulla prima in mundo Democratica Respub. fors extiterit: nunquam tamen inde efficitur, ut hic Reipub. ſtatus non plurimum ejus libertatis contineat, in qua & creati primùm homines, & poſtmodum nati fuerunt. Sané creationis jure homo nullius niſi DEI & naturæ legi-

ræ legibus ſubjectus erat. Poſtquam verò immundi ſpiritus contactu inquinatus diſciplinæ etiam externæ retinaculis opus habet, ſi eam Reipub. formam eligat, in quâ omnium in omnes æqualis poteſtas ſit, propiùs utiq; à libertate naturali abſceſſerit, quàm ſi omnem poteſtatem vel paucis tradat, vel uni. Quamvis inficias ire nemo queat, melius cum homine agi, ſi minimum ſibi indulgeat, minimumque laxamenti habeat ferox ille humani ingenii fervor, & penitus ipſis medullis diffuſa malitia, quâ tanquã perpetuis offuſis nebulis & boni ſæpenumerò viri, qui rectum ſibi vitæ iter animo propoſuerunt, ad vitiorum ceſqua præter opinionem ſubinde abripiuntur: longiùs aberraturi, niſi legum, publicaq; diſciplinæ vinculis retinerentur. Quare hæc etiam Democratica Reip. gubernatio deterior cenſetur: in qua licentia populi major, nec aliter, nec ampliùs, quàm placuit, magiſtratibus ſubjicitur: nec rarò turbulentæ concionis affectibus abrepta pro libitu in omne genus vitiorum inque proprium interitum cœca fertur,

tantóq;

tantòq; plus ſibi fas eſſe credit, quantò plus ſe poſſe videt. Ita omnium Rerũp. liberrima Democratia, ſi in libertate modum ſervare humana cupiditas didiciſſet. Libertas autem iſta intelligitur ex eo, quòd in Democratia ſumma jubendi ac prohibendi poteſtas pariter eſt penes univerſos. Quâ ratione qui hìc ſummam poteſtatem habent, ſunt illi ipſi etiam ſubditi: ſic ut poteſtas ſit omnium in ſingulos & ſubjectio ſingulorum erga omnes. Unde ſumma æqualitas arguitur: ut neq; plus ſinguli poſſint in ſingulos, quàm univerſi in univerſos, neque ſinguli plus ſubjiciantur ſingulis, quàm univerſi univerſis. Elicitur hinc illud, debere eos, perfectam tenere Democratiam qui cupiunt, eò omnia ſua conſilia dirigere, ut omnes omnibus quàm maximé ſint in poteſtate & ſubjectione æquales, publica omnia publicè omnibus & ſingulis proſtent; ut quemadmodum nullus à ſubjectione eximitur, ita nec ad poteſtatem cuiquam via præcludatur: parendi & imperandi vices ſint. Etenim cùm [illegible] & intolerabile

eſſet.

eſſet, quævis etiam minima privatorũ negocia ac lites univerſorum pariter judicio diſceptari ac ſopiri, quod publicè erat omnium, translatum eſt in paucos; hactenus tamen, ut quæ totum Reip. ſtatum concernerent, in his poteſtatem ſibi reſervârint univerſi integram, & quę tributa paucis eſſent poteſtatis jura, nihilominus univerſorum cenſerentur, quippé ex univerſis ſingulis ad eorum participationem ordine admiſſis. Romæ lex Valeria ſacrum eſſe cum bonis caput ejus juſſit, qui imperium haberet niſi â populo, quique magiſtratum adiiſſet injuſſu populi. *Liv. lib. 2. Dion Halicarn. lib. 5.* Lege Oviniâ, cujus Feſtus meminit, Cenſores ex omni ordine etiam plebejo optimum quenq; curiatim in Senatu legere jubebantur. Cùmq; aliquandiu Conſulatus non niſi patritiis pateret, tãdem per Tribunos plebis effectum, ut Conſulem alterum ex plebe creari lex eſſet. *Liv. lib. 6.* quinimò vel utrumque ex plebe Conſulem fieri poſſe lege Genutiâ conſtitutũ: quâ & vetitũ, ne quis eundem magiſtratum intra decem annos

gereret,

caperet, neu duos magiſtratus uno anno gereret. *Liv. lib. 7.* quam repetiit & cõfirmavit Sylla Dictator, ejusque rationẽ minimè habendam ſanxit, ſi quis intra decennium eundem magiſtratum repetiiſſet. *Appian. lib. 1. bell. civil.* Etiam de Cenſoribus ex plebe creandis lata lex fuit à Publio Dictatore. *Liv. lib. 8.* Cui ſimilis illa: ut Tribuni militum Conſulari poteſtate promiſcuè ex patribus & plebe crearentur. *Liv. lib. 4* Et prẹter duos urbanos Quæſtores, duo inſuper alii, qui Conſulibus ad miniſteria belli præſtò eſſent, tàm ex plebe, quàm ex patribus, legerentur. *Plut. in Gracch.* Interim provocationis jus adverſus omnes magiſtratus populus ſibi proprium reſervarat, triplici lege Valeriâ: quâ jusq; fisque erat impunè occidere eum, qui ullũ magiſtratum ſine provocatione creaſſet. *Liv. lib. 2. 3. 10.* adeò, ut tandem etiam à Dictatore provocari poſſet ad populũ. Nec poſtremum ſtatus Democratici firmamentum lẹx Porcia & Sempronia fuit: Ne quis magiſtratus civem Romanũ virgis cæderet, necaretvé, aut de capite
civis

civis Romani injuſſu populi judicaret. Si quis autem magiſtratus indictâ cauſsâ in civem Romanum animadvertiſſet, de eo populi quæſtio inſtitueretur. *Cic. pro Rabir. Cluent. Dom. ſua. 3. de LL.* Lex Sulpitia, Sempronia, necnon Papyria templum aramvè injuſſu Senatus aut Tribunorum plebis majoris partis dedicare, aut ullam rem aliam conſecrare, ſine populi conſenſu inhibuit. *Liv. lib. 9. Cic. pro Dom.* Supremæ illud omninò poteſtatis: quòd populus univerſus comitiis centuriatis, vel tributis, majores minoresque magiſtratus creabant, quoſdam ex ſacerdotum ordine deſignabant, de bello, de pace, deq; univerſa Republ. deliberabant, leges ferebant, quæ plebiſcita hinc nominabantur, legibus, quos vellent, exſolvebant, præmia publica decernebant, æris vel capitis pœnam delictis infligebant. *Roſin. 6. antiq. Rom.* Ac ne plebis libertas vexari aut imminui à Senatu ac patriciis unquam poſſet, ſibi è ſuo corpore peculiarem magiſtratum Tribunos inſtituit, & ſacroſanctum eſſe juſſit, ut Tribunum vel verbis violare

capitale eſſet, & ſcelus inexpiabile. Tribunitiâ hâc potentiâ Patriciorum inſolentia ac injuriæ adverſus plebem vehementer repreſſæ, & Democratica libertas mirum in modum conſtabilita. *Dion Halicarn. lib. 6. vid. Sigonium* 1. *de Jur. Rom.* 6. *Alex. ab Alex. lib.* 1. *cap.* 3. *lib.* 5. *c.* 2. *lib.* 6. *c.* 24. *add. l.* 2. *D. de orig jur.* Athenienſi in Democratia concionis arbitrio univerſum à Solone populare permiſſum erat imperium. In concionibus, quæ vel ordinariæ erant, ſtatis diebus haberi ſolitæ, aut extraordinariæ, pro re nata coactæ, à populo magiſtratus creabãtur, judicabantur, abrogabantur, legati eligebantur, & mandatis inſtruebantur, aut gentium exterarum audiebãtur, belli paciſq; negotia tractabantur alia, de ſacris, de fœderibus, de pecuniis publicis, de jure civitatis dando, de præmiis, immunitate, coronis, proædriis, ſtatuis, & victu in Prytaneo, de delictis & pænis, de ludis. Legum tamen veterum abrogandarum novarumq; inſtituendarum jus, non univerſæ concioni, ſed meliori populi parti datum erat, qui in concione le-

ges ad-

ges ad ſe perlatas ſuo judicio, aut probabant, aut repudiabãt. Cùmque nihil tàm populare ſit, quàm omnes ex omnibus, & de omnibus, aut certè de plurimis, aut maximis judicare: Solon judicia omnia civibus omnibus impertivit, ad quæ & provocatio à magiſtratibus fiebat. Atq; ut popularem æqualitatem omninó tuerentur, remedio utiq; nimium violento uſi per Oſtraciſmũ à Cliſthene introductum eos, qui virtute, opibus, potentiâ, gratiâ, excellere omnibus videbantur, decennium exſulare urbe compulerunt. *Carol. Sigon. de. Rep. Athen. Ariſt. 3. Polit. 9.* Idquod præſtabat Petaliſmus Syracuſiorum quinquennali exſilio. *Diod. Siculus, lib.* 11. *Alex. ab Alex. lib. 3. c.* 20.

ARISTOCRATIA eſt polyarchia paucorum. Paucitate ergò imperantium Ariſtocratia à Democratia diſtinguitur: unde & luculentius diſcrimen hìc oſtenditur inter ſubjectionem & imperium. Quanquam in Ariſtocratia, qui paucorum numero ſunt, ſuis etiam legibus, quarum poteſtatem habent, ſubjiciuntur, tum ſibi mutuò imperant, non

quidem ſinguli, ſed conjuncti. Hoc verò intereſt, quòd in Democratia populus ſibi tantùm imperat, in Ariſtocratia pauci illi præterquam ſibi & aliis. Ita ſi paucos iſtos in Ariſtocratia ad ſe invicē conſideres, Democratiam repræſentāt, ſi ad cæteros, in quos illi ſummæ poteſtatis jura habent, Ariſtocratiam conſtituunt. Ut eâ ratione non inſubtiliter dicere quis tentaverit: democraticam per ſe Rempublicam, tùm etiam dici poſſe Ariſtocraticam, ſi, inter ſe Democratici qui ſunt, ſummo imperio etiam dominentur aliis, ut populus Romanus multis gentibus bello ſubactis Atque ut manifeſtiore magiſtratus ſummi & ſubditorum ſeparatione Ariſtocratia à Democratia diſcernitur: ita cum Monarchia ſimilitudinem in eodem habet, & mediā quandam naturam obtinet. Ex quo etiam Ariſtocratici gubernatores inter ſe quidem ad Democratiæ, ſed erga ſubditos, ad Monarchię rationem ſe conformabunt. Quo & nomine hoc Reipub. genus ſtabilius eſt, quòd ad unitatē, quæ in omni Repub. quæritur, propius accedat, pau-

dat, paucis faciliùs, quàm univerſis in Repub. gubernanda conſentiẽtibus. Cęterùm paucos hoſce Ariſtocraticos, aut numero certo, aut divitiis, aut generis ſplendore definirè, minimè conſentaneum rationi. Nam & ſi duo tantùm communibus auſpiciis, & poteſtate individua Rempub. adminiſtrent, Ariſtocraticum imperium efficient, ut nonnulli Imperatores Romani collegâ & Imperii ſocio adſumto, *Althuſ. Politic. ult.* Pharſali viginti, Lacedæmone triginta, nec plures in omnibus Græciæ civitatibus poſt Lyſandri victoriã, Reipublicæ ſummâ poteſtate præfuerunt. Dithmarſos octo & quadraginta perpetuâ poteſtate regebant. Epidauriis centum octoginta ex omnibus civibus imperabant. Maſſilienſium olim Reſpul. ad littus Celticũ ſexcentos ſummo imperio præfecerat, ex quibus tùm ſenatores creabantur, tùm etiam quindecim magiſtratus, quibus Tresviri quaſi Prætores præibant. Venetiis patriciorum ſuperiori ſeculo cenſa circiter quatuor millia fuiſſe: ex eo tamẽ numero ſacerdotes & viginti quinque

annis juniores eximendos, Bodinus aſſerit. Quanquam ante illud tempus non plures quàm mille & quingenti patricii, ac ſemper multò pauciores in eorum actis & ſcriptoribus legantur. *2. de Rep.* 1 *& 6.* Tum neque paucorũ hîc ordo tàm ditioribus aut nobilioribus, quàm dignioribus & prudentioribus ſupplendus, qui & inde Optimates dicuntur, quaſi ex omnibus optimi. Quod ut planiſſimũ, ita conſultiſſimum illud eſt, ut, quàm maximè fieri poteſt, magiſtratus Ariſtocratici numerus ſit ad pauciſſimos redactus, quia diſcordiæ mater multitudo, & nihil tardiùs fit, quàm plures quod imperant; nec tamen pauciores Bodino placent, quàm ad minimum tres. *2. de Rep. 2.*

MONARCHIA eſt res ſeu Politia publica, cùm ſumma jubendi & prohibendi poteſtas eſt penes unicũ, qui exinde Monarcha dicitur. Nam Imperatoris, Regis, Ducis nomen non ſemper Monarcham exprimit. Omnes itaq; hîc ſubditi ſunt, magiſtratus ſummi perſona unica: nec in eo quidquam Monar-

chia

chia cum Polyarchia commune habet, imperii à ſubjectionis legibus, hîc puriſſimè ſeparatis. In Polyarchicis Rebuspublicis quilibet imperantiũ collectim cæteris eâdem poteſtate præditis ſubjicitur: ſed Monarcha nullum inter homines parem aut ſuperiorem agnoſcit; ut cùm lege Regiâ, quæ de Principis Imperio lata eſt, populus Romanus ei & in eum omne imperium ſuum & poteſtatẽ contulit. §.6. *Inſt. de J N. G & C. Roſin.* 7. *antiq. Rom.* 12. In quo Reip. ſtatu arctiſſimum ſtringitur & firmiſſimũ humanæ ſocietatis vinculum: omnibus aliis in Repub. in ſubjectionis Politicæ claſſẽ redactis, & non niſi uni alicui liberiore delinquendi facultate inter homines relictâ. In polyarchica adminiſtratione cùm magiſtratus ſummus poteſtate ſuâ abutitur, tot ſunt tyrãni, & Reip. peſtes, quot ejuſdem rectores, hoc eſt, vel ad unum omnes, vel ſaltem pauciores. At unici in Monarchia furor utcunque tolerabilior eſt, unius cupiditatibus, quàm plurium, citiùs expletis aut refrenatis. Ne dicam Monarcham in conſultationibus

& actionibus publicis ſecum diſſidere ipſum non poſſe: facillimèque hic eam unitatem inveniri, quam in Reipub. gubernatoribus ſapientes tantopere deſiderant: cùm è diverſo plures æqualis poteſtatis ad unitatẽ redigere, non careat ſolertiſſimo labore, ac propè deſperato. Namque arduum ſemper eodẽ loci potentiam & concordiam eſſe; paciſq; intereſt, omnem poteſtatem ad unũ conferri: nec diſcordantis patriæ aliud remedium, quàm ſi ab uno regatur. *Tacit. 4. & 1. annal. 1. hiſtor.* Quod cùm intelligerent Romani in magnis Reip. turbis ac diſſenſionibus, Dictatorem unicum ſummâ poteſtate inſtruebant, qui laborantem Reipub. ſtatum ſuâ prudentiâ erigeret, ac firmaret ſolus. Ideq; Theophraſtus in libris quos de regno inſcripſit civitates Græcas in rebus difficillimis factitâſſe commeminit, quod & hiſtoriæ multipliciter comprobant. Et ob iſta in regnando commoda, quæ monarchiam comitantur, unicum in bello ducem rerumque ſupremum arbitrum probant ſapiẽtes. *Petr. Greg. 5. de Rep. 3. & 4. Bodin. 2. de*

din. 2. de Rep. 2. & 3. & lib. 6. c. 4. & 5.
Quare cùm tanta ſit Monarchæ in rebus humanis potentia, dignitas & uſus, cujus unius nutu tot millium in Repub, volũtates reguntur, ſummoperé ei enitendũ erit, ut tantó ipſe præſtet aliis pietate, ſapientiâ, virtute, induſtriâ, quantò dignitate ac poteſtate præſtat, quantòq; plurium incolumitatem cogitatione ſuâ & imperio complectitur.

In trium harum ſpecierum aliquam omnes incidunt Reſpublicæ, nec plures reperiuntur: neque ex his inter ſe junctis plures efformantur. Nunquam enim fieri per naturam, & ne quidem imaginatione perfici poteſt, ut ſumma jubendi prohibendiq; poteſtas, ac majeſtatis jura ſimul & æqualiter ſint omnium & paucorum, aut paucorum & unius, multoq; minus, unius & omnium, ut taceam pariter ipſorum commixtim omnium. Sed ut maximè deflectant à ſuâ naturali perfectione hi ſtatus: non illicò tamen hinc oriuntur novæ rerumpublicarum ſpecies: ſed trium horum unum ſemper eſt neceſſarium: ut aut univerſi, aut pauci,

aut unus in jurium majeſtatis exercitio ac poteſtate prævaleat & prædominetur. Hinc Tacitus, Cunctas, inquit, nationes & urbes populus, aut primores, aut ſinguli regunt. 4. *Annal. Petr. Greg.* 5. *de Rep.* 1. *n.* 3. & 12. & *ibid. c.* 4 *n* 11. *Bodin.* 2. *de Rep.* 1. *M Jun. Polit. Quæſt.* 2.

Et ſi verò hæc ſumma magiſtratus poteſtas, & hinc natæ Rerumpubl. formæ ita regulariter in plenâ & liberâ omniũ jurium majeſtatis uſurpatione conſiſtũt: non ſemper tamẽ omnia iſta ſummæ poteſtatis jura, aut ſaltem liber in quibusdam uſus, magiſtratui ſummo competit: & tum deflexiſſe quidem à naturæ ſuę regula Reipub. forma dicetur, non autẽ penitus eam exuiſſe, quâmdiu non obſcura ſupremæ omnium poteſtatis exercitia in magiſtratu ſummo ſunt reliqua. Quod ideò factum videtur: ut per ſummam imperandi libertatem & potentiã abſolutã in magiſtratu ſummo acciſam tolleretur delinquendi licentia, & tyrãnidis crudelitas coërceretur. Omne enim imperium ſui naturâ inſolens eſt, & pauciſſimos arbitrii ſui libertati relictos

Divina

Divina reverentia ac metus rectæq; rationis dictamẽ ad optima & moderata conſilia perducit. Sic nonnulla ſummæ poteſtatis jura Democratica vulgi violẽtia, & erga nobiliores invidia, ad magiſtratus inferiores, quaſi quosdam optimates, rejicere, & rurſus Ariſtocratica inſolẽtia & adverſus inferiores injuria, populo relinquere coegit. Etiã Monarchicæ poteſtatis abuſus effecit, ut Monarchis Ephori & publicæ libertatis cuſtodes ac defenſores ad latus ſint appoſiti, qui non tantùm certas imperandi leges, definitumque ſummæ poteſtatis exercitium totius Reip. nomine illis præſcriberent, verùm etiam exorbitantes in hac linea continerent. Saluberrimo hoc amuleto, in omnibus Rerumpubl. ſpeciebus, ſummæ poteſtatis acrimonia ſuavior, gentibusque gratior & acceptior eſt reddita: præſtitum, ut non ſolùm animi ſubditorum & magiſtratus arctiori conſenſu coaleſcerent, ſed potentia etiã ſummi magiſtratus mirum in modum corroboraretur, imperandique labores allevarẽtur, præter ipſum ſubditis quo-

quæ ad Reipubl. dignitatem ac ſalutem communi curâ incumbentibus. Atque ita intelligendū eſt, cùm ſcriptores Democratiam ariſtocraticè, aut Ariſtocratiam democraticè, aut etiam Monarchiam ariſtocraticè &c. gubernari tradunt. Pervagatumque hoc temperamentum omnes adeò Reſpub. ut hodiè vix ullam reperias ſine illa mixtura: nec pauci dubitent, fueritne ſine ea ulla unquam in mundo Reſpublica. Quod cùm dicere duriuſculum ſit, ſuis autoribus defendendum relinquo.

Hæc verè ſunt arcaniſſima illa (ut ſic loquar) Rerumpubl. arcana, imperii ac ſubjectionis modum intelligere, ad quæ penitrare non facilè cuivis licet, nec cōſtare paſſim utile ſit: quorum tamē perfecta cognitio ad ſolidam ſtatus Reipublicæ dijudicationem & ad conſilium de Repubł. dandum omninò eſt neceſſarium: ut planè nôris, ubi ſupremus ac ſummus poteſtatis in Republ. apex fixus ſit, & deinde quæ majeſtatis jura magiſtratui ſummo, quæ quibus inferioribus tributa ſint: atque adeó quibus legibus magiſtratus imperet, ſubditi ſubjiciātur.

DE DOMO ET CIVITATE: ubi de Ditione.

Cap. XXX..

Quamvis parietibus aut mœnibus Reſpub. non conſtat, non tamẽ ſine his ſubſiſtit, quemadmodum Philoſophi inter τὸ εἶναι & τὸ ὑπάρχειν eleganter & cum ratione diſtinguunt. Quare ad eſſentiam Reip. formalem quod addamus, nihil quidem reſtat: ſed quibus illa ſedibus ac locis contineatur operæ precium eſt perpendere. Ratio enim naturalis & humana neceſſitas, quæ ſocietatem tàm privatam quàm publicam homines cõjungere, eadem primò ſingulos privatim, tùm publicè congregatos, adverſus cœli vim atque injurias, ferarumque ac hominum incurſus aliorum, ſibi eligere & conſtruere quaſi quoſdam nidos docuit, ubi commodè ac tutò vitã degerent, rerumque ac facultatum ſedem fixam locatamque haberent. Duplici itaque fini hæc politiarum ſedes:

Valetudinis ac Securitatis: non ſolùm naturâ, cœlique atque aeris inclemẽtiâ, belluarumque feritate, adverſus peccatorem ad vindictam inſurgente, ſed hominibus inſuper ipſis ſibi contra naturam mutuò infeſtis ac noxiis. Hinc initium ſumſit Architectonica, exſtruendi ædificandique artificium.

Privatæ politiæ atque Oeconomicæ ut conſociatio, ita ſedes anguſtiſſima eſt, DOMUS parietibus concluſa: quàm extenſis animantium pellibus, lignis, lapidibus, cæmento, calce, aut quacunque materiâ idonea alia rudis primùm neceſſitas excitavit, opere & arte curioſiſſimâ poſt etiã ad ſplendorem & magnificentiam expolivit humana luxuria & ambitio. Cùm ſanitate igitur & ſecuritate vitæ, rei familiaris adminiſtrationẽ Domus cõjungit: ac proinde ejus ita inſtitui ſtructura debet, ut tum cæteris vitæ neceſſitatibus, tum uniuſcujuſque rei familiaris inſtituto inſerviat. Neq; hanc

hanc partem neglexerunt ſapientes vitæ magiſtri. Præterquam enim, quòd in domo exſtruenda talem materiam eligendam monent, quæ non facilè incendium cõcipere poſſit, etiã regionis duci rationem volunt. Sub Septentrione teſtudinata & maximè concluſa non patentia conſtituantur ædificia, ſimul etiam converſa ad calidas partes. Contra ſub impetu Solis Meridianis in regionibus, quia premuntur à calore, patentiora, ad Septentrionem atque Aquilonem converſa. *Vitruv lib. 6. c. 1.* Feneſtræ & portæ ædium ſint ita exſtructæ, ut venti orientales ingredi valeant, & Sol, qui juxta Avicennã *lib.* 1. aerẽ rectificat, unũquemq; locum intrare queat. Aut ſi domus non perfletur, ſed tenebricoſa, aut hiemi & tempeſtatibus obnoxia ſit: vel deſerendam, vel tranſpoſitis feneſtris, mutatis ſcalis, januis nõnullis apertis, aliis clauſis, ſplendidiorẽ, perſpicabiliorem, ſalubriorem efficiendam ſuadent. *Plut. de curioſitat.* Præterea

ea loca in ædibus ſic exſtrueda & diſtinguenda eſſe docet Xenophon in Oeconomicis, ut rebus ipſis aſſervandis accõmodata ſint, thalamus in munitiore domus parte, ſtragula & vaſa cariſſima habeat, circa tecta frumentum, frigida vinum, illuſtrata, quidquid operis & ſuppellectilis lucem petit: cœnacula reficiendis hominibus ita exſtruantur, ut æſtate frigida, hybernis calida, univerſa domus meridianæ plagæ & auſtralibus vẽtis ſit aperta, hieme locus apricus, umbroſus æſtate. Quia & perſonarum qualitatis reiq; familiaris in domo conſtruenda rationem haudquaquam negligẽdam Vitruvius auctor eſt. *lib. 6. c. 8.* Ita qui ruſticis fructibus ſerviunt homines, in eorum veſtibulis ſtabula, tabernas in ædibus, cryptas ſeu foſſas ad triticum reſervandum factas, horrea, apothecas & cætera ad fructus ſervandos magis, quâm ad elegantiæ rationem, facienda, idẽ tradit. In villa requiri, inquit Varro, *lib. 1. c. 11.* ut neque major neque minor agro ſit: quia utrumque contra rem familiarem, & majora tecta pluribus ædificemus, &

tueamur

tueamur majoribus ſumtibus, minora fructus perdant. Id quod in omni domo alia obſervandum: ut rei familiari ac viræ generi aptè reſpondeat, ſit deſcripta ad familiæ uſum & commoditatem: nulla in ea pars vana & inutilis. Interdum etiã ſolitaria domicilia ruri; foſsâ, muro, maceriâ & ſepimento quovis diligentiùs cingũtur ad cuſtodiam & ſecuritatem.

Porrò ut familiarũ per conjugia multiplicatio publicam hominum conſociationem, ita ſimùl domorum ſub ejusdẽ magiſtratus jurisdictione conjunctio, politiæ publicæ ſedem conſtituit, quam CIVITATEM in genere appello, ut civis dicitur cujuslibet Reip. ſubditus. Sed ex ſtructura tantùm hîc conſideratur civitas, cui modum adfert inſtitutum rei familiaris eorũ, qui incolunt. Aliàs nõ tam ex ædificiis quàm jure, in magnis Rebuſp. & ditionibus integris, iſta judicantur: quod totum in magiſtratus ſummi arbitrio poſitum, qui jus pagi, oppidi, urbis tribuere civitati poteſt, quæ, ſtructuram ſi reſpicias, talis non eſt. Noſtra hujus rei cõſideratio nunc magis generalis eſt, natu-

eſt, naturalis ac politica. Nam qui primū & antiquiſſimum vitæ privatæ genus ſecuti, domos ad fruges agrorū & fructus hortorum colligendos, pecoraq; curanda, vicinas conſtituerunt, VICOS primùm, mox PAGOS effecerūt, quorū illi ab hac ædificiorum vicinitate, hi etiā à fontibus & aquis dicti ſunt, quarum perennitatem uſus humanus frequentat. Mechanicis deinde & mercatoribus ab agrorum & pecorum cura ad negotia alia converſis OPPIDA fieri, & à pagis non tantùm incolentium ſtudiis, ſed ædificandi etiam diſcrimine quodam diſtingui cepta; donec tandem URBES conditæ, quas rurſus & civium & ædificiorum nitor atq; elegantia ab oppidis diſtinxit. Tam autem vici & pagi, quàm oppida & urbes exemplo ſingularū domorum ad valetudinem & conditionē ac ſtudia incolarum debent accommodari. Duo eſſe præcipuè conſideranda in agro M. Porcius Cato cenſebat: Salubritatem cæli, & Ubertatem ſoli; quorum ſi alterum deeſſet, ac nihilominus quis colere vellet, eum mente eſſe captum atque ad

que ad agnatos & gentiles deducēdum *Columell .lib. 1. c. 3.* Idem de re ruſtica primam agri qualitatem eſſe vult, ubi vineæ eſſe poſſint, bono & multo vino: ſecundam ubi hortus irriguus: tertiam ubi ſalicta: quartam ubi oliveta: quintā ubi pratum: ſextam ubi campus frumentarius: ſeptimam ubi ſylva cædua: octavā ubi arbuſtum: nonam ubi ſylva glandaria. His novem conditionibus bonum agrum deſcribit, quæ ſi non conjunctim reperiantur (quam difficile id admodum) is optimus erit, qui plura ex his habebit. *Patrit. tot. lib. 7. de Repub.* Ad Orientem converſæ urbes, ait philoſophus, & ad eos ventos, qui inde perflant, ſalubriores ſunt. Septentrionalis quoque plaga non recipit mutationes noxias, & quia firmior eſt, corpora diutiùs ſervat. *Ariſtot. 7. Polit. 9.* Non ſine cauſſa, ait de Roma Livius, dii hominesque hunc urbis condendæ locum elegerunt, ſaluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus excipiantur, mare vicinum ad commoditates, nec ex-

nec expoſitum nimiâ propinquitate ad pericula navium externarum, *lib. 5.* Urbs verò an octogenâ, vel quadratâ formâ aut aliâ ædificari debeat, peritus architectus ex loci ratione ac dimenſione, potiſſimum judicabit. Eò quidem ſpectare debet, ut urbi aptè muniendæ & commoditati viarum atque ædium valdè accommodata ſit. Alexander Magnus urbem in Ægypto Alexandriam inter paludem & mare exſtructurus, locũ ipſum diligenter metatus & ad regionis urbes ponendas partitus eſt: inque vicis diſponendis illud rectè conſideravit, ut omnes flatu ventorum, qui anniverſarii dicuntur, inſpirarentur. *Diodor. lib. 17.*

Ipſam verò ſtructuram quod attinet, in civitatis ſpeciebus primò Privatæ, deinde Publicæ occurrunt: quarum omnium etſi non eadem eſſe ſolet aut poteſt ratio in vicis & pagis, quæ in oppidis & urbibus eſt: cũ neq; publica illa ædificia in omnibus civitatibus, præſertim minoribus, omnia reperiuntur: tamen, quę illa, & quàm varia ſint, & quo exſtructa modo fuiſſe legantur, paucis oſtendam: ex quibus

ex quibus, & ſimilibus aliis, proclive erit ſtatuere de ſtructuris, quæ in aliqua Repub. vel omninò deſiderantur, vel ſaltem diſcrepant ab optima norma: ut ſi Reipub. vel loci conditio patiatur, & flagitet uſus, ſuppleantur quæ deſunt, corrigantur, quæ melius fieri poſſe apparent.

Privatas ſtructuras cumprimis in Civitate ex ea conſtare materia oportet, quæ incendiis & ruinis non poſſit facilè eſſe damnoſa vicinis: aut ſaltem muri ex ſaxis & lateribus ſolidi utrinque cõſtituendi, quà ſe ædes mutuò contingunt, ne unius fortè periculum facile graſſari in vicinas queat. Præter communem verò domus ſeorſim conſideratæ formã privatæ ædes in conſociatione maximè urbanâ modum etiam in altitudine & amplitudine acci[illegible]it. Ab initio fundatis civitatibus ar[illegible]ve loca diſtributa fuerunt pro domibus privatorum ædificandis juxta numerum civium. Romæ id olim factum, legesque ædificationi parietum impoſitæ, ne areæ habitationi deſtinatæ parietibus occuparentur. Neque enim

enim loco communi parietes poterant conſtitui majoris craſſitudinis, quàm ſeſquipedales: cæteri autem parietes, ne ſpatia anguſtiora fierent, eâdem craſſitudine collocabantur. *Vitruv. 2. de Architect. 8. Plin. lib. 35. c.* 14. Nec in bene conſtitutis Rebuſpub. temerè ædes plures conjungere, aut dirutis ædificiis, areas & hortos efficere ſine magiſtratus cõſenſu permittitur. *P. Gregor. 4. ſyntagm. jur. civil. 7. n. 7. l. an in totum 3. C. de ædific. privat.* Ad hæc quamvis naturæ jure tam altè ædificare liceat, quàm libet *l. cujus ædificium. 24. D. de ſervitut. urbã.* tamen ædium privatarũ altitudo Romæ ſub Auguſto ſexaginta pedum fuit, quam poſtea cohibuit Nero. *Strab. lib. 5. Tacit. lib.* 15. Auguſti legem revocavit Trajanus Imperator, nec altiùs ædificari permiſit ob ruinas faciles, & ſumtus, ſi quando hæ contingerent, exitioſos. *Sext. Aurel. Victor.* Præterea directis & paribus dimenſionibus inter ſe diſpoſita ædificia privata totam urbem unum quaſi murum efficiant, & ad omnes vias ex iis firmus aditus

pateat.

pateat: ut non modò viſentibus jucũdum præbeãt adſpectum, ſed etiam ad cuſtodiæ facilitatem opportuna ſint, nec vias publicas impediant. *Plat. 6 de LL.* Nec modò platearum ſit, tã propter uſum commeantium & vecturarum, quàm aeris libertatem, ſatis ſpacioſa latitudo: verùm etiam talis deſcriptio, ut ex mediis civitatis locis tanquam centro ad portas & præcipua propugnacula via recta pateat. *Hippol. a Collib. de increment. urb. c. 7.* Et quantoperè Romani etiam in privatis ſtructuris elegantiæ & decoro attribuerint, vel inde manifeſtum eſſe poteſt, quòd publicum urbis adſpectum ruinis deformari adeò noluerint: ut etiã ſi quis tignum alienum ædibus ſuis junxiſſet lege 12. tabb. id eximere non cogeretur: ſed duplum prò eo præſtare. *l. adeò 7 §. cum in ſuo. 10. D. de acquirẽd. rer. domin. l. in rem 23. §. tignum, 6. D. de rei vindicat. l. gemma. 6. D. ad exhibend. l. qui res ſuas. 98. § ult. D. de ſolut. l. 1. D. ting. junct. §. cùm in ſuo 29 Inſtitut. de rer. diviſ.* Quique nullo prohibente in loco pu-

co publico ædificâſſet, demoliri non compelleretur. *l. 2. ſ. ſi quis nemine 17. & l. ult. D. ne quid in loc publ. l. prætor 20. ſ. hoc interdictum 10. D. de nov. oper. nunciat.* Neque ita transferre materiã domus in locum alium licuerit, ut integra ædificia deponerentur. *l. 2. C. de ædific. privat.* Etiam ſi quis ædes ad hoc legâſſet, aut vendidiſſet. *l. nutu. 21. in fin. D. de legat. 3. Eclog. 44. tit. 1. c. 102. l. ſenatus 52. D. de contrahend. emtion. l. ult. D. de dam. n. 19. eclog. tit. 1. ex lib. 60. tit. 48. c. 42. eclog. & tit. eod. ex lib. 58. tit. 10. c. 70.*

Structuræ publicæ ſunt, quæ ad cõmunem Reipub. uſum fiunt, quarum & ſoliditas maxima eſſe debet, quia Reipub. immortalis neceſſitati perpetuò inſerviunt, & magnificentia ac ſplendor etiam externo adſpectu auctoritatem quandam & potentiæ opinionem Reipub. adfert. Romanorum Imperatores, ut opera publica ſolidiora fierent, eorum ſtructuræ præfectos uſque ad annos quindecim, unà cum ſuis hæredibus, obnoxios teneri ſanxerunt: ut ſi quid vitii ipſorũ culpâ in

pâ in ædificatione interea temporis appareret, de ſuo patrimonio reſtituerent. *l. omnes.* 8 *C. de operib. publ.* Neq; tam ædificiorum publicorum multitudini, quàm conſervationi incubuerunt. *l. pecuniam.* 7 *D. de operib. public.* *l.* 11. *C. eod.* Eaque ut diuturna eſſent, tuta quoq; eſſe voluerunt: interdixerunt, ne quis privatus juxta ædificia publica ædificaret, aut aliud quid haberet, quo publicæ ſtructuræ noceri poſſet, niſi interjecto quindecim pedũ ſpacio, *l. ſi cui loci.* 9. *l. meniana.* 11. *D. de ædific. privat. l. de operib* 6. *D. de oper. pub. l.* 1. *C. de aquaduct.* Relictum ideò à veteribus ſpatium tàm intra, quàm extra urbis murum, quod pomerium dixerunt, neq; in eo ullum fieri ædificiũ paſſi ſunt. *Liv. lib.* 1. Magnificentiam ſpectarunt, cùm ad eorum ſtructuram omnes ſine exceptione contribuere juſſerunt, *l. ad portus,* 7. *C. de operib. publ.*

Pertinent ſtructuræ publicæ primò ad ſecuritatem ut Munitiones, deinde ad ſacrorum cultum, tùm ad juſtitiam publicam & theſaurum publicum, deniq;

ad publicas negotiationes & commoditates paſſim alias. MUNITIONES civitatum conſtant Foſsâ, Aggere ſeu Vallo, Muro, Propugnaculis, Portis: quarum ſtructura à noſtris potiſſimùm temporibus, hodiernoque militiæ uſu, petenda eſt. Prima in muniendo foſſæ cura eſt, quæ latiſſima altiſſimaq; facienda, ut nec facilè poſſit adæquari, replerique ab obſidentibus, & cùm aquæ ceperint inundari, ab adverſario cuniculum continuari minimè patiantur. Nam duplici modo opus ſubterraneum peragi, ejus altitudine, & inundatione, prohibetur. *Veget. lib. 4. c. 5.* Foſſas illas plerorumq; probat conſenſus, quæ aquis vivis ſcaturientes pro libitu inundari aut exſiccari poſſunt. Terra è foſſis educta ad aggeres & valla conſtruenda adhibetur, modò argilloſa illa & ſatis uliginoſa ſit. Talis nãq; congeſtam aggeris molem firmiùs continet: præſertim ſi herbarum aut fruticũ ſeminibus inſpergatur, &, quod hodiè frequens, ſalicum ſurculis antrorſum intexatur, qui radicibus copioſè & celeriter immiſſis terram arctiùs conſtringunt:

gunt: dummodò ſurculi pubeſcẽtes crebrò reſecti in arbores non excreſcant, quæ fortè avulſæ pondere ſuo compagẽ valli diſſolverent & diſſiparent. Vallum intrinſecus fornices & hypogæũ in circuitu habet, ad cuniculos hoſtis p̃cavẽdos & recondenda ea, quæ ad munitionẽ & tormenta ſunt neceſſaria, utq; tranſiri inde liberè ad omnis munitionis partes poſſit. In valli ſummitate pectoralia ponuntur, quibus rurſus aggerem aliũ cum ſuis pectoralibus imponunt, qui Catus vulgò appellatur. Murus laudatur coctilis, lateribus ex terra lutoſa & argilloſa, arenâ calceq́ue & cæmento tenaciſſimo inter ſe compactis, eductus: formâ non perpendiculari, ſed aliquantum inclinatâ, tum etiam periſtyliis è frontiſpicio & à tergo fulcitus; altitudine & craſſitudine eâ, ut tormentis non facilè dejici, aut ſi dejiciatur, ruderũ copiâ foſſarũ profunditatem non compleat. Hic poſt foſſam proximè adhæret vallo & cum eodẽ poſteriore ſui parte quaſi coaleſcit, ſuisq; pectoralibus in pinnis inſtructus & foraminibus ſclopetariis & tormentariis, in

locis, ubi opus eſt, diſtinctus. Hiſce partibus munitio quævis perficitur, quarum diſpoſitio etſi ad loci ſitum dirigẽda ſit, illam tamen præſtantiſſimam judicant architecti, quæ hexagona, heptagona, octogena & polygona regularis ſit, & includi circulo queat. Neque enim foſſa vallum atque murus ambitu directo civitatem cingere, ſed procurrentibus angulis & ſinuoſis anfractibus circumduci debent: tali artificio, ut propugnacula protuberantia penè triangularia & modicè acuminata ſe mutuò reſpiciant: angulis anguli, acumina acuminibus ita ſubordinentur, ut globorũ exinde emittendorum exactiſſimè ſibi coreſpondẽtium directione ſine impedimento è ſingulis peti ſingula poſſint, & perfectiſſimâ proportione ac diſtantiâ ſe mutuò defendant, tùm hoſtis machinas admovere volens, non ſolùm á frõte, ſed etiã à lateribus, & propè à tergo, veluti in ſinum cõcluſus, opprimatur. Portarum locus medius intra duo propugnacula, aut in alicujus propugnaculi angulo eligendus, ad quas pons per foſſam ſublicius poſte-

us poſteriori parte verſatilis ducat, itineribus, ut quidam volunt, per vallum σκαιοῖς & obliquis, vel, quod aliis conſultum magis videtur, directis, ſed quæ intrinſecus area quadragena, foſsâ, vallo, & aggere undiq; munita, excipiat. Ipſius portæ aditus concludatur foribus, ſeris, peſſulis, catenis, catarractis, quæ conſtẽt trabibus præpilatis, non in cratis morem connexis, ſed ſeparatim mobilibus. Poſticum etiam relinquatur anguſto aditu, quo emitti ſinguli poſſint, cùm portas pandere ſemper non licet. In fornicis autem concavitate ſupra verticem foramina ſint, per quæ in hoſtem irrumpentem omnis generis detorqueri tela valeant. *add. Daniel. Speccel. & Simon. Stevrin. de architect munition. & diſputat. M. Conrad. Theodor. De munition. & propugn.* Omnium puncta Palma Venetiarum propugnaculum, ante annos non ita multos in foro Julio non procul ab Aquilegia exſtructum, mereter: quod formâ circulari & rotundâ novem propugnaculis, quorum ſingula ducentis invicem diſtant paſſibus, foſſis duodecim

paſſibus latis, profundis triginta, portis tribus, communitur. Novē fora ſeu planities habet, quorum primarium in urbis eſt centro, ubi munitiſſima turris in altiſſimam molem exſurgit, ex qua proſpectus in ſingulas munitiones patet liberrimus. Diametrum urbis ſexaginta paſſibus deſcribitur. *Theatr. Zvinger. fol. (mihi)* 4002. Quid de civitatū munimentis ſenſerint Romani, vel ex legibus ipſorum perſpicuum eſt: quibus ſanctos eſſe muros civitatis jubent, non permittunt in his, aut etiam in portis, aliquid fieri, addi vel demi, ſine Principis conſenſu, pænâ capitis ſtatutâ in eum, qui aliquid in muros deliquiſſet, & vel ſcalis admotis, vel aliâ quâvis ratione, tranſcēdiſſet. *l. 1. l. ſanctum. 8. cum ſequent. & l. final.* D. *de rer. diviſ. §. ſanctæ. 10 Inſtit. de rer. diviſ. l. 2. D. ne quid in loc. ſacr. Menoch. 2. de arbitrar. judic. caſ.* 485.

Sacrorū cultui inſerviunt TEMPLA, SCHOLÆ, BIBLIOTHECÆ. Templa ſunt ædificia publica, in quibus ad publicum religionis exercitium homines congregantur. Nam & Chriſtus atq́

Apoſto-

Apoſtoli in Hieroſolymitano templo loco publico, docuerunt. *Luc.* 19. *v.* 47. *Actor.* 2. *v.* 46. Et congreſſus Chriſtianorum publici fiebant in primitiva Eccleſia ad verbum Dei audiendum, ſacramẽta adminiſtranda, ad orandum: quanquam haud locis à magiſtratu publicè approbatis, ſed privatos ferè intra parietes. 1. *Corinth.* 11. *v.* 18. *c.* 14. *v.* 19. *Actor.* 20. *v.* 7. *Hebræ.* 10. *v.* 24. Donec Evangelii doctrinâ per orbem terrarum longè lateque divulgatâ, publico etiam Magiſtratus aſſenſu receptâ, publicæ ædes & templa exſtructa, ad Dei cultum publicè peragendum: ut nunc inter Chriſtianos vix ullus pagus, cui non ſua religioni conſecrata publica domus. Et poſſent non pauca in celebrioribus orbis Chriſtiani urbibus ſumtu incredibili, & opere admirando ædificata templa recẽſeri. In quibus celeberrimum eſt, quod Romæ in Vaticano viſitur, à Conſtantino Magno Imp. ut ferunt, primò fundatum, columnis perquam magnificis è ſolido marmore. Id cùm foris rotundum appareat, intrinſecus crucis formam re-

præſentat, medii corporis amplitudine in quatuor ædificia angularia preſſiora deſinente. Cochleis aſcenditur itidem marmoreis, tàm multipliciter & variè inter ſe permeantibus, ut Labyrintheo errore involvant paullò minùs attentos. Eandemque formã propé ſimili artificio exhibet templum Marcianum Venetiis totum marmoreum, in quo pavimentum varii coloris marmore omnis generis hiſtorias exprimit: fornix auro pictisque eleganter Veteris & Novi Teſtamenti hiſtoriis collucet: in templi veſtibulo porticus eſt ampliſſima duas alias cõprehendens, quinque portis æneis, & columnis marmoreis ultra quadringentis. Cum paucis comparandũ eſt ſummum templum Mediolanenſe, tàm magnitudine, quàm in eo, quòd totum ex candido marmore cõnſtat, centum columnis marmoreis ſubnixum. Illud habet ſingulare Florentiæ templum S. Mariæ de Flore, quòd extrinſecus totum eſt vermiculatũ verſicolori marmore. Sed & ſummũ ibidem in

dem in media urbe templum pulcerrimis pergulis marmoreis eſt ornatum, ad quod gradibus aſcenditur quingentis ſexaginta octo: & in quo itidem pavimentum diverſi coloris marmore incruſtatũ varias imagines & hiſtorias refert: poſterior templi pars, quem Chorum vocant, marmore conſtat vix comparabili. Senenſis tamen templi pavimentum hiſtoriarum marmore expreſſarum artificio præſtare cæteris putatur. Quin in aliis quoq; ædificium hoc magnificentiſſimum eſt columnis ſuffultum ex candido & nigro marmore. *Thom. Portaccius de Inſul. Orb. celebr. Dn. de Villamont. in itinerar.* Quanquam hîc non tam de ædificiorum ſacrorum ſplendore externo, quàm cultus divini puritate, ſollicitos eſſe oporteat Chriſtianos: & ad Reipublicæ amplitudinem hominumq; congregandorum multitudinem inſtituenda illa templorum ſtructura: ut neque tumidam vanitatis mundanæ oſtentationem, neque contemtibilem neglectæ religionis

ſpeciem præ ſe ferant. Sanè quod ipſemet Iehova, qui unicus eſt, in populoſiſſimo Iſraelitico regno unicum eſſe voluit templum; Salomo ditiſſimus rex pro rei magnitudine conſtruxit tale: utrum artificio & elegantiâ, tum opibus & magnificentiâ nulli concederet. In eo certè templum illud Epheſinum, quod ducentis viginti annis factum à tota Aſia, lõgitudinis quadringentorum quindecim pedum, latitudinis ducentorum viginti, columnis nixum centum viginti ſeptem, quarũ ſingulæ à ſingulis regibus erant factæ ſexaginta pedũ altitudine, & ex quib. triginta ſex cælatæ fuerunt. *Plin. lib. 36 c. 14.* cum hoc Salomonio ne comparandum quidem: quòd horribili idololatriæ illud deſtinatum, hoc verò veri Dei cultui dedicatum, fuit. Sed in cæteris quoq; amplitudinis ac ſplendoris hoc fuit eximii. Nam operariorum ſeptuaginta millia hominum onera portârunt, & octoginta millia latomorum ac fabrorum omnis generis ſtru-

ſtructuram peregerunt: quibus erant præpoſiti ter mille trecenti inſpectores. Longitudo templi ſexaginta cubitorum fuit, latitudo viginti, altitudo inferioris contignationis triginta: ſed viginti cubiti erant in poſteriore templi parte intercepti, qui locus ſanctũ ſanctorum vocabatur. Aureis inſuper laminis tota interior domus inducta, cum omni ſuppellectili ſolidè aureâ, cherubinis, boumq;, arborũ, ac florũ figuris undiq; inſculptis. Portic⁹ ante templum viginti cubitis, juxta latitudinem templi, extendebatur, latitudinis decem cubitorum. Extrinſecus domus ipſa tribus pergularum ordinibus circuibatur, ad quos adſcenſus patebat per cochleas: in ſummo etiam ædificii tecto ambulacrum erat. 1. *Reg.* 5. 6. 7. 2. *chron.* 2. 3. 4. Templis cognata eſt ſcholarum publicarum ſtructura in quibus juventus veræ pietati, ac liberalium artium ſtudiis publicè eruditur. Eas & diſcipulorum frequentiæ & ſtudiorum trãquillitati accommodatas ſimulq; amænitate ſitus commenda-

mendabiles ratio deſiderat. Fuêre Athenis ſcholæ artium ingenuarum extra urbem Xyſtis ac porticibus ornatiſſimæ, arboribus & platanetis amœniſſimæ. Hipparchi murus, quo is Academiam Athenis cinxerat, proverbii loco uſurpatus pro magnifico ædificio fuit. *Eraſm. in adag.* Serapium Alexandriæ pulcerrimum Gymnaſiū porticus habuit ſtadio majores, ac forum judiciale & lucos. *Strab. lib.* 17. Nymphæum, ſcholam apud Myæzam Philippus Macedoniæ rex Ariſtoteli erexit, ſedilibus ſaxeis, deambulationibus opacis. *Plutarch. in Alexand.* Ne templorum aut Muſarum in ſcholis quies turbetur, juris Romani interpretes ſentiunt, etiam ſtudioſos, qui fiſtulando, cantando, aut altiori voce legendo, reliquis moleſti ſunt, multoque magis id genus artifices, quorū ſtrepitus turbare legentium & meditantium ſtudia ſolet, debere ab ædibus illis publicis removeri. *Dn. Præcept. Dionyſ. Gothofr. ad l.* 3. *C. de locat. Ex Alex. Ancher. Imol. Speculat. Zaſ. Schneidevin.*

devin.ad § fin.n.6. Inſtit.de locat. Bibliothecas undetriginta publicas Romæ fuiſſe & in his præcipuas Palatinam & Ulpiam Onuphr. Panvinius in deſcritione urbis Romæ tradit. De Bibliothecis Patricius monet, ut ſalubri & quieto loco conſtituantur, Orientem verſus: quòd acies oculorum matutinum lumen poſtulet, & librorũ volumina propter ventorum inde flantiũ ſerenitatem à corruptione diutiùs ſerventur. 8. *de Repub.* 15.

Conſultationes & judicia publica fiunt in CURIIS, TRIBUNALIBUS, FORO. Fuit Romæ Comitium locus foro conjunctus, imò pars fori, à palatii porta incipiens & finiens ad templum, quod hodiè D. Mariæ novæ nũcupatur, ubi S. P. Q. R. aliquid, quod ex uſu Reipublicę eſſet, decreturi coïbant. Multis annis hic locus tecto caruit, donec longo pòſt tempore Hannibale in Italiam veniente tectum impoſitum fuit, idq; poſteà à Cæſare reſtauratum. Inter alia etiam in hac fori parte ſtabant Roſtra, nempe ſuggeſtus

ex roſtris navium Antiatium exſtructus, in quibus ferebantur leges, agebantur cauſſæ, & conciones habebantur: erantq; duplicia nova & vetera: illa ad palatii radices, hæc apud Curiam in comitio. *Marlian. lib. 3. Topograph. urb. antiq. c. 15. & 20.* Septa frequentia fuêre in Martio campo loca, quibus olim Ovilia nomen, tabulatis cincta, ęvo mox ſuccedente ſumtu magnifico & excellenti cultu marmorea facta, quæ excelſas porticus & ingentes ambulationes accepere, in quibus populus ad comitia frequens convenire, & de dandis honoribus, deque republica, decernere ſolebat. *Alex. ab Alex. lib. 2. c. 18.* Senatus verò conſulta, ut juſta haberentur, non potuerunt fieri, niſi in loco per augures conſtituto, quòd templum appellabatur. Propterea & in Curia Hoſtilia & in Pompeja, & pòſt in Julia, cùm profana ea loca fuiſſent, templa fuerunt per augures conſtituta, ut in iis SCta more majorum juſta fieri poſſent. *Gell. 14 noct. Attic. 7.* Senacula Romanorū, in qui-

in quibus Senatus haberi ſolitus, tria Feſtus ex Nicoſtrato & Titinio annotat: unum ubi pôſt collocata ædes Cõcordiæ, inter Capitolium & Forum, in quo ſolebant magiſtratus cum ſenioribus deliberare: alterum ad portam Capenam: tertium intra ædem Bellonæ, in quo exterarum nationum legatis, quos in urbem admittere nolebant, Senatus dabatur. Locus verò, in quo jus dicebatur, fuit duplex, ſuperior aut planus, quorũ ille fuit tribunal in comitio, hic verò ubicunque Prætor ſalvâ majeſtate Imperii ſui, ſalvoque more majorum, jus dicere conſtituerat, etiamſi domi vel in itinere hoc ageret, *l. pen. D. de juſtit. & jure. l. volu- it. 4. D. de interrogat. in jur. faciend.* Tribunal ſuggeſtus editior erat, unde cõſpici magiſtratus ab omnibus poterat, multorum hominum capax, in quo ſella curulis, jurisdictionis inſigne, locabatur, ubi ſedens Prætor cognoſcebat, & pronunciabat. In æde Auguſti hęmicyclio ſchematis minoris in curvatura formatum Tribunal fuit,

cujus

cujus in frõte intervallum pedes quadraginta ſex, introrſum curvatura pedes quindecim erat, quod ipsâ aſſignatione auguſtiſſimum videbatur, & in arculæ formam, quæ ſemicirculo minor eſt, cum ad diametrum non pertingat, redactum. *Vitruv. lib.* 5. Subſellia porrò ſedilia erant, in quibus ii Judices, qui magiſtratum curulem non gerebant, cauſas cognoſcebant: atq; ibidem etiam conſidebant, qui cauſas agebant, ſive defenderent, ſive accuſarent. *add. Manut.* 2. *quæſito. epiſt.* 4. Et reges olim in jure dicundo aut legatis exterorum audiendis, peculiarem majeſtatem in throni & ſedilium magnificentiâ quæſiiſſe Ahasveri Perſarum & Medorum, ac Salomonis Judæorum Regis hiſtoriæ coarguunt. *Eſther.* 1. *v.* 2. *c.* 5. *v.* 1. Salomonis ſella regia ex ebore tota auro puriſſimo inducta per ſex gradus adſcenſum præbuit, poſterioreq; parte rotũda, ab utroque latere duas leænas & in ſingulis gradibus utrinque leones oſtentabat, inaudito pariter ſumtu & terri-

terribili adſpectu 1. *Regum* 10. v. 18. 2. *Chron*. 9. v. 17. Tribunalia & ſubſellia Romanorum judicum erant in baſilicis & foris. Baſilicæ erant ampliſſima & ornatiſſima ædificia, in quibus non Senatores modò deliberare, verùm etiam Judices omnis generis cauſas cognoſcere, & clientibus homines periti de jure reſpondere, ſolebant: eaſque cingebant porticus concameratæ, ex coaxatis contignationib⁹, immiſſis in paraſtatas colũnis aut pilis adjũctis, ſupra q̃ contignationẽ altera & ſuperior porticus, tecto teſtudinato, aliis poſtib⁹, paraſtatis, & arctariis ſuſtinebatur. Medium ſpatiũ & quaſi ſuperior porticus pluteus vocabatur, qui in utrũque latus per intercolumnia periſtyliorum liberũ habebat proſpectum. Paraſtatæ verò dupli erant ad latitudinem porticus, ſicut & columnæ perpetuo ſcaporum ductu ad Baſilicæ longitudinem. *Vitruv. lib*. 8 P. Victor in libello de urbis Romæ regionibus novendecim baſilicas recenſet: Onuph. Panvin. viginti & unam. In his centum virorum quatuor tribunalia

erant quorum Plinius Orator in epiſtolis ſæpè meminit. Palatinas ædes Alex. ab Alex. tradit, præter veſtibula regalia, atria patentiora, periſtylia ampliſſima, & conclavia inſigni pavimento, tricliniaq; & ampla Prætoria ac Cænationes mirâ cælaturâ & arte habuiſſe, & nonnunquam Xyſta, colles, nemora, hortos, piſcinas, euripos, amnes, & aquarum ductus, porticuſq; pavimentatas cultu & laxitate conſpicuas, ſylvasque & ambulationes: in veſtibulo quoq; & præ foribus laurum ſemper & civicam ex quercu affigi ſolitas. *lib. 5. c. 24.* Antiquiſſimũ Romanum forum Latinum dictũ, quod præ cæteris fuit ornatiſſimum propter ædificia, & frequentiſſimum propter judicia, incipiebat â Capitolii radicibus, ubi nunc Septimii arcus eſt, & ſecundũ longitudinem ad S. Mariam novam, ubi Titii arcus, protendebatur, ſecundum latitudinem à Palatini radicibus ad viam ſacram & Saturni ædem. In eo Palladis ædes fuit, necnon Pauli baſilica mille & quingentis talentis exacta, quæ mox Fulviæ dicata fuit: licet aliam Opimã, in qua Sena-

Senaculum erat, quod in ea Seniores adſidebant, & aliam Juliam, & aliã Porciam, quam Cato Cenſorius magnâ mole conſtruxerat, fuiſſe legamus: ſed & undiquaque in circuitu fori tabernæ per pilas diſtinguebantur. Hoc ipſum Cato Cenſorius, ne populus litibus adſueſceret, acutis lapidibus ſternendum putavit: ſed poſtea Marcellus Octaviâ Auguſti ſorore genitus, quò ſalubriùs diſceptantes operam forenſi labori darent, velis inũbravit. Aliud poſtmodum forũ Julius Cæſar inchoavit, cujus area ſupra ſeſtertiũ millies conſtitit, quæ ſumma, juxta Budæi calculum, vicies quinquies centena millia coronatorum efficit: fuitque undique tabernis cinctum, ſicuti vetus Romanum. Tertium D. Auguſtus inter publica opera præcipuè forũ cum æde Martis ultoris conſtruxiſſe fertur, cum porticu duplici, ubi Apollo eboreus videbatur, forique exſtruendi cauſſam fuiſſe hominum judiciorumque multitudinem, quæ videbatur non ſufficientibus duobus foris tertio indigere. *vid. Alex. ab Alex. lib. 2. c. 12.* Celeberrimũ Tra-

Trajani forum tandem adjectum cæteris, cujus tectum æneum, intus undique circum ſimulacra equorũ & ſignorum militarium aurata tegebat; arcus item triumphales, & alia multa in Trajani laudem exſtructa, hôc forum ejus exornabant. Fori porticus ampliſſimis excelſisque columnis & magnis epiſtyliis impoſita, tantam præbebat intuentibus admirationem, ut gigantum potiùs, quàm hominum, opera crederentur. In medio foro columna cochlidis ſtructurâ ſtabat, quæ circumquaqne rerum geſtarum à Trajano ſummam mirâ arte cælatam habebat, inprimis Dacicum bellum. Intus centum octuaginta quinque gradibus ad ſummum faſtigium, quadraginta feneſtellis lucem admittentibus, præbens adſcenſum, alta pedum centum viginti, vel ut Eutropius ſcribit, centum quadraginta. In ſummo Trajani oſſa in pila aurea condita ſervabantur. *vid. plura apud Roſinum 9. antiq. Rom. 7.* Illud forũ Ammianus Marcellinus ſcribit ſingularem ſub omni cælo fuiſſe ſtructuram, & vel numinum aſſenſione admirabilẽ: quod

cùm Im-

eùm Imperator Conſtantinus ſpectaſſet, hæſit attonitus per Gigantæos contextus mentem circumferens, nec relatu effabiles, nec rurſus mortalibus appetendos. Philippus Pulcer Gallorũ Rex palatium in inſula, quam Sequana Lutetiæ facit, exſtruxit magnificentiſſimè, in quo Forum, quod Parlamentum vocant, ubi certæ ſedes ſummis judiciis datæ ac conſtitutæ ſunt, unà cum ratiociniorum aliorumque plurium judiciorum ſubſelliis. *Chron. Franc.* In Baſilicis ſeu prætoriis & Curiis loco munitiori ſolent conſtitui Archiva (vulgó Cancellariã vocant, à cancellis, quibus locus iſte, ſive concluditur, ſive diſtinguitur) ubi libri & acta Reipub. ac judiciorum reponũtur. Huic ædificiorũ ordini inſere Prytaneum Athenienſe, & Nymphæa Romana, in quibus, ut aliqui volunt, nuptię celebrabantur.

Ad juſtitiæ & pœnarum exſecutionẽ pertinent CARCERES & loca ſupplicüs deſtinata. Carceres non uno exſtrui modo, neque iidem in omnibus delictis uſurpari debent, præſertim in criminibus nondũ

bus nondum probatis, aut levioribus, quibus eluendis modica caſtigatio ſufficit, aut cùm honeſtas perſonarum locū cuſtodiæ honeſtiorem requirit. Receptiones in cuſtodiam (inquit Auguſtinus in Johannem) pro meritis cauſſarum adhibentur. Alios jubentur cuſtodire lictores humano & miti officio atque civili, alii traduntur optionibus, alii mittuntur in carcerem, & in ipſo carcere non omnes, ſed pro meritis cauſſarum in ima carceris detruduntur. *add. l.* 1. *&* 3. *D. de cuſtodia reor. l.* 1. *C. eod.* Romæ ante confeſſionem reorum cuſtodia libera erat, nobilium in privatis domibus apud magiſtratum, aut privatos, ut ex Livio cùm de indice Bachanalium agit, & ex Salluſtio de conjuratis, colligitur. Sed poſt confeſſionem reus in vincula publica & carcerem conjiciebatur. l. *reus.* 5. *D. de cuſtodia reor.* Primum ibidem carcerem Ancus Martius Rex ædificavit mediâ Urbe imminentem foro, ad terrorem creſcentis audaciæ. *Liv. lib.* 1. Huic poſtea additus à Servo Tullio Rege, locus Tullianum dictus, quem ubi paululum aſcen-

ſtum adſcendiſſes ad lævam circiter pedes duodecim depreſſum humi muniebant undique parietes, atque inſuper camera lapideis fornicibus vincta, ſed inculta tenebris, odore fœda, atque terribili facie. Sed & Robur in carcere locus fuit, quo præcipitabatur maleficorum genus, antè arcis robuſtis incluſũ. Strãgulatio quoque in carcere fiebat. *Salluſt, Feſtus.* In ſcalas etiam Gemonias corpora damnatorũ impacto unco tracta præcipitabantur. *vide Alex. ab Alex. lib.* 3. *c.* 5. *& Cælium lib.* 9. *A. L. c.* 33. *& ſeqq.* Conſtitutionibus Gallicis in Comitiis Aurelianenſibus Anno 1560. articulo 55. ſancitum P. Gregorius commemorat, ne poſthac carceres in Gallia ſubterranei eſſent, 31 *Syntagm. Jur. Civil.* 33 *n.* 9. Et quis probet illam plus quàm Turcicam inhumanitatem? cùm rei ſæpe ſine diſcrimine in teterrimi pędoris & ſqualloris carceres quàvis morte longè acerbiores intruduntur: niſi forte deſperatiſſimi homines aliter ad ſeriam ſcelerũ agnitionem adigi nequeant. Apud Judæos olim

os olim, uti & noſtris moribus, loca ſupp-pliciorum extra civitates editiore aut aliàs conſpectiore loco ſeliguntur, circa vias publicas, patibulis ac furcis erectis, congeſtâque interdum in tumulum ſeu aggerem arenâ. *Levitic.* 24. *v.* 14. *Num.* 15. *v.* 35. *Deuter.* 17. *v.* 5. *c.* 22. *v.* 24. 1. *Reg.* 21. *v.* 13. *Actor.* 7. *v.* 47. *Matth.* 27. *v.* 32. 33. *Marc.* 15. *v.* 20. 22. *Joh.* 19. *v.* 17. 20.

Juſtitiæ publicę, quæ bello & armis expeditur, FABRICÆ ARMORUM & ARMAMENTARIA publica inſerviunt. Fuiſſe publica armorum ædificia paſſim in civitatibus, & provinciis per Imperium Romanum ex Novella Juſtiniani Imp. 85. liquet, in quibus arma & de novo fecerunt, & facta condiderunt, unde poſtea ad militiæ uſum depromebantur. *Hadr. Turneb.* 12. *adverſarior.* 6. Cicero in ſeditione contra Saturninum ex ædificiis armamentariisque publicis arma populo Romano data teſtatur, ut Imperium populique majeſtas conſervaretur. *pro C. Rabirio.* Marlianus ſpoliarium & armamentarium Romæ fuiſſe

in mon-

in monte Cælio dicit. In libro, qui de Notitia Imperii inſcribitur, officinæ & fabricæ armorum recenſentur plurimæ: Orientis quinque: Damaſci, Antiochię binæ, una ſcutaria & armorum, altera clibanaria; Aedeſſæ, Irenopoli Ciliciæ. Ponticæ tres: Cæſareæ Cappadociæ, Nicomediæ duæ, una ſcutaria & armorum, & altera clibanaria. Aſiana unica: Sardis Lydiæ. Thraciarum duæ: Hadrianopoli Hæmimonti, Marcianopoli. Illyrici quatuor: Theſſalonicenſis, Naiſſatenſis, Ratiarenſis, Horreomargenſis. Deinde Occidentis in Illyrico quinque: Syrmienſis, Acincenſis, Cornutenſis, Lauriacenſis, Salonitana. Italiæ ſex: Concordienſis, Veronenſis, Mantuana, Cremonenſis, Ticinenſis, Lucenſis. In Galliis octo: Argentoratenſis armorum omnium, Matiſconenſis, Auguſtodunenſis, Sueſſionenſis, Remenſis, Triberorum duæ, Ambianenſis. Venetorum armamentarium noſtri ſeculi fama ſuper omnia extulit. Muro turribus diſtincto circumdatū

ambitum dimidii milliaris Germanici complectitur, omni armorum genere refertiſſimum, adeò ut naves etiam præſtantiſſimas contineat: quibus ut & rebus aliis omnibus ad bellum neceſſariis parandis quotidiè mille & quingenti homines incumbere dicũtur. *Dn. de Villamont. in Itinerario. Thomas Porcaccius de Inſulis illuſtrioribus.* Quia potiſſimum bellicæ defenſionis inſtrumentum in armis eſt, loca iis & ædificia aſſignanda ſunt talia, ubi politiſſimè ac tutiſſimè cuſtodiantur, & unde rurſus promi poſſint, ac in omnes urbis partes diſtribui expeditiſſimè.

Theſaurum publicum continet Ærarium nec non Apothecæ omnis generis, in quibus publicè reponuntur, quæcunque ad ſubitos & inopinatos Reipublicæ caſus & neceſſitates ſublevandas pertinere poſſunt. Myniam Chryſæ filium, qui Myniis imperitavit, condendis pecuniis theſauri locum muniviſſe primũ perhibent. Græci collatas ad belli opa

pecu-

pecunias in Delo inſula deponebant, quòd is locus aditu difficilis & arcis in modum munitiſſimus foret. Athenienſes theſauros ſuos Delphis, Macedones in oppido Quinda juxta Tharſum, Syracuſani in Labdalo caſtello, Aſſyrii Suſis, Cambyſes in oppido Gaza in Palæſtina, Dejotarus in Pejo Phrygiæ, Lyſimachus Pergami monte turbineo in acutum apicem deſinente, aut in Ceterizi promontorio, Jugurtha in Thala & Capſa Numidiæ, Perſarum Reges in montibus, Hebræi in Thrace & Tauro Hierichuntis, Tigranes in Bambinſa & Olena, Mithridates in Petra Armeniæ, Babyloniæ reges in Zeugma urbe juxta Euphratem, locis tutiſſimis condiderunt. Romani verò in Saturni ęde in faucibus Capitolii, qui mons Saturninus dicebatur, ęrarium habuerunt propter loci opportunitatem, qui omni aditu præſepto undique præruptus & abacceſſu munitus fuit, ubi non tantũ ęs publicum, ſed leges quoque & Senatus conſulta, tabulæque publicæ, civiumque Ro-

manorum nomina in Elephantinis libris deſcripta, & ſigna militaria adſervabantur & cuſtodiebantur. *Alex. ab Alex. lib. 2. c. 2. ex Strabonis lib. 13. & 15. Plut. Quaſt. Roman. 42. Macrob. 1. Saturn.* 8. Horrea Romæ olim publica P. Victor ad trecenta, Onuphrius Panvinius etiam ultra numerat. Theodorici Oſtrogothorum regis in Italia horrea fuiſſe trium milliarium Italicorum longitudine & amplitudine unius milliaris continuatâ menſurâ ex Procopio diſcimus. Arcadius & Honorius Imperatores, cùm à judicibus provinciarum publica ædificia alia ſine autoritate ſuperiorum fieri prohibuiſſent, horreorum tamẽ vel ſtabulorum publicorum fabricas ipſorum arbitratui permiſſerunt. *l. nemo 13. C. de operibus publ.* Quindecim munivit urbes Rehabeam rex Judæ, in quas impoſuit omnis generis commeatum & arma. *2. Chron. 11. v. 5. & ſeqq.* & commendantur Joſaphati regis granaria & in urbibus Judæ publicæ rerũ neceſſariarum Apothecæ. *2. Chron. 17. v. 12. 13.* Atque hîc

etiam

etiam rerum ſervandarum natura, lociq́ue ac temporis circumſtantiæ, ædificandi modum monſtrabunt prudenti.

Reliquæ ſubſtructiones publicæ generum ſunt ferè trium: primò Fora, Viæ, Pontes, Portus, Litora, Fontes, Aquæductus, Molendina: deinde Cloacæ & Cœmiteria: deniq; Campanæ, Horologia, Balnea, Thermæ, Theatra, Sphæriſteria, Porticus, Arcus, Labyrinthi, Columnæ, Coloſſi, Obeliſci, Rulandi: & quæ cæteris fermè ædificiis publicis accedunt, Turres. Ex his, quæ primi & alterius generis, ſunt ſtructuræ neceſſariæ, ſed illę ad commoditates vitæ magis conciliandas, hæ ad incommoditates magis eliminandas: poſtremi generis quę ſunt, ad jucunditatem & ornatum ferè faciunt, & propterea his faciliùs carere in Repub. poſſumus.

FORA ſunt areæ, in quibus res venales exponuntur, qualia plerumq́ue ſunt in triviis platearum, locisq; aliis ad conventus hominum & negotiatio

nes expeditis. Hinc ſi civitas aliqua ſit maritima aream, ubi forum præcipuum conſtituatur, proximè portum, ſi autem mediterranea in oppido medio eligi Vitruvio placet *lib.1.c. ult.* Pro rerum autem venalium varietate fora interdum eſſe pluria ſolent: ſicuti Romæ Forum boarium, olitorium, cupedinarium (cujus generis in Theſſalia & omni Græcia frequentia fuêre) piſtorium, piſcarium, ſuarium, & alia fuiſſe accepimus. *Alex. ad Alex. lib. 2. c. 12.* His adde Macella, fora, ſeu ædes ubi carnes animalium mactatorum venduntur. Fora Græci quadrata ampliſſimis duplicibuſque porticibus, Itali oblonga ſpecie conſtituerunt, propter gladiatoria munera, ſpectaculaque alia, quę in iis exhibebant, ita dimenſa, ut latitudo duas partes longitudinis ęquaret. Reperiuntur fora alicubi rotunda, quale illuſtre exhibet Sena in medio devexum ſpectaculi inſtar & conchæ maritimæ, quam & ſpeciem fons in ejuſdem centro poſitus repręſentat. Sed fora dimetienda ita

ſunt,

ſunt, ut civitatum magnitudini populiq; negociantis frequentię correſpondeat. *Fr. Patric. 8. de Republica 13.*

VIARUM, PONTIUM, PORTUUM, LITORUM, ac RIPARUM ſtructuræ ad commeandi navigandique commoditatem ſpectant. Quomodo vias ſuas Romani ſtraverint Plutarchus in vita C. Gracchi aperit, cùm de eo ita ſcribit: In viarum refectione præcipuam adhibuit ſolertiam, cùm utilitatis, tũ pulcritudinis venuſtatiſq; rationem habens Ducebantur viæ rectæ per regiones, & partim lapide ad hoc cæſo & dolato, partim congeſtis arenarum cumulis inſternebantur, cavitates implebãtur: quà convallib. aut torrẽtib. iterrũperẽtur, pontibus jungebantur, & ab utraque parte eandem nactæ altitudinem ſpectatu admodum pulcræ erant. Porrò ſingula milliaria dimenſa diligẽter lapideis columnis diſtinxit. Alios quoque lapides utrinque ad viam haud procul à ſe invicem diſpoſuit, quorum in conſcendendis e-

quis uſus vicem ſervi in equum attollentis præſtaret. C. Jul. Cæſar non ſatis habuit exſiccare Pontinam paludem, quâ re mirum in modum vicinis populis conſuluit: ſed per mediam illam ſtravit viam pontibus pluribus erectis, quò iter in urbem brevius eſſet & commodius. Quorum veſtigia cum hodiè quoque ſingulari cum magnificentia plurimis in locis exſtent, ipſæ etiam ruinę admirationi videntib. atque contemplantibus ſunt. *Pontan.* II. *de Magnificentia.* Eoque opere vias plurimas non ſaltem intra Italiam factas, ſed inde longè productas legimus: Appii Claudii Brunduſium uſque, Scauri Aemilii uſque Sabatios, aliamque M. Aemilii à Placentia, ut Flaminiæ committeretur, Ariminium uſque, nam & Flaminii eò uſque producebatur, ſed & ulterius Aquilejam prope Alpium crepidinem, & hujus filii aliam uſque Aretium, quæ cū Aemilia Bononiæ conjungeretur, Flacci per montem Formianum, Latinam uſque Sinueſſam, Valeriam uſque ad

Mar-

Marſos, Aureliam per Hetruriam ad Piſas, & alias. *Alex. ab Alex, lib. 3. c. 13. Sigon. 2. de antiq. jur. Ital. c. ult.* Quò ſpectant ea omnia, quę de publicarum viarum opere legibus Romanis accuratiſſimè inſtituta: ne ulli fas ſit in vias publicas ſtercora, morticina, pelleſque projicere, rem quampiam ponere, ædificare, immittere, quæ impedimentum prębeat, minuſq; habilem viam reddat, ut ſiquis foſſam in fundo ſuo faciat, unde aqua collecta in viam publicam decurrat, aut in ſuo ita ædificet, ut aqua in via collecta reſtagnet, aut ſpecum vel pontem per viam publicam ducat, faciat quidquam aliud, unde via cùm plana fuerit clivoſa, vel ex molli aſpera, aut anguſtior ex latiore, aut paluſtris ex ſicca, aut quocunque modo deterior fiat. *l. 2. §. 21. & ſeqq. D. ne quid in loco publ. cum toto tit. D de via publ.* Sed neque imponi aquæductus poteſt, publico loco interveniente, ſed à Principe hoc peti ſolet, ut per viam publicam aquam ducere ſine incommodo publico liceat. Cùm-

que cælum, quod ſupra ſolum & viam publicam intercedit, eſſe liberum debeat, immittendi, projiciendi, fluminum & ſtillicidiorum ſervitus impeditur. *l. ſervitutes* 14. *ſ.* 2. *D. de ſervitut. l.* 1. *D de ſervitut. urban.* Hinc & Ludovicus XII. Galliæ Rex Lugduni mandavit dejici projecta domorum in vias publicas, idemque poſtea fieri per univerſas civitates Galliæ in Comitiis Aurelienſibus ſtatutum eſt. *P. Gregor.* 4. *Syntagm. jur. civ.* 12. *in fin.* Etiam Athenis Themiſtocles & Areopagitarum judicium viarum publicarum curam gerebant, ne quis in eis ædificaret, aut conſtitutos terminos excederet. *Heraclid. in polit.* Cæteri quoque Græci munus hoc ἀςυνόμοις ſuis decrevêre, ut itinerum publicorum per urbem curam agerent, uti complanarentur, & quæ in urbem tendunt, ne perfoderentur, aut aggeribus congeſtis obruerentur, nevé quid in militari viâ ædificaretur. *Plat.* 6. *de. LL* Indis fuit in uſu per conſiliarios purgare vias, quibus negotium erat per dena ſtadia

ſtadia ſingulos lapides locare, & diverticula ac diſtantias adnotare *Alex. ab Alex. lib 3, c. 13.* Libenter hîc & meritò adduco congeſtam aggere operoſiſſimo viam, quam circa munitiſſimum caſtrum Cuſtrinum in patria ſuaviſſima Marchiâ Brandeburgenſi novâ, ꝓvida Marchionum Brandeburgenſium cura, per vaſtiſſimas ſtagnantis Oderæ paludes ad milliare Germanicum ꝓduxit, & plus q̃ triginta pontibus ſubinde interruptas aquarũ ſeſe effundẽtiũ venis aggeris rupturas conjunxit. Per arduos & invios ſylvæ Martiæ ſcopulos memorabili opere Wirtembergẽſes Duces viam aperuerunt in Alſatiam, in ſummo altiſſimorum montium jugo ſolum paluſtre & deſidens roboribus jactis complanantes. Duobus rapidiſſimis Germaniæ fluviis impoſiti pontes celebriores ſunt, qui in Danubio eſt Ratisbonæ, lapideus, roboris ſtupẽdi; & in Rheno Argentinæ ſublicius, quem incomparabilis longitudinis magnâ continuæ reparationis impensâ Reſpublica ſuſtinet. Portuum & litorum curam urbes

ma-

maritimæ gerunt. Portus ſunt quaſi quę-dā maris diverticula & loca à bæſtu maris ſubducta, in quibus naves & à tempeſtatibus & belli tempore ab hoſtium incurſionibus tutæ quieſcunt, *l. portus 59 D. de V. S.* Habent igitur Portus ab anteriore parte, & in introitu ſua promontoria & quaſi cornua, ad quæ fluctus marini frā-guntur, & à quibus poſtmodum unda tanquam in ſinum quendam introrſum reductum & incurvatum, quaſi alvo, recipitur. Exiſtunt hi portus plerumque à naturâ, rariùs manu & arte fiunt, aut ſaltem ope & induſtriâ humanâ perficiuntur & conſervantur. Nam interdū ſtructuris & aggeribus firmiſſimis eorū aditus adverſus tempeſtates muniendi; muro etiam hinc inde ducto cingendi, & ſi fieri poteſt, catenis concludendi ſunt. Hos neque urbis mœnibus contiguos propter fluctuum alliſiones, neque ab iisdem tàm remotos eſſe utile cenſetur, ut inter urbem & portum hoſtis ponere caſtra poſſit, aut certè locus is interjectus munitionibus ita firmandus, ne ad portum intercludi ab urbe aditus queat.

vid.

Vid. Vitruv. lib. 5. c. 12. Sed & diligenter expurgandi portus ſunt, ne aut arenis ab æſtu maris injectis compleantur, aut ſordium fœtore aerem corrumpant. Lunæ portum in Hetruria, ut maximū & pulcerrimum, Strabo celebrat *lib. 5.* quòd multos intra ſe portus alios magnæ profunditatis amplexus celſis montibus includatur, unde Sardinia & magna litoris utriuſque pars conſpiciatur. Hangoenſis Gothorum portus (Olao Magno ſi credimus) omnibus aliis Septentrionalis maris portubus anteponendus, quem in modum ampliſſimæ arcis montes ac valles undique cingunt, *lib. 2. c. 25.* Athenienſes cùm Phalaræeo portu, neque magno, neque bono uterentur, Themiſtoclis conſilio triplex Pireęi portus conſtitutus eſt, iſque mœnibus circūdatus, ut ipſam urbē dignitate æquipararet, utilitate ſuperaret. *Aemil. Prob. in Themiſtocl* Portum Rhodienſem & qui ſunt Amſterodami, Antverpię, in capite Gratię, Marſilię, Rupellę, Anconę, Genuę, & alibi, fama celebrat. Oſtia nonnunquam flu-

minum, inquit Patricius, cùm placido latoque curſu in mare prorumpũt, utilitatem non minimam habent, ubi naturalis portus deſit. Sed redeuntibus navigiis oſtia omnia periculoſa ſunt. 7. *de Rep.* 12. Litorum reparatio & defenſio publica eſt, ut ſi quis pilis in mare jactis aut ædificiis in litore poſitis deteriorem litoris mariſve uſũ publicum efficiat, hoc admittere magiſtratus non debeat. 2 *§. adverſus.* 8. *cum duab. ll. ſeqq. D. ne quid in loc. public.* *l.* 1. *§. ſi in mari.* 17. *D. de flumin.* non ferre eos, qui fluviorum ac fluminũ, præſertim navigabilium, curſũ ſubſtructionib. deteriorem reddunt, & navigationes impediunt: ut cùm aqua aut derivatur, ut exiguior facta minùs ſit navigabilis, vel dilatatur, ut diffuſa brevem aquam faciat, vel contra ſic coanguſtatur, ut rapidius flumen fiat, aut alveus fluminis mutatur. Imò id etiam, quod in alveo ripâvé fluminis non navigabilis factum, ut exareſcat, vel aquæ curſus inhibeatur, tollere, demoliri, purgare, reſtituere, ripaſq;
adver-

adverſus exundationes molibus & aggere communire convenit. *tot. tit. D. de flumin. b. cum tt. trib. ſeqq.* Ne maris exæſtuantis impetus totas regiones abſorbeat, Holandi & nationes maritimæ aliæ craſſiſſimis altiſſimisq; aggerum ſtructionibus provident. Atq; hanc etiam ob cauſſam inter cæteras, ut viarum, pontium, portuum, litorum, riparum, ſtructuras ſartas tectas ſervent, magiſtratus vectigalia & telonia, pedagia, portoria, ripatica accipiunt, ſibi vendicant, quod à mari in litus dejectum, aut in via publica amiſſum, dominum non invenit. *tit. D. de incend. ruin. & naufrag. & tit. C. de naufrag.* Galliarum regi reſpectu ducatus Normandiæ jus competit, ut ſi per tempeſtatem aut infortunio maris quopiam alio, navis, aut aliud quidpiam impellatur ad litus, ad regẽ pertineat, ſi intra ſex hebdomadas non cõpareat, qui vindicet. Alià cõſtitutione ibidem cautum, ut rerum omniũ, quæ ex pelago in litora extrahuntur, tertia pars Principi jure regio vindi-

cetur,

cetur, reliquis inter maris præfectum & navarchos repertores æqualiter diſtributis. *P. Gregor. 9. de Rep.* 1. *n.* 29. 3. *Syntagm. jur. civ.* 14 *n. ult.*

Aquarum neceſſitaté quotidianus vitæ humanæ ũſus commendat, primò vivas FONTIUM ſcaturientium venas, pòſt AQUÆDUCTUS. Magnam urbis utilitatem illam Vegetius ſtatuit, cùm perennes fontes murus includit. *lib.* 4. *c.* 10. Nam fontium & aquarum perennitas, non ad ſanitaté modò utentium facit, ſed abundantia etiam incendiis reſtinguendis ſuccurrit. Fontium inopiam æquæductus ſupplent, quibus aqua vel in urbem inducitur, vel in ipſa urbe ſcaturiens in plura loca diducitur. Per multos ab urbe condita annos contenti fuerunt Romani uſu aquarum, quas aut ex Tiberi, aut ex puteis, aut fontibus hauriebant. Verùm urbe quotidiè creſcente & penuriâ aquæ laborante, alię aquæ in urbem derivatæ ſunt: quo factum, ut tanta in urbe undique aquæ fuerit copia, ut ſingulæ ferè domus ſuos

ſuos habuerint fontes. Deducebantur aquæ ex diverſis locis, & alius aquæductus, præſertim qui per arcus fiebat, alio altior erat, ſive depreſſior. Hæ in caſtella primum, ex illiş à caſtel lario certa menſura diſtributæ in loca deſtinata diffluebant. Caſtellum autẽ erat locus, qui aquam publicam recipiebat, & in varia alia loca tranſmittebat: Caſtellarius verò Caſtellorum cuſtos. *Roſ. 1. antiq. Rom.* 14. Modi ducendarum aquarum recenſentur, qui fiunt per rivos apertos, vel clauſos, per ſubſtructionem, per opera arcuata, per modulos, fiſtulas, per euripos, tubos, digitos, per tympanum, per rotam cum modiolis & caſtello, per rotã cum ſitulis, per cochleam, per cteſibicam machinam & ſimilia ad hauriẽdam, continendam, & tranſmittendã aquam organa. *l. Lucius* 37. *D. de ſervit. ruſtic. l. ſi pendentes.* 27. §. 3. *D. de Vſufruct. l.* 1. 3. 6. *C. de aquæductib.* 11 *Vid. Jul. Frontin. de aquæductib. Vitruv.* 8 *Architect* 7. *& lib.* 10. *c.* 9. *cum ſeqq.* Ducitur aqua

forma

forma ſtructili, id eſt canali fabricâ cõſtante, aut plumbeis fiſtulis (hodiè etiam æreis) aut canalibus ligneis, aut fictilibus tubis, ait Palladius. 9. *de re ruſt.* 11. Fuiſſe aquæductus Romæ quatuordecim ex cocto latere, Procopius *lib.* 1. auctor eſt, eâ latitudine & altitudine, ut eques inſidens equo per eos ire potuerit. In monte Cælio duo aquæductus commemorantur, Claudii in palatium, & Caracallæ in capitolium. Conſtat enim Romæ aquarum multiplices ductus fuiſſe temporib. variis, Nam propter Appiam, Cæruleam, & Curtiam fuit Anio vetus, Martia, Tepula, Julia, Virgo Alſietina, quæ Auguſta, Claudia, & Anio novus, quæ in urbem influunt: inter quas Martia p̃cipuo nitore ex Fucino lacu defluit, q̃ Publius & Quintius Martii Romam primi deduxêre. Cęrulea verò & Curtia à C. Cæſare & Claudio magno impendio & ſubſtructionibus maximis à quadrageſimo lapide ad urbem ductæ fuere. Inter quas Claudia ex Cælio monte in Aventinum perenni mana-

bat

bat fonte; cujus aquæductus duos Caligula innovavit, qui ex fontibus Cæruleo & Curtio deducti, pro eo, quòd illos Claudius novo lapideo opere abſolviſſet, Claudię dictę ſunt aquæ. Alter verò Anio novus in plurimos & uberes lacus diviſus fuit. *Alex. ab Alex. lib. 6. c.* 11. Nam Q. Martius rex juſſus à Senatu aquarum Appiæ, Anienis, Tepulæ, ductus reficere, novam à nomine ſuo appellatã cuniculis per mõtes actis intra præturæ ſuæ tempus adduxit. M. Agrippa verò in ædilitate ſua adjectâ Virgine aquâ, cæteris corrivatis atque emendatis lacus ſeptingentos fecit, præterea ſalientes centũ quinque, caſtella centum triginta, cõplura etiam cultu magnifica: operibus iis ſigna trecenta ærea, aut marmorea impoſuit, columnas ex marmore quadringentas, eaq; omnia annuo ſpatio. Vicit antecedentes aquarumductus impendium operis inchoati à C. Cæſare & peracti à Claudio, quippe à lapide quadrageſimo ad eam excelſitatẽ, ut in omnes urbis montes levarentur, influxere

influxere Curtius ſive Albudinus atque Cæruleus fontes. Erogatum in id opus ſeſtertium ter millies. Rivum quinetiam Anienis novo lapideo opere Claudius in Urbem perduxit, diviſitque in plurimos & ornatiſſimos lacus. Quòd ſiquis diligentiùs æſtimaverit aquarum abundantiam in publico, balneis, piſcinis, domibus, euripis, hortis ſuburbanis, villis, ſpacioq; advenientis exſtructos arcus, montes pfoſſos, convalles æquatas, fatebitur, nihil magis mirandum fuiſſe in toto orbe terrarum. *Plin. lib. 36. c. 15. Suetõ.*

MOLENDINA ſunt loca publica, ubi frumentum ſaxis teritur, & ad victum humanum præparatur. Horum tria præcipua ſunt genera: Aquaria, Alata, Piſtrina. Quorum illa ab aquis, hæc à ventis, iſta à jumentis aut hominibus agitatur. Nam lapides molares duo ſibi imponuntur, quorum ſuperior catillus ſubſcude ferreâ per inferiorem metam quieſcentem cum ferreo clavo commiſſus movetur à rota, ab inciſuris, quibus machinam, cui

clavus

clavus iſte ferreus incluſus eſt, comprehendit, Strigilis vocata, quæ rurſus eâdem trabe in molis aquariis à rota majori, catarractis ſeptiſque in anguſtias redactis undis, raptata, in alatis verò molis, ab ipſis alis vento explicatis, impellitur. Hinc frumentum infundibulo per ſuperius quoddã catilli foramen incernitur, ubi inter ſaxa comminutũ per foramẽ aliud in metæ latere relictum emittitur in excuſſorium, ubi farina & pollines cribantur & ſecernũtur ab acub. & grumis. Molendinorum commoditates ſollicitè cuſtodiendæ, præſertim in obſidionibus. Sed ex his piſtrina ſunt omnibus locis ac tẽporibus accommodatiora: in cæteris verò, maximè aquariis, propter undarum continuum fluxum, majus compendiũ. Piſtrina veteris Romæ Panvinius trecẽta novem numerat; Sed aquariarum itẽque Alatarum molarum origo recentior eſſe videtur.

CLOACÆ publicæ ſunt loca, in quibus ſordes civitatis confluunt & educũtur. Harum ſtructurâ & diligenti curatione:

tione neſcio an quid ſalubrius civitati. Nulla enim quamvis multa & magna præclara inventa tantum adferre adjumenti poſſunt ad loci atque aeris ſalubritatem, quantum noxæ ac damni præbent vel ſolæ cloacæ neglectæ. Harum purgationes & refectiones ad ſalubritatem civitatum & ad tutelam pertinere, publicæque ſalutis & ſecuritatis intereſſe Ulpian. JC. ſtatuit. Nam & cælum peſtilens, & ruinas minantur immunditiæ cloacarum, ſi non reficiantur. *l. 1. ſ. 1. D. de cloacis, l. de pupillo 5. § ſi quis rivos* 11. *D. de oper. novi nũciat*, Sanciunt hãc ob cauſſam leges civiles, eum qui cloacas vult reficere, vel purgare, neque novi operis nunciatione, neque interdicto impediendum, nec vim ei faciendam, qui privatam cloacam in publicam immittere, vel ſuam ita facere velit, ut exitum habeat in publicam. *dd. ll.* Et manifeſtâ experientiâ compertum eſt, à contagioſa morborum lue præ aliis civitatibus immunes eas eſſe, in quibus ſordes è plateis & cloacis per ſubterraneos meatus, modiſque aliis ſedulò educuntur, & à frequen-

quentia hominum ſubmoventur. Fuiſſe cloacas Romæ in ingentem altitudinem depreſſas receptaculum omnium purgamentorum urbis à Priſco Tarquinio primùm, mox à ſuperbo & demum interjecto tempore à M. Agrippa profuſis ſumtibus & magnâ mole conſtructas autores tradunt; per quas ſeptem amnes quaſi ſub urbe penſili ſolidâ ſtructura raperent omnia & auferrẽt. *Alex. ab Alex. lib. 3. c. 14.* Nam Tarquinius montibus ſuffoſſis fornicibusque terrâ ſuſpensâ in tres ductus diviſit cloacam, quæ maxima dicta, foſſæque deinde ſunt aliæ, ut plures eſſent. In has omnis aqua ex compitis confluens in Tiberim ſe exoneravit. Hæc opera tàm admiranda, & majora fuiſſe Dionyſius Halicarnaſſæus ſcribit, quàm quæ verbis exprimi poſſint: Ego certe, inquit, in tribus magnificentiſſimis Romæ operibus, unde maximè imperii amplitudo appareat, aquæductus pono, & vias ſtratas & cloacas factas: non ſolùm ipſius operis utilitatem conſiderans, ſed etiam impenſarũ magnitudinẽ: quam vel ex hac una re, qui-

vis

vis conjicere poteſt, ſecutus C. Aquil
hujus rei autorem, qui aſſerit: neglect
aliquãdo cloacas nec amplius aquas trã
mittentes à Cenſoribus purgandas & r
ficiendas mille talentis locatas fuiſſ
lib. 3. *Antiq. Rom.* Plinius à cloacaru
magnitudine Romam Penſilem voca
& ſubternavigatã. *lib.* 36. *c.* 15. M. qu
dem Agrippa ita eas purgavit, ut p
eas in Tiberim navigaretur. *Dion N
caus in Auguſt.*

COEMITERIA ſunt loca publica ſ
pulcrorum, in quibus vitâ functi deſ
diuntur. Sepulcrorum loca Romani v
luerunt eſſe ſancta & religioſa, ut qui ſ
pulcrum violâſſet, ſacrilegii reatũ ſub
ret. *tot. tit. D. & C. de religioſis. & de ſ
pulc. violat.* Lege XII. Tabb. ibidem co
ſtitutum, ne quis hominem in urbe ſep
liret, nec aliter obſervatum, niſi in vi
ginibus Veſtalibus, & in magnis vir
ſummiſque ducibus, qui legibus ſolu
virtutis cauſsâ id honoris conſecuti, u
in urbe humarentur, *Cic.* 2. *de legib. &
pro Flacco.* Adrianus Imperat. reſcript
pœnam ſtatuit quadraginta aureorum, i

ec

Google

eos, qui in civitate ſepelirent, quam fiſco inferri juſſit, & in magiſtratus, eadem qui paſſi eſſent, & locum publicari juſſit, & corpus tranſferri. *l. Prætor. 3. §. Divus. 5. D. de ſepulc. viol.* Idemque Diocletianus & Maximinianus nec non Antoninus pius Impp. ſanxerunt. *l. mortuorum 12. C. de religioſis. Capitolin. in Antonin.* Condebantur itaque mortui apud Romanos aut privatim in agris ſuis, aut in viis extra portas tumulos habebant. Locum autẽ ſepulcro deſignabant, vel Augures, vel Pontifices. Athenis in Campo tumulus erat, in quo columnæ exſtabant, in quibus defunctorum nomina per ſingulas tribus, qui illic conditi erant, continebantur. Corinthi quoque extra urbem maximorum virorum monumenta fuêre. *Alex. ab Alex. lib. 6. c. 14. & lib. 3 c. 2.* Deniq; & Chriſtianorum cœmiteria ante urbes olim fuiſſe Chryſoſtomus teſtatur. *in ſerm. de fid. ac leg. Auguſt. epiſt. 64. Gregor. Turon. lib. 2. c. 1.* Nam in locis patentibus cadaverum graveolentia à ventis faciliùs diſſipatur, ne aër inficiatur, quàm intra mœnia, ubi

ædium frequentia eſt. Concluſus tamen eſſe debet cœmiteriorum locus, muroque cinctus, ne ab animantibus ſepulcra diruantur, & oſſa defunctorũ fœdâ lanienâ diſpergantur.

CAMPANARUM, aliorumque inſtrumentorũ publicorum, quibus indicia in civitatibus fiunt eorum, quæ publicè peragenda: itemque HOROLOGIORUM publicorum, quibus tempus menſuratur, & in certa horarum intervalla dies diſtinguitur, ad q̃ cives ſuas inſtituere atque diſponere actiones poſſunt, inſtitutum publicũ eſt. Differentes itaque ſono campanas in urbibus magiſtratus habeat, ex quarum pulſu cives norint diſcernere, quando ad ſacra publica peragenda, ad negotia publica alia, conveniendum ſit: & aut incendia reſtinguenda, aut periculum publicum aliud propulſandum, itemque quando urbis portæ claudantur vel aperiantur. Campanarum uti & horologiorum ſonantium uſus, quo tẽpore in civitatib. frequẽtari primũ ceperit, nemo facilè dixerit:

Præ-

Præclarũ autẽ eorum, eſſe inventum, ſi bono ordine regantur, quotidiana experientia dubium eſſe non ſinit; ut vel inde Reipublicæ bene conſtitutæ argumentum haud poſtremum ſumere attenti Rerumpublicarum æſtimatores non dubitent.

BALNEA & THERMÆ ſunt loca publica, in quibus vel ſanitatis vel jucunditatis gratiâ lavamur. Romæ balnea & Thermæ publicis uſibus multimodè fuerunt magnâ mole & ſũtu conſtructæ, Alexandrino & Numidico marmore, latis ſpecularibus, mirâ cælaturâ & arte. Nam præter Agrippinas, Neronianas, Veſpaſiani & Titii celebrantur, Domitianæ, Alexãdrinæ, Severianæ, Gordianæ, Aurelianæ & Cõſtantinianæ ſolidiſſimâ ſtructurâ & ſumtu profuſo. Conſtatque M. Agrippam, ut populo placeret, cẽtum ſeptuaginta balnea ſeu lacus in provinciarum formam Romę gratuita præbuiſſe: in quibus etſi caldâ priùs abluerent, poſtea ut à balneis corpora multâ frigidâ ſtringerent, conſtiturũ

ferunt, nec priùs ungi, niſi laviſſent: cùmq; pro ſingulis olim daretur quadrans, D. Antoninus ob popularem gratiam balneum ſine mercede exhibuit. Apud Carthaginenſes quoque & Græcos publicè fuiſſe balnea inde colligitur: quòd apud illos patricii & plebei diſtinctè, apud hos promiſcuè lavâſſe dicuntur. *Alex. ab Alex. lib. 4. c. 20* P. Victor Romæ balnea ultra octingenta, Panvinius nongenta novem, thermas viginti, computat. Arcadius & Honorius Impp. tertiam partem de reditibus fundorum publicorum, murorum & thermarum reparationi & ſubſtitutioni in oppidis & urbibus aſſignârunt. *l. ne ſplendidiſſimæ. 11. C. de operib. public.* Juſtinianus Imperator ex tributis à populo collatis etiam publicarum balnearum calefactiones procedere ait. *Nov. 149. c. 2.* Sed cùm apud Romanos lini uſus eſſet rarior, ſudorem ſordesque corporis ſæpiùs abluere neceſſe habebãt. Uſitato more ante cænam balneis utebantur: itẽ poſt ambulationes, exercitationes, ope-

ras

ras, ſæpè neceſſitatis cauſſâ, non raró voluptatis. *Roſin.* 1. *Antiq. Rom.* 14.

SPHÆRISTERIA, PORTICUS, THEATRA, & loca publica exercitiis ac recreationibus, tàm corporis, quàm animi, inſervientia alia, non eundem hodié, quē olim apud Romanos & Græcos, uſum ubique inveniunt, propter diverſa gentium ſtudia. Sphæriſteria ſua adhuc Galli habent frequētiora, in quibus pilâ luditur. Theatrorum nomen cum ſpectaculis & ludis Ethnicorū, qui in eis exhibebantur, inter Chriſtianos propè intercidit. Porticus nō temerè aliàs, quàm in ampliſſimis civitatibus, præſertim in Italia, magnisque Principū ac Regum aulis, invenias. Quæ Pragæ eſt in aula Imperatoria, ſive porticus, ſive atrium, laxitatis ampliſſimæ citra ulla columnarum fulcimenta artificio ſuo pictorum & cælatorum ingenia exercuit. ARCUS veró, LABYRINTHI, COLUMNÆ, COLOSSI, OBELISCI &c. famâ potiùs & pompâ, quàm uſu hominum noti ſunt: opera plerumque & monimenta ſuperſtitionis, ambitionis, pro-

fuſionis. *vid. Scaliger. 1. Poet. 21. Plin. lib. 34. & lib. 36. c. 9. Alex. ab Alex. lib. 3. c. 23. lib. 4. c. 25. Roſin. 5. antiq. Rom. c. 4.* ROLANDI ſtatua, quæ in nonnullis civitatibus inferioris Germaniæ in foris viſitur columnâ erectâ, cui vir armatus inſiſtit, *αὐτονομίας* olim à Carolo Magno conceſſæ ſignum eſt, ad memoriam ſui ex ſorore nepotis Rolandi, ducis robuſtiſſimi. *Sturc. de Imp. Germ. c. 15. n. 6. ex Sabellic.*

Ædificiis publicis aliis plerumque adjunguntur TURRES, vel ornatus cauſſâ, vel etiam ut campanarum in iiſdem ſuſpenſarum molem ſuſtineāt, & impulſarum ſonum propter altitudinem longiùs & acutiùs reddant, horologia temporis indicia exhibeant, ventorum regiones demonſtrent, excubiarum proſpectum latè tranſmittant, nocturnis ignibus in mari navigantibus portum ſignificent, & ſi qui ſunt alii turriū in Repub. uſus. Altitudine & opere palmā omnibus Europę turribus eripere creditur Argentinenſis, quæ ſummo templo adjuncta ex lapidibus artificioſiſſimè cæſis, ferroque & ſtanno interfuſo

ſo firmiſſimè conglutinatis in quingentûm & ſeptuaginta quatuor pedũ altitudinem aſſurgit, & ſpectantium oculos, ventorumque flatus undique tranſmittit liberos, ſtatuarum ſimulacris, hiſtoriarumque figuris exornatiſſima. De qua nos ita quondam:

Moles admiranda, ingens, ſuper ætheris axem
Erigitur, latèque humiles proſpectat in agros
Trebocûm, caput attollens: tuaq; æmula Mavors
Luſtrat nimboſas æquato vertice ſilvas.

Athenis Andronicus Cyrrheſtes Aſtronomus peregregius, & architectus excellentiſſimus, marmoream turrim erexit octogenam ad totidem ventorũ regiones deſcriptam: in cuius apice Tritonis ſignum ęre fuſum collocavit, tali libramento, ut vento circumageretur, indiceque virgâ, vel (ut alii) tubâ prætenſâ conſiſteret ſupra imaginem venti in

turris latere eò depicti, unde quiſque reflaret. Quo compendio cives non modò navigandi occaſiones obſervare, ſed ad valetudinis etiam curam ſe ſe componere diſcebant, *Vitruv. lib.* 1. *c.* 6. In Pharo inſula, quæ objecta Alexandriæ portum efficit, ſed inſidioſo acceſſu & fallaciſſimis vadis, Ptolemæus Philadelphus turrim conſtituit octingentis talentis, non ad aliũ uſum, quàm ad nocturnos ignes nautarum curſus oſtendendos. *Plin. lib.* 36. *c.* 12. *Strabo lib.* 17. Hujus exemplo Claudius Imp. portum Hoſtiæ exſtruens circumducto dextrà ſiniſtràq; brachio & ad introitum profundo jam ſalo molem objectam ut ſtabilius fundaret, navem ante demerſit, quâ magnus obeliſcus ex Ægypto fuerat advectus, congeſtiſque pilis ſuperpoſuit altiſſimam turrim, ad cujus nocturnos ignes curſũ navigia dirigerent. *Suet.* qualem turrim & Carolus Magnus in ora Oceani Germanici Belgicique ſitæ urbis Bononiæ litore inſtauravit, quæ nocturno tempore navigantibus ignes monſtraret ad præ-

nun-

nuntianda vada, portuſque introitum. *Avent. lib. 4. Annal.* Similem propè uſũ præſtat turris Martiana Venetiis, cujus altitudo longè latèq; in mare ad ortum & meridiem aperit proſpectum, faſtigium verò, quod puriſſimo fulget auro, ex Iſtria Dalmatiaque introrſum navigantibus ad ducenta & amplius ſtadia tãquam ſidus quoddam ſalutiferũ occurrit. *Sabell. lib. 7. Decad. 1. & lib. 4. Ennead 9.*

Tales ſunt civitatum ſtructuræ ſingularum, quarum plures in unam Remp. cõjunctæ DITIONEM efficiũt, quæ eſt Reſpubl. plurium civitatum: ex quibus illa quæ cæterarum caput eſt METROPOLIS dicitur: quo & reſpectu in ſcriptura ſacra reliquæ civitates inferiores hujus Filiæ vocantur. Quare & metropoles inprimis ad ſalubritatem & magnificentiam compoſitæ eſſe debent, nõ tantùm quia totius ditiónis ſalus in harũ incolumitate verſatur, ſed imperii quoque, cujus ibi ſedes eſt, majeſtas atq; autoritas ſtructurarum dignitate & elegãtiâ adjuta major & illuſtrior ſubditorum animis

animis illabitur. Ditiones rurſus Minores ſunt vel Majores, minori vel majori numero Civitatum & regionis ambitu deſcriptæ. Hinc illæ potiſſimum in Monarchiis, Comitatuum, Principatuum, Ducatuum appellationes, quanquam hodiè non tàm ex ditionis, quàm dignitatis amplitudine uſurpatæ, ſicuti regnorũ & regũ nomẽ olim etiã anguſtis ditionũ finibus tributũ, ut ex teſtamẽti veteris hiſtoria liquet: quod noſtro ſeculo factũ ampliſſimum, nec niſi plurium provinciarum latiſſimarumque ditionum dominis adſcribi ſolitum. Imperiorum verò ut auguſtum nomen ita ſumma dignitas ac potentia ab ipſo DEO ſancita, qui ſupremus regnorum arbiter ac moderator per prophetam Danielem quatuor Cardinalia in mundo imperia deſignavit: primùm Aſſyriorum ſeu Babyloniorum: alterum Medorum & Perſarum: tertium Alexandri Magni & Græcorũ: quartum Romanorum, in quo nunc vivimus Hujus etſi potentia quondã totũ fermè terrarum orbem complexa, regnis partim deficientibus, partim bello

ereptis

ereptis, nunc intra ſolius Germaniæ fines cōſiſtat: retinet tamē, ſemperq; retinebit, non obſcura juris, majeſtatis, potentiæ, dignitatis antiquæ veſtigia: vel ob hoc maximè beatiſſimum prædicandū, quòd naſcentis mūdi reſtauratoris Chriſti incunabula viderit, ejusdemque divinam virtutem imperium ſuum ſpirituale per omnia orbis climata propagantis tandem agnoverit, nunc quoque Eccleſiæ ſedem præbeat atque hoſpitium: cujus ut colligendæ conſilio DEUS ſapientiſſimus imperia primùm ordinavit & hactenus conſervavit, ita hanc ſalvandorum in Eccleſia congregationem cōpletam finem rerum humanarum eſſe vult: quòd Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum vaticiniis in dies decurrentibus, propediem fore ſperamus.

Hiſce fōtibus Politica diſciplina defluit, ſive de Rep. inſtituēda, confirmanda, vel reſtauranda quæratur. Nam ut Medicus perfectâ corporis humani optimorumque medicamentorum cognitione inſtructus, ex iiſdem artis principiis, & optimam corporis conſtitutionem judicare:

care, & quæ ab hac diſcedit, facilè agnoſcere atque curare, didicit: ſic in Politia, ſi quid vitii eſt in magiſtratus, aut ſubditorum officio, neglecto aut perperam facto, ad eaſdem de Politia regulas, tanquam lapidem Lydium perpetuò examinandum atq; corrigendum eſt: adhibenda in conſilium prudentia, quæ nihil inconſideratè, nihil intẽpeſtivè, nihil præpoſterè fieri permittit. Quod manifeſtius etiam fiet ex his, quæ de pugnantibus cum tota hac doctrina eodem filo atque ordine, datâ occaſione, pertexere in animo eſt.

FINIS.

ERRATA

ERRATA TYPOGRAPHICA inſigniora ſic corrigantur.

IN Præfat. fol. 3. fac. 1. lin. 17. poſt verb.(adnotatione) inſere (obſervata; fol. 6. fac. 1. lin. 9. lege, pertinerent. eod. fol. fac. 2. lin. 17 leg. indubitatorum. In ipſo opere: pag. 45. lin. 15. pro equitate, equitare. pag 78. lin 11. pro ſeodem, eoſdem. pag. 103 lin. 8. lege, Aſſæ. pag. 107. lin. 24 pro eſſe, eſt pag. 112. lin 6. leg. mutationi. pag. 121 lin. 22. leg. conſtringi. pag. 130 lin 3. pro legiones, ligones. pag. 145. lin. 8. leg. navium. pag. 163. lin. 15. leg. conſpiciuntur. pag. 167. lin. 15 pro qui, quin. pag. 219. lin 19. pro ſubditos, ſubitos. pag. 222. lin. 10. pro quæ fierit, quæſierit. pag. 224 lin. 23. pro minius, nimius. pag. 242. lin 14. poſt verb. (ferre) inſere (poſſint.) pag 248. lin. 1. leg. incolume. pag. 258. lin. 7. leg. habebatur. pag 266. lin. 5 pro nullum, ullum. pag. 269 lin 5. leg. ſacrificarent. pag. 273. lin. ult. pro donum, domum. pag. 280. lin. 1. dele, eſt pag 289 lin. 21. leg viveret. pag. ſeq. lin. 1. pro ſive, ſine. lin. 13. pro τῶ, τὸ. pag. 292. lin 19. leg dilatato. pag 300. lin 4. pro &, ut. pag. 302. lin. 4. leg. adquiſitione. pag. 307 lin. 16. leg. Pariſatides pag. 311 lin. 1. pro militi, mihi lin. 3. leg nequaquam. pag. 345. lin. 20. leg Perſas. pag. 358 lin. 14. leg. quendam. pag. 377. lin. 8. leg. mundanam. pag. 381. lin. 10. leg. verſus. pag. 386. lin. 24. & 25. leg ſatis adjumenti

menti.pag.389.lin.1.leg.quibus.pag.394. lin.6. leg.deberi.pag.ſeq.lin.2 leg quærendum.pag. ſeq lin.8.leg.ἀυτήκοος.pag.402.lin.4.leg.inſinuandum. pag. 412. lin. 23. leg. armillis.pag. 422.lin 4.leg dubitavit.lin.23.leg.Latinę.pag. ſeq.lin.18 pro ſine, ſive.fac.ſeq. lin.1. leg. prudenter pag. 429 lin.24.leg.indicium.pag.442. lin.11.leg hortari.pag.452.lin.12.leg.occultus. pag.468.pro percepit,pepercit.pag.477 lin.23. leg σκηνοπήγια. pag. 482. lin. 7. leg. ἀμνηστίαν. pag.509. lin.2. dele, re.lin. ſeq. leg. precibus & lin.ſeq leg. prudentiſſimæ. lin ſeq. leg.paſſus. pag.518 lin.14.leg.culpæ.pag.594.lin 7 leg. opulentia pag 607. lin.19. pro officia, hoſpitia. pag.616. lin.21. pro tum, cùm. pag.639. lin.14. pro Non,Nam.pag 652 lin.15.pro factis, pactis.

☞ pag 1. .16. leg.referũtur.lin 24.pro quos, quorum g.4.lin.24. pro ſum,ſuum. pag.11. lin. 19 leg.conſtruere.pag.20.lin.16. dele? pag. 25.lin 2.leg prę fert.pag.26.lin 9.pro auro,avo. lin penult.leg Sertorius. pag.29. lin. 16. leg Academicorum. pag. 34. lin. 11. leg. dignitates. pag. 38. lin.22. leg.functionem pag.45. lin 11. pro quinti,quini pag.51.lin 14. leg (ingratitudine)voce unicâ. pag.63 lin.20. leg.Alcmęnes. pag.71.lin. ult. tolle punctum. pag. 72. lin. 19. leg.capitis.pag 90.lin.9 pro creſcant, reſecant. pag.108.lin.9 leg.priventur.pag 120.lin.12.leg. Manlius.pag.126.lin.10.ita lege: ſi veniam non ad impunitatem &c. pag.129. pro ſine certè, ſincerè pag.132.lin.1.leg.reperiri.pag.136.lin.8.

pro

ERRATA.

pro feruntur,fruuntur.pag.139.lin.penult. poſt verb.(cum)adde(de)pag.176.lin.1. leg. officium ipſorum &c. pag. 177. lin. 20. dele,de.pag. 195.lin.ult.pro tum,dum.pag.199.lin.9.leg.uni & in unum. pag. 247. lin.3. leg. correſpondeant. pag. 258. lin. 14. pro propter, præter. pag. 260.lin.21.leg.agitantur.

A 1 145512

Digitized by Google